UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et Mi-||racvlis Clari, Opera

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

Visual Library

Th. 2832.

J. VII
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

das deutsche Original ist in 2 Ausgaben erschienen, davon die eine 1482 durch Anton Sorgen, die andere 1512 durch Hans Othmar gedruckt ist. Beide Ausgaben, mit vielen Holzschnitten geziert, sind sehr selten. Selbst die letztere war es schon zu Surins Zeiten, am Ende des 16ten Jahrhunderts. In neuerer Zeit hat Melchior Diepenbrock zu Regensburg 1829 eine neue Ausgabe veranstaltet – in neuhochd. Sprache.

—

Edit. 1ma 1555.
— alt. 1588.

Eine franz. Übersetzung nach dieser lat. erschien zu Paris 1586; eine italienische 1688; eine deutsche des Minoriten Anselm Hoffmann Cöln 1661 in 4to, der deutschen Urtext gar nicht gekannt zu haben scheint.

D. HENRICI

SVSONIS VIRI SANCTITATE, ERVDITIONE ET MIRACVLIS CLARI,

OPERA.

NVNC DEMVM POST ANNOS DVcentos & amplius, è Sueuico idiomate Latinè reddita à Reuerend. Patr. LAVRENTIO SVRIO Carthusiano.

Cum indice locupletissimo;
Contenta, lector, vide pagina sequente.



COLONIAE,
Apud Arnoldum Quentelium.
ANNO M. DC. XV.

Collegii Soctis JESV Paderbornæ 1697
dono p. Kloppenb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONTENTA HOC VOLVMINE.

Dialogus Sapientiæ & Ministri eius, sanè pulcherrimus.
Conciones aliquot vtilissimæ.
Epistolæ complures.
Dialogus de Veritate, cum Appendice.
Libellus optimus de Nouem Rupibus.
Centum Meditationes Dominicæ Passionis.
Preces Horariæ de Aeterna Sapientia.
Officium Missæ de Aeterna Sapientia.

CLARVIT AVTHOR IPSE CIRca annum Domini M. CCC. L. vti ex appendice Trithemiana liquet.

REVEREN=

DO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO LVDOVICO BLOSIO,
Cœnobij Lætiensis Abbati dignissimo, Domino ac Patrono suo reuerenter obseruando,
F. Laurentius Surius Carthusianus, S. P. D.

EN habes tandem, Reuerende Pater, quæ tu tantoperè desiderasti, D. Henrici Susonis viri sanctissimi & planè Apostolici opera, nulli non Christiano (vt equidem sentio) vtilissima: quæ tuo & quorundam aliorum hortatu è Sueuico idiomate Latinè conuerti, omninò persuasum habens, pijs quibusque hoc meo studio plurimum me commodaturum. Nam tametsi plerique hodie ita sint deprauato animi palato, vt nihil eos afficiant quæcunque ad veram pertinent veritatem, at nihilominus perplures supereſſe ambigo, quibus ea sint longè grauissima. E quorum numero te vel in primis esse, testatur præter alia multa, illud tuum epistolium, quo te significâsti optare plurimum, vt cuncta Susonis scripta Latino sermone redderentur. Itaque vt tum Reuerentiæ tuę, tum alijs Deum amantibus, ac magis

ac magis amare cupientibus gratificarer, libenter totum Susonem vertendum susscepi. De cuius viri scriptis quid sentiendum sit, is demum statuere poterit, qui ea non oscitanter, non perfunctoriè, non sola discendi libidine & curiositate, sed religiosè & attentè perlegerit. Credo equidem neminem tam saxeo esse pectore, qui non cælestis gratiæ inexperta priùs illustratione, sit nonnihil immutandus, si se sedulum horum præbere lectorem non recusauerit. Nam de industria vbique & in omnibus scriptis suis id agit, id molitur, vt cæcas hominum mentes ad Creatoris & sui cognitionem deducat, & ad visibilium contemptum, ac Dei amorem accendat: vt quoad eius fieri potest, Mundi huius ac rerum labentium, quibus proh dolor mortales penè omnes plus nimio addicti sunt, vanitatem, instabilitatem, fallaciam, perniciem ob oculos ponat, vt ijs cognitis, amorem suum indè reuocent miseri, totosque se conferant ad inquirendum, cognoscendum, amandum, fruendum Deum, qui solus potest totum hominis explere desiderium. De quo pulcherrimè dicit præclarissimus ille Ecclesiæ Doctor Augustinus: Fecisti nos Domine ad te, & ideò inquietum est cor nostrum, donec in te requiescat. Multos ego legi, qui efficacissimis rationibus persuadere conentur hominibus, vt curam agant salutis suæ, meminerint,

nerint, se Christo de omni vita rationem reddituros, fugiant Mundi oblectamenta, timeant tremenda Dei iudicia, cælestibus & æternis bonis perpetim inhient, & vt paucis agam, sobriè, iustè, ac piè viuant in hoc seculo, sed nescio, si quis nostro Susone de his scribat efficacius. Sermo eius Germanicus magnam habet gratiam, adeò vt Latino sermone eam assequi non potuerim. Deinde accedit mirabilis sancti Spiritus feruor, & vita sanctissima, quibus nihil non persuaderi possit. Facile enim permouetur lector ad sectanda & amplectenda quæ hortaris, si non verbis tantum, sed etiam exemplis ex teipso potissimum petitis possibilia declares, quæ amplectenda admones. Ea re factum ego arbitror, vt liber ille pijs omnibus notissimus, qui Horologium æternæ Sapientiæ inscribitur, & est à Susone non ita vt in Latino habetur, sed Germanicè compositus, postmodum verò à quodam nimia licentia non conuersus, sed totus ferè mutatus, alijs additis, alijs subtractis, quæ Germanicus codex non habet: vt is, inquam, liber hac de causa sæpissimè excusus, auidissime lectus sit, hodieque legatur, & tum fecerit, tum etiamnum faciat fructum mirabilem, multò vtique maiorem facturus, si, vt est ab authore editus, ita esset integra fide traductus: id quod ego nunc demum me præstitisse spero, mutato libri titulo, vtpote qui in Germanico

manico non habetur, de quo dolendum, est tam infidelem eum nactum interpretem, imò paraphrasten, cùm sit in Germanico succinctus, purus, mirè efficax, ne lectori prolixitate moueat stomachum, & nihilominùs id, quod vult, in eius animo efficiat. Nisi fallor, idem huius opusculi interpres fuit, qui trium librorum D. Ioan. Rusbrochij de nuptijs spiritalibus: qui sua illa transferendi immodica libertate effecit, vt malè audiêrit apud aliquos D. Ioan. Rusbrochius, vir omni laude superior. Hoc non est conuertere, sed peruertere sanctorum virorum monumenta, si addas & adimas pro tuo arbitratu, quicquid visum erit. At tamen nolim ego in illum interpretem, quisquis demum fuerit, acerbius inuehi, quia fecit, opinor, vt sibi consultissimum videbatur: & quamuis multum discessit à fide interpretis, tamen quia prodesse voluit, commendanda est bona voluntas, & eius causa leuius ferendum, quod non est secutus officium fidi interpretis. Sed vt ad Susonem reuertamur, qualis eius vita fuerit prolixè in operis huius penè extrema parte conscriptum est: licet omnia vitæ eius gesta memorabilia illic annotata non sint, sed pauca duntaxat è pluribus vt illi placuit alijs secreto sub alterius nomine aperire. Porrò in Germanico codice, vnde nos eius Lucubrationes transtulimus, quædam bre-

breuiter incerto authore commemorantur, quæ in eius longiori vita non habentur, quæ hic paucis inſerere libuit, ne ſi alibi ponerentur, Opus ipſum nimis prolixum euaderet. Itaque in baptiſmo nomen Henrici accepit at vbi in miram excreuit ſanctitatem, Deus Henrici vocabulum in AMANDVM mutauit. Sed humilitatis cauſa, quoad vixit, noluit id cuiquam patefacere: at poſt obitum eius inter reuelationes diuinitus illi præſtitas inuentum eſt, hoc ei nominis pro ſuo eximio in Deũ amore, ab ipſo Deo impoſitum. Cognomen ex patre vſurpare noluit, licet honeſta & inſigni eſſet familia oriundus: ſed matris, vtpotè ſanctiſsimæ Matronæ, retinuit, vt ſimul etiam virtutes illius æmularetur. Vnde factũ eſt, vt non Henricus Mõtenſis ex patre, ſed Henricus Suſo ex matre ſit paſſim appellatus. Vbi autẽ Conſtantiæ S. Dominici inſtitutum amplexus multum in pietate profecit, ac deindè Coloniæ Agrippinæ ad id vſque eruditionis prouectus eſt, vt iam iamque in Sacræ Theologiæ Doctorem eſſet promouendus, prohibuit eum Spiritus Domini Ieſu, ne eum honoris titulum ſuſciperet, dicens eum abundè ſatis perſpectum habere, qua ſe ratione ad Deum conuerteret, atque alios itidem ad Deum concionando pertraheret.

Ita ergò concionari exorſus eſt tanto cum

feruore & efficacia, vt celebre ex concione nomen referret. Erat autem hæc illi in concionando consuetudo, vt si quippiam notatu dignum dicere constituisset, quo Auditores attentos faceret, his verbis vteretur: Auscultate obsecro: en Suso pro suo nomine personabit, quod in Germanico longè significantius dicitur. Eum in modum ex suo nomine alijs vtebatur dicendi formulis, quibus populum attentum redderet, quę non possunt commodè Latinè exprimi. Scripta quædam sua multis annis recondita seruauit, donec sum obijsset diem, nemini ea exhibiturus modestiæ causa. Tãdem ratio cœpit vrgere eum, vt dum adhuc esset in viuis, Superiori suo ea offerret perlegenda, quod facilè posset, si qua occurrerent dubia, eorum rationem reddere. Et quamuis fortasis imperiti quidam, quorum non sunt magnipendenda iudicia, maligno animo ea carpere ac temere iudicare vellent, non attenta pia animi eius intentione, aut præ sua hebetudine & inscitia in seipsis nihil eiusmodi capere valentes: (euenire nanque poterat, vt eo defuncto in tepidorũ manus scripta eius inciderent, qui ipsi nullam adhibuissent operam, quô pijs ac eorum auidis communicarentur in laudem Dei: vel etiam vt rationis lumine destitutis, aut animo deprauatis ac malignis primò exhiberentur, qui ex sua inuidentia ea supprimerent, vt

crebrò

crebrò accidit) sumpta fiducia prȩcipuas quasdam ac difficilimas è suis scriptis excerpsit sententias, easque obtulit legendas Doctori cuidam Theologo mirificè diuinitus illustrato, ac præclaris animi dotibus affecto, per Germaniam instituti Dominicani primario Præfecto, quem Prouincialem vocant, nomine Bartholomæo. Qui eas studiosè perlegit, & modis omnibus approbauit, dicens sacris literis eas ad amussim consentire. Deinde volebat eidem Bartholomæo etiam ea, quȩ minus habebant negotij, examinanda, tradere: sed illo interim defuncto, cum non posset voto potiri suo, admodum tristari cœpit, quod nesciret quid ageret. Eam ob rem seriò se contulit ad obsecrandũ Deum, vt is, quid fieri expediret, indicare dignaretur. Apparuit ergò illi per visum memoratus ille insignis Theologus, multa luce conspicuus, aitque Deo esse pergratum, vt pijs omnibus scripta sua impartiret. Quod etiam fecit ex animo. Hactenus ex Germanico codice, quæ illic fusius habentur, comprehensius inseruisse satis sit. Nolui enim quicquam prætermittere, quod esset in rem lectoris. Possem hic multis adhortari Lectores, vt postpositis nugis & pernicioſis scriptis, conferant sese ad eiusmodi lectitandos codices, qui non nisi Christi spiritum resipiant, ne quandoque acerbissimè, quamuis frustra, doleant se bonas horas tam

malè collocâsse. Sed tędet me surdis verba facere. Video ego hoc corruptissimo seculo ita pleroſque omnes affectos esse, vt quasi dedita opera ipsi sibi perniciem adscisscant. Nôrunt quidem extremis ijsque ęternis supplicijs puniendos eos omnes, qui hic malè vixerint: tamen nescio qua vel demętia, vel desperatione, vel impietate contemnunt minas omnipotentis Dei, & suis indulgent affectibus: absit vt quisquam eos ab hac peruersitate reuocare ausit. Si quis ea sit impudentia, vt nihil dubitet, quamuis malè viuentibus Dei certã misericordiam & impunitatem, modo fidem solam habeant, promittere: eum sic auscultant omnes, eiusque scriptis tantam adhibent fidem, vt olim solebant Appollinis oraculo. Si quis contra eam reprąhendat temeritatem doceatque omnem Sacram Scripturam comminari æternos cruciatus malè agentibus, polliceri ęterna præmia rectè viuentibus, irrident eum tanquam delirum & emotæ mentis hominem. Quid igitur faciastám occæcatis & penè in furorem versis hominibus, qui omninò perire volũt? Poterat ea res ab euulgandis sanctorum virorum Lucubrationib. absterrere pleroſq;, nisi quod Christiana charitas non patitur, propter innumeros impios & suæ salutis incurioſos, paucos Dei electos negligere, quos certum est huiusmodi operũ studioſa lectione maxima sæpè emolumenta con-

consequi. Sed nè Reuerendæ Paternitati tuæ tædio sim, dum sum prolixior, omissis alijs, quæ huc adferri possent, tibi Suscipiende Pater & Abbas dignissime ac eruditissime, Susonis nostri opera ex animo dedico, vt tuo potissimum nomine exeant in manus piorum, qui totus es ipse pius ac pietatis amãtissimus. Nolo hic Reuerentiæ tuę encomiasten agere, quod certus sim laudibus te cruciari potius quam delectari. Quicunque tua legerũt scripta, ex illis possunt de tua erga Deum & proximum charitate, multa prudentia, & haud vulgari eruditione coniecturam facere: vt cæteras animi tui pręclaras dotes prætermittam. Oro autem, Reuerentia Tua placido vultu & cãdido animo accipiat, quod promptissima & deditissima mente offero, suisque precibus me commendet Christo Opt. Max.

Vale Pater celeberrime. Coloniæ ex
Cœnobio nostro Carthusiano,
pridiè Ascensionis
Domini, 1555.
(?)

PRAE-

PRAEFATIO IN SEQVENTEM DIALOGVM.

Quāta summi boni appetibilitas.

IAm inde ab initio hominem ea potißimum cauſa ab optimo Deo conditum eſſe, vt ipſo tanquam verò & ſummo bono aterno fruatur, nemo eſt, qui neſciat. Itaque ex ipſa quoque natura non homines tantum, ſed etiam res creatæ omnes ſummum bonum appetunt: quandoquidem nihil eſt in ſubſtantijs rerum, quod boni illius non ſit aliquatenus particeps. Ex illo enim tanquam primario & immenſo fonte in omnia bonitatis quædam participatio deriuatur, & vt ait Pſalmographus, aperiente ille manum ſuam, omnia implebuntur bonitate. Nec poteſt quiſquam verè beatus aut dici aut eſſe, niſi quatenus illi ſummo ac vero inhæret vniturque bono, in quo ſolo mens Dei ſimilitudine inſignita, plena perfectaque fruitur pace ac tranquillitate: à quo quanto aberat longius, tanto fit miſerior & calamitoſior. Omnes igitur ex ipſa quoque natura volumus eſſe beati, atque eò omnium tendunt ſtudia & conatus, videlicet vt poßint eſſe felices: ita alij congerendis opibus, alij comparandis honoribus, alij perfruendis voluptatibus totos ſeſe dedunt, non alia ſanè ratione, niſi vt eiuſmodi rebus adeptis, beati efficiantur. Sed vt intelligas animos D. EI capaces explēti nulla re

Pſalm. 103.

Beatitudinē quā cupiant omnes.

alia

alia, præterquam summo bono posse, animaduerte miseros iam dictis vanitatibus inhiantes, non solum ex illarum fruitione beatos & contentos non effici: sed quo pluribus abundant, eò maiori plures obtinendi desiderio perpetim cruciari ac miserè diuexari, inuidere alijs, si quos cernant illis vberius affluere, & toto vitæ spatio inanissimis confici curis & angoribus, satis superque vel hoc solo omnibus testatum reddentes, non esse in eiusmodi certam constituendam felicitatem. Et tamen dum ist hæc aucupantur, hoc vnum spectant, vt quadam beatitudine potiantur. Hic error totum ferè hominum genus occupat, vt veræ beatitudinis neglecto fonte, cisternas ipsi sibi, vt ait Propheta Hieremias, fodiant dissipatas, Hier. 2. quæ continere non valent aquas, dum illis ex rebus venantur felicitatem, in quibus felicitas nulla inest. O nimis deploratam humanæ mentis cæcitatem. O infelicissimam humani generis conditionem, vt quæ à prima sua dignitate vsque adeò degenerárit. Non ea sententia tam præclarè à Deo conditi sumus, vt hisce nugis & somnijs, hisce terræ oblectamentis & falsis (vt ait Propheta) vanitatibus tanquam fini Psalm. 39. vltimo inhæreamus. Non ea causa Dei Filius tot cruciatus, tot miserias, tam probrosam denique mortem perpessus est, vt in exilio semper optemus degere. Alia tibi ô homo Deus & Dominus tuus ex omni æternitate, bona præparauit. Quid tibi & rebus hisce Psalm. 8. visibilibus? Omnia hæc tuis pedibus subiecit Deus, vt noueris calcanda esse, non appetenda. Cæli palatia Deus tibi pollicetur, & tu terram charius amplecteris?

cteris? Ille ad libertatem filiorum suorum te vocat, & tu dæmonum ac carnis tuæ mancipium esse mauis? Sic proh dolor maxima hominum pars, malorum spirituum dementata præstigijs, à suo auersa Conditore, in terrenarum voluptate cœno volutatur, nec vnquam suos attollit obtutus ad contemplanda cælestia, quibus fruendis destinata est. Quis non hanc hominum amentiam vel sanguineis deploret lachrymis? Interim absque numero ruunt miseri in Tartara, & pro breuissimis carnis suæ delicijs pœnas luunt sempiternas. Redemptoris benignissimi immensa beneficia, maximè quæ in assumpta natura nostra nobis præstitit, apud omnes fere in obliuionem abierunt, nec quisquam ea ad mentem reuocare dignatur: cum tamen, vt ea nostris semper cordibus infixa hærerent, Dominus Iesus corporis & sanguinis sui Sacramentum nobis reliquerit. Quatuor extrema, quæ commemorare nos hortatur Ecclesiasticus, nemo penè vel tenuiter contemplatur. Denique quicquid saluti conducibile est, respuitur: quicquid exitiale, summe appetitur. Et tamen nisi animum ad considerandà salutifera accommodemus, nisi ea quæ salutis sunt, libenter vel ab alijs audiamus, vel scripta legamus, fieri non potest, vt salutem consequamur, perinde vt sanitatis beneficium æger assequi non potest, qui non vult opportuna suo morbo remedia ab alijs discere & accipere. Certè non desunt nobis codices innumeri, quibus legendis facilè possumus ad saniorem reduci mentem, & in vitiorum odium ac Dei amorem accendi.

Amentia quæ quî deflenda.

Quid curIesus nobis reliquerit.

Eccl. 7

vendi. Et vt alios præteream, offertur hic nobis venerabilis Henrici Susonis Dialogus, breuis quidem verbis, sed sententiarum pondere grauissimus, qui miro compendio luculenter explicat, quicquid ad beatam vitam potest esse conducibile. Habet enim præcipua quædam nostræ salutis incitamenta, eaque diligenter persequitur, vt solus hic libellus, si alij desint, multorum loco esse queat: quem si legere non pigeat, quamuis ignarum ac rudem, quamuis durum ac desidem, quamuis ingratum & auersum possit reducere ad Deum vitæ fontem & salutis authorem. Non est opus, in huius libelli commendatione fusius immorari. Ipse se Lectori abundè probabit. Faxit Christus Iesus, vt tamen quandoque saluti nostræ consulamus, consultumque cupiamus. Multi proh dolor tempus suum vanis rebus addiscendis pessimè dederunt, quæ tamen nec meliores, nec feliciores, nec sapientiores eos efficiant. Ex hoc breui Opusculo, quisquis vult, summam potest haurire sapientiam, & tum in Dei, tum sui cognitionem haud vulgariter perduci. Quæ cum didicerit, sapiens erit: quibus ignoratis, quanto plura nouerit, tanto erit imperitior & indoctior. Multi multa nôrunt, ijdemque seipsos nesciunt. Et vt poeta quidam ait, vix decimus quisque est, qui ipsius sese nouerit. Immò vix è centum millibus vnum reperias qui sese probè cognitum habeat. Quid verò prodest nôsse plurima, si teipsum nescias? Agè ergò humanissime Lector, accede ad huius Dialogi lectionem

Quãta dialogis sequẽtis vtilitas.

Quam pauci sese nôrint.

1. Cor. 1. *ctionem, vnde discès verè ac feliciter viuere, vnde veram hauries sapientiam, cui omnis ferè Philosophorum collata scientia, mera dementia comprobabitur. Stultam enim fecit Deus scientiam huius mundi.*

D. HEN.

D. HENRICI SVSONIS VIRI CELEBERRIMI DIALOGVS INSIGNIS DE *præcipuis Christianæ pietatis adminiculis, & facilima ratione ad veram sapientiam, summamq; felicitatem pertingendi.*

COLLOQVVNTVR SAPIENTIA, & minister eius.

Vt quosdam Deus gratiæ suæ adspiratione nescientes ad se trahit.

CAPVT I.

HANC amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere. Sapien. 8.

Verba hæc in Sapientiæ libro scripta leguntur, pertinentq́e ad suauissimam, longeque amabilissimam illam æternam Sapientiã. Quidã ætate adolescens, in primis suis annis in dissimilitudinis regionem deflexerat, & longius euagatus erat. Huic æterna Sapiẽtia spirituali quadam & ineffabili specie occurrẽs per dulcia eum traxit, & acerba, donec ad ipsissimas eum diuinæ veritatis semitas reduceret. Qui cum postmodum mẽte reuolueret iucundum & glorioſum illum DEI tractum, dixit ad Do- Dialogi huius argumẽtum.

ad Dominum: A primis ætatis meæ initijs, dulcissime Deus, animus meus flagranti siti & desiderio quippiam infectatus est, quod quid sit, nequedùm satis compertum habeo. Equidem multis annis id medullitùs persecutus sum, eique ardenter inhiaui, nec tamē illo adhuc vnquàm pro voto potitus sum. Nam quid reuera sit, me etiamnum aliqua ex parte latet. Et tamē quippiam est, cor animam q; meam ad se rapiens & post se trahens, quo fine nunquam planè quietus esse potero. In ipsa quidē pueritia mea, instar aliorum, in creaturis id perquirere institueram: sed quo ad illos me propiùs adiunxi, eò hinc longius aberraui: quantoq; in illis plùs quæsiui, tanto huius minùs reperi. Quælibet enim rerum visibilium species, antequam eas penitus perscrutatus essem, aut in eis conquieuissem, ita intus mihi loquebantur: Non sumus nos id quod inquiris. Atque hoc pacto creaturæ omnes semper me alio remiserunt ac propulerūt. Iam verò totus corde æstuo, illud consequi concupiscens: & licet sæpenumerò deprehenderim, quid non sit, sed tamen quid sit, nondum mihi perspicuum est. Ecquid tandem est Deus omnipotens, aut cuiusmodi est, quod tam amanter & benignè me illicit & inuitat?

Quàm nihil sit creaturis ānixi.

Quomodo creaturæ nos in Deum remittant.

AETERNA SAPIENTIA. Non tui agnoscis, cum tamen te suauiter complexum sit, sæpiusq; viam tibi præcluserit tuam, donec te sibi vni adiungeret? MINISTER: Nunquam mihi illud neque videre, neque audire contigit, itaque quid sit ignoro. SAPIEN. Meritò quidem id passus es. Etenim creaturarū familiaritas, & illius incuria id effecerunt. At nunc inter-

internos intende obtutus, & respice quis sim. Equidem illudipsum sum æterna Sapientia, quæ ex omni æternitate mihi te delegi cõplexu perennis prouidentiæ siue prædestinationis meæ. Ego toties viam tuam spinis sepiui, quoties à me factus eras alienior, haud secus quàm si te dereliquissem. Atque ita in omnibus semper aduersi quippiam expertus es, quod se tibi opponeret: quod est certissimum electorum meorum signum, quod eos mihijpsi applicare velim.

Molestiæ vitæ an fortuitæ.

Electionis signum certiss. quod.

MIN. Túne igitur illud es suauissima Sapientia, quod tam diu quæsiui, cui animus meus perpetim inhiauit? Et cur hucusq; tui manifestam exhibitionẽ distuliſti? Heu me, quot difficiles peragraui vias? SAP. Si quidem tum me tibi declarassem, non perinde sentires & agnosceres bonitatem meam, atq; modò eam intelligis. MIN. O bonitas immensa, quam suauiter, quam benignè te mihi exhibuisti. Cum nõ essem, creasti me: quando te deserueram, tu me minimè deseruisti: cũ procul à te effugere volui, dulcissimè cepisti me. Quamobrem si cor meum in mille scindi partes, tetq; gaudiũ suum posset circumplecti: si omnes vitæ meæ dies perpetuo tuî amore & perfecta laude tecum exigere liceret, id mihi longè esset optatissimum. Reuera namq; beatus ille est, quem tu tam benignè præuenis & anteuertis, vt nusquam veram eum perfrui requie sinas, donec in te vno velit acquiescere. Quando igitur tu ipsa es, ô æterna Sapientia, quam amo & ardeo, ne quæso despicias indignam creaturam tuam. Aspice, rogo, vt cor meum erga quæuis Mundi & prospera &

Verè beatus quis.

aduersa occaluerit. Visne ergò, vt etiam apud te semper obmutescat? Rogo, dulcissime Deus, permitte miseræ animæ meæ vel vnicum tibi proferre sermonem. Neq; enim redundans cor meum diutius sese cohibere potest. Atqui in toto hoc terrarum orbe neminem habet, in quo se recreet aut oblectet, nisi in te suauissime Domine, frater amantissime. Tu solus Domine, probè nôsti & perspicis cordis amantis ingenium: neque te latet non posse id quenquam amore prosequi, quod nulla ratione cognoscat. Cùm igitur te solum diligi velis, da pleniorem tui notitiam, quo te perfecta charitate complectar. SAP. Processus siue effluxio rerum omnium, ex sua prima origine DEO naturali ordine à præstantioribus ad infima deducitur: reditus autem in eandem originem, fit per inferiora vsque ad suprema. Si igitur in mea me ineffabili diuinitate contemplari voles, dabis operam, vt in mea me afflictionibus attrita humanitate nosse & amare discas. Hæc enim compendiosior est ad æternam beatitudinem via.

Breuiss ad beatitudinẽ via quæ.

MIN. Quando ita se res habet, equidem te nunc admoneo Domine, immensi illius amoris, quo adducte è sublimi paterni cordis throno in hoc exilium, & in tantam tui abiectionẽ & contemptum triginta & tribus annis te demisisti, præcipuamq; erga me & cæteros mortales omnes charitatem tuam acerbissima horrendæ mortis perpessione potissimum declarâsti. Per hæc, inquam, te oro & obsecro, vt animæ meæ spiritualiter tete exhibeas & manifestes, idq; specie amabilissima, quam vnquam

ex im-

eximmenso amore susceperis vel cõtraxeris.

SAP. Quanto me ab amore magis superari, mortisq; deformitate maiori affici passus sum, tanto etiam menti bene constitutæ sum amabilior. Ingens vis charitatis meæ in ineffabili passionis meæ acerbitate relucet, haud aliter quã Sol in suo splendore, vernans rosa in suo odore, & ignis vehemens in flagranti suo æstu & ardore. Attento igitur & pio auscultes animo, quàm amanter, quàm cruciabiliter tua causa perpessus sim.

Qualiter Christi charitas in eius passione elucceat.

Quid ante crucifixionem Dominus pertulerit.

CAPVT II.

POST peractam cum discipulis meis cœnam vltimam, cùm in monte me obtulissem, ac resignassem ad perferendũ mortis horrendæ supplicium, eamq; mihi propediem imminere sentirem, præ angustia tenerrimi cordis mei ac totius corporis pressura, sãguinem sudaui: deinde atrociter captus, dirè ligatus, miserandum in modum abductus fui. Eadem nocte verberibus, sputis, oculorum obuelatione indignè & contumeliosè me tractarunt. Coram Caipha iniquè accusatus & morti adiudicatus fui. Erat sanè miseria, purissimã Matrem meam ineffabili cordis dolore correptam cernere, ab eo tempore quo me tantis vidit angustijs laborantem, donec essem in crucẽ suspensus. Ad Pilatum summa cum ignominia me adduxerunt, falso detulerunt & accusarũt, mortis sententia plectendum censuerunt. Sta-

Quanta qualiave Iesus pro nobis sit passus.

bant illi coram me terribili adspectu, non aliter quàm immanissimi gigantes: & ego inter illos vt ouis mansuetissima assistebam. Apud Herodem idem ipse, licèt æterna sim Sapiẽtia, in albaveste irridiculè delusus fui. Corpus meum elegantissimum crudelibus flagellorum ictibus miserè conscissum ac dilaceratum fuit. Sacrosanctum caput meum spinis confixerunt: & faciem gratissimam sputa & sanguis oppleuerunt. Atque ita mortis sententia damnatum, cum cruce me turpiter & miserabiliter ad vltimum ferendum supplicium eduxerunt. Terribiles in me voces & rugitus dabant, ita vt procul audiretur: Crucifige, crucifige hominem nefarium.

MIN. Heu Domine, si tam acerba sunt tuæ passionis initia, qualiter erit eius exitus? Reuera si brutum animal hoc pacto coram me tractari cernerem, vix ferre possem. Quanto igitur dolore cor animamqúe meam conficere iure debet passio tua? Est tamen hîc quod magna me admiratione afficit. Ego enim dulcissime Deus non nisi Diuinitatem tuam nôsse cupio: & tu mihi humanitatem commemoras. ego tuam aueo experiri dulcedinem, & tu amaritudinem proponis tuam. Mihi non nisi ad vbera pendere liberet, & tu me ad certamina instituis. Quidnam hoc sibi vult Domine Deus?

Delicię quæ quali molestia obtinẽdæ

Humanitas Christi via ad diuinitatem: eiusdem passio ostium ad eandem.

SAP. Nemo potest ad Diuinitatis meæ celsitudinem, neque ad insolitam pertingere suauitatem, nisi ante per humanitatis meæ ducatur amaritudinem. Nam quo quispiã sine hac altiùs conscẽdere nisus erit, eo profundius collabetur. Humanitas mea iter est, quo pergatur.

Passio

Passio mea ostium est, per quod ingredi oporteat, quisquis id, quod tu concupiscis, velit adipisci. Facessat igitur cordis tui pusillanimitas, & ad me huc in circum militaris strenuitatis accede. Neque enim fas est seruum delicijs dissolui, vbi Dominum suum videt in acie fortiter confligere. Equidem te meis nũc armis cõmuniam siue induam. Ita enim necesse est passionem meam omnem vt ipse quoque experiaris pro viribus. Sume igitur animum planè virilem: certus, crebras tibi cordis perferendas mortes, antequam naturam possis sub iugum mittere, atq; etiam præangoribus cruenti sudoris, quem multijuges acerbæ afflictiones, quibus te mihi præparatum efficiam tibi expriment. Enimuerò hortum aromatum tuorum rubicundis adspergam floribus. Contra morem tuum & inolitas consuetudines vinculis implicaberis & constringeris: Ab aduersarijs meis clãdestinis sæpè vexabere calumnijs, & propalàm confunderis. Multa in te ferentur iudicia temeraria. Passionem meam in tuo pectore materna fide & intima charitate circumferes. Complures perpeti habebis religiosæ vitæ tuæ iniquos iudices & calũniatores. Ita fiet, vt pia institura tua ab hominum viuendi consuetudine crebrò ceu fatua irrideantur, corpus tuum inexercitatum dura & aspera viuendi ratione flagelletur & castigetur, atque nugatoriè coroneris sanctæ vitæ tuæ obtrectationibus, quibus ea pessum premetur. Indè verò mœstum educeris, & miserabile illud crucis ferendæ iter conficies, vbi propriæ renunciaueris voluntati, teipsum abnegaueris, & à creaturis omnibus

Quæ prius quam naturã vincas ferenda.

Abnegatio quæ cui maximè necessaria.

busvsqueadeo te seruaueris liberum & expeditum in ijs, quæ possint æternæ saluti tuæ aliquod obijcere impedimentum, vt aliquis iamiamq; moriturus, & nec quicquam posthac cũ hac vita commercij habiturus.

MIN. Dura sunt & molesta audi tu ea, quæ commemoras Domine. Totus hinc corpore contremisco. Et quî tandem cuncta hęc perferre potero? Liceat, oro, Domine pace tua quippiam percontari. Itáne tu æterna Sapientia aliud nõ poteras excogitare consilium siue modum, quo & me seruares, & tuum mihi amorẽ testatum efficeres, vt & tibijpsi à tam duris parceres perpessionibus, & mihi non esset opus tã acerbè tecum pati? *Quam stupẽda sunt iudicia tua?*

Rom. 11. Abyssus quæ, quantaque.

SAP. Abyssum impenetrabilem occultorũ iudiciorum meorum, quibus ego cuncta moderor pro sempiterna prouidentia mea, nemo peruestigare debet, quandoquidem à nemine compræhendi vel attingi potest. Et tamen eidem ipsi, & id quod tu proposuisti, & multa alia fuissent possibilia, quæ tamen nunquam fiunt. Atqui id certũ tibi sit, vt nunc sese res creatæ habent, nullum alium potuisse conuenientiorem reperiri modum. Author naturæ non tam id spectat, quid ipse possit in rerum natura, quàm quid cuiq; rei maximè congruum sit: atq; iuxta hoc etiam operatur. Qua igitur ratione melius potuissent homini innotescere secreta Dei, quam per assumptam à Christo humanitatem? Qui ex inordinata delectatione ipse se gaudio priuârat, quo alio modo potuisset ordinatius siue conuenientius ad æterna reduci gaudia? Viam minimè tritam asperæ &

Incarnationis & passionis Christi modus quam fuerit opportunus.

dispectæ

dispectæ vitæ quis tandem ingredi vellet, nisi eam Deus ipse calcaret? Tu quidem si morti essēs obnoxius,& alius in se reciperet mortis sētentiam, qua is alia ratione maiorem erga te fidem& charitatem declarare,aut efficacius ad redamandum te prouocare posset? Quem igitur immensus amor,inexplicabilis misericordia,præclara Diuinitas,purissima humanitas, fraterna fides, candida & suauis amicitia mea ad medullitùs me redamandum non extimulat neque permouet,ecquid tandem saxeum illius pectus emollire queat? Consule (si libet) creaturarum omnium pulcherrimum ordinem, vtrumne alio decentiori modo seruare iustitiam,ineffabilem exhibere misericordiā, humanam euehere ac nobilitare naturam,impartiri bonitatem meam,cælum & terram cōciliare potuerim, quàm acerbissimam ferendo mortem?

MIN. Iam quidem sublucet mihi,planeqúe animaduertere mihi videor, ita esse vt asseueras Domine: & quisquis non omnino rudis & cæcus est,velitq; rem iusto perpendere iudicio, in tuam eat sententiam necesse est, atq; hunc ipsum decentissimum modum quibusuis alijs siue modis siue vijs anteponat,Interim nihilominus pigro ac corruptibili corpori molesta est tui imitatio.

SAP. Nihil te frangant passionis meæ sectanda vestigia. Cui enim adeò Deus cordi est, siue intus vnitus est, vt crux ipsa quoque facilis sit toleratu ac leuis, non habet sanè quod conqueratur. Nemo ex me plus capit inusitatæ dulcedinis, quam qui acerbissima mecū amaritu-

Compatiendi Christo fructus quantus.

ritudine laborat. Corticis acerbitatem ille potissimum queritur, cui non est comperta nuclei dulcedo. Iam magna ex parte certamen peregisse censendus est, qui meo nititur præsidio & adiutore.

MIN. Hisce tuis consolatorijs sermonibus ita sum animatus Domine, vt mihi videar in te posse omnia & agere & perpeti. Precor igitur, vt tuæ passionis thesaurum penitus mihi explices, eamque latius prosequaris.

Vt Dominus in cruce secundum exteriorem hominem affectus fuerit.

CAPVT III.

SAP. Suspenso & affixo me ad sublimẽ crucis stipitem, (quod equidẽ nimio ex amore tua & Mortalium omnium causa pertuli) tota corporis mei habitudo vel species miserandum in modum immutata fuit. Illustres oculi mei suum perdidêre lumen, aceuertebãtur: Diuinæ aures ludibrijs & blasphemijs cõplebantur: præclarus olfactus tetro verabatur odore: Os suauissimum acerba cruciabat potio: tactus tenerrimus duris torquebatur plagis. Non erat mihi vlla tunc ex toto orbe terrarum vel modica quies ac refrigerium. Enimuerò sacrosanctum caput meum: præ dolore & incommodis hærebat pendulum collum forma conspicuum, immitissimis contusum erat verberibus: nitidissimam faciem putentia deturpârant phlegmata: color integerrimus, in pallorem versus erat. Denique vique adeò decor omnis corporis mei extabuit, vt nihilà

Crucifixi Iesu dolor quis & quantus.

lepro-

leproſo differrem: immò quaſi nunquam fuiſſe viderer: cùm eſſem Sapientia ſole ſpecioſior.

MIN. O ſpeculum totius gratiæ lucidiſſimum, *in quem angeli deſiderant proſpicere*, in quo ſuos oblectant & defigunt obtutus, vtinam mihi amabilem vultum tuum ea mortis ſpecie affectum tantiſper habere liceret, dum cordis mei lachrymis eum vbertim rigarem, & nitētes oculos, genas luculentas, os delicatum, at nunc pallidum & emortuum bene perſpicerē, atque intimis ſuper ipſo querimonijs & lamētis animo meo ſatisfacerem. Eſt Domine reperire quoſdam, qui tua paſſione vehementiſſime afficiantur, eandemq; pijſſimis querimonijs & profuſis lachrymis medullitus proſequantur. Atque ô ſi poſſem ego hodie piorum omnium lugubres querelas ſolus præſtare, oculorum omnium perſpicuas fundere lachrymas, cunctarumque linguarum voces promere lamentabiles: certè iam re ipſa declararem, quàm me cruciet acerbiſſima paſſio tua.

1. Pet. 1.

SAP. Nemo veriùs teſtatum reddit cordis ſui dolorem erga paſſionem meam, quàm qui eandem vna mecum re ipſa & factis exprimit. Mihi quidem longè gratius eſt cor, omni caduco amore vacuum & expeditum, atque ad ſupremam capeſſendam perfectionem iuxta vitæ meæ propoſitum exemplar perpetua ſedulitate intentum: quàm quod continuis me proſequatur lamentis, totque fundat lachrymas cauſa paſſionis meæ, quot vnquā pluuiæ guttæ ex aere defluxerint. Si quidem acerbiſſimæ mortis

Deo inter omnia quid maxime gratum.

Christus quid mortis suæ perpessione potissimum voluerit.

mortis perpessione hoc potissimùm spectaui & volui, vt me homines imitentur: quanquam & pię lachrymæ mihi cumprimis acceptę & gratæ sint.

MIN. Quandoquidem benignissime Deus tantopere tibi placet mitissimæ vitæ & amantissimæ passionis tuæ imitatio, deinceps maiorem collocabo operam pro viribus sectandæ, quàm lamentabiliter deplorandę passioni tuę. Sed quia vtrunq; tibi placet, doce me, obsecro, qua ratione tuæ me passioni conformare debeam.

Vtl se quis passioni Dominicæ potissimum conformet

SAP. Interdicito tibijpsi voluptate curiosi ac dissoluti adspectûs & auditûs: dulcescat tibi & placeat ex amore, quod priùs ægrè ferebas: corporis oblectamenta respue: in me solo conquiescas: aliena mala feras suauiter & moderatè: tuî contemptum desidera: frange appetitiones tuas, & voluptates omnes ac desideria pessum preme. Hæc prima sunt elementa in schola Sapientiæ, quæ in patẽti & expanso crucifixi corporis mei volumine leguntur. Sed hîc vide, obsecro, etiam si quis omnes intendat neruos suos, num talem se mihi præstet, qualis ego illi fuerim.

Sapientiæ prima elementa vnde sumenda, & quænam illa sint.

Quam fida fuerit Christi passio.

CAPVT IV.

MIN. Etiamsi Domine quædam me capiat obliuio præstantiæ tuæ, donorum tuorum, atq; vtilitatis quę nobis accessit ex passione tua, itemq; omnium aliorum, ad huc tamen quiddam me valde permouet, dum vide-

videlicet recta mecum reputo via & diligenter expendo non solum instauratæ salutis nostræ modum, sed etiam immẽsam fidelitatem, cùm eodem modo coniunctam. Plerique eiusmodi a- lijs præstant beneficia, vt amor & fides eorum ex ipso gratificandi modo, quàm ex collatis muneribus sit manifestior. Et reuera quamuis exiguum munus sępe maiorem habet gratiam, si ex magna fidelitate proficiscatur, quã ingens beneficium, si non eodem modo conferatur. Tua verò beneficentia Domine nõ solùm præcipua est, sed etiam modus illius immensam habet sibi adiunctam fidelitatem. Neque enim mortem duntaxat mea causa perpessus es, sed etiam quicquid est in amore extremũm, absolutissimum & abditissimum siue penitissimũ, quo quis possit velle pati, id expetijsse. Feciſti nimirum perindè ac si diceres: Perpẽdite Mortales omnes, fueritne vnquam cor vllum adeò charitate refertum. Et tamen si cuncta membra mea nobilissimum illud fuissent membrum, nempè cor transfigi ea & perimi, ac secari, & particulatim conteri permisissem, ne quid in me esset reliquum vobis non impensum, vt vel sic meam possetis agnoscere charitatem. Obsecro Domine, quid tunc animi habuisti, aut quidnam tibi venit in mentem, vt tam dirè patereris? Poteras tamen minori negotio nos redimere.

Beneficia quæ quibus præstantiora.

Charitatis Diuinę erga nos, delineatio.

SAP. Nullus vnquam, quanuis aridissima confectus siti, tantoperè perspicuas fontis alicuius suspirauit vndas, neque quisquam iam iamq; moriturus, vitæ huius perinde optauit luce perfrui, vt ego optaui cũctis peccatoribus ferre

ferre subsidium, mecq; eis amabilem efficere. Citiùs quis præterlapsos reuocauerit dies, & flores aridos in pristinam reformauerit viriditatem, cunctasq; è cælo lapsas pluuiæ guttas collegerit, quam meum erga te alioſque homines omnes amorem comprehendat vel dinumeret. Qua re factum est, vt tot ego toto corpore amoris signa præ me tulerim, vt nec acus vnius acies vllam vndique vulneribus confecti corporis mei particulam pungere potuerit, quæ non esset peculiari quadam amoris nota insignita. En dextram manum clauus transfixerat, per sinistram itidem clauum adegerant, Dexterum brachium dirè intenderant, sinistrum crudeliter expanderant. Pedem dextrũ clauus perforârat, læuus plagam horribilem acceperat. Hærebam cruci ceu planè impotens, nimiaqúe cruciũm lassitudine prægrauatus. Cuncta membra mea immobiliter ad illud crucis ergastulum compressa & adstricta erant. Feruidus sanguis meus necessitate compulsus, multis locis fortiter erumpebat, totum inficiens siue cruentans & perfundens moribũdum corpus meum: quod erat profectò visu miserabile. Atque ô rem miserãdam, iuuenile, pulcherrimum, ac floridum corpus meum exaruit, exaruit, expalluit. Dorso tenerrimo durum erat stratum crucis asperitas. Corpus præponderè suo iugiter deorsum ferebatur. Denique totum corpus vulneribus & liuore confectum erat. Atque hæc omnia corde amantissimo placidè ferebam.

Pœnæ Iesu in cruce distenti quantæ.

Vt ami-

Vt anima sub cruce intimam cordis compunctionem, & peccatorum remissionem obtineat.

CAPVT V.

MIN. Agè nunc anima mea totam te collige & reuoca ab omnibus rebus externis in tranquillum interioris hominis silentium, quò totis prorumpas viribus, excurrasque & euageris in vastissimam immensi doloris cordis solitudinem, in præcelsas eius quam incidisti miseriæ & calamitatis rupes, ac sitibundo mœstoq; pectore tantos edas clamores, vt vltra valles & montes per sublimem aerem in ipsum vsque cælum coram toto cælestis palatij exercitu penetrent, atque id genus vtaris lamentationibus: O vos vitales ac cælestes capreæ, ceruique camporum illustrium quis mihi tribuat, vt flagrantissima redundantis cordis mei flamma, feruentesque lamentabilium lachrymarum mearum vndq; vos excitent permoueantq;, vt vna mecum ploretis immensos cordis mei licèt occultos dolores, quibus conficior excruciorq; ? Heu me infelicem, Pater ille cælestis piæ cunctis rebus corporeis me exornatam sibi in charissimã sponsam adoptârat. At ego ab illo procul aufugi. Heu me, Patrem illum meum perdidi, vnicũ & prę omnibus electũ perdidi amatorẽ meũ. Hei mihi, hei mihi, heu me miserã, quid feci? quid pdidi? Meipsã prohdolor & tãtã cælestis patriæ frequentiã amisi. Quicquid gaudio & exultatione afũcere posset, me planè destituit deseruitq;, & iam

Animæ piæ pia lamentatio.

& iã nuda relicta sum. Enimuerò fallacioſi amatores mei, nõ niſi impoſtores fuêre. O crudelesillos carnifices. Heu me fallaciter ac miſerandũ in modum dereliquerũt, direptis & diſtractis bonis omnibus, quibus vnicus ille amator meus me ornauerat. Eheu omni me honore, gaudio, conſolatione penitús diſpoliarunt. Quid enim poſſit mihi vnquam eſſe ſolatio, aut quô me vertam, quam totus reliquit Mundus, ſiquidem & ego reliqui meî amantiſſimum, Dominum meum? Hei mihi, hei mihi, eò calamitatis me quandoq; recidiſſe. O infelicem horam illam, qua id mihi accidit. O quotquot vſpiam eſtis roſæ rubentes, & lilia candẽtia, reſpicite me bulbum agreſtem, reſpicite me ſenticoſum fruticem, ſimulq; animaduertite, quàm cito flacceſcant, areſcant & pereant flores, quos Mundus hic carpit. Equidem poſthac ſemper neceſſe eſt viuens moriar, virens areſcam, iuuenis conſeneſcam, ſana langueſcam. Et tamen Deus benigniſſime, nullius momẽti eſt, quicquid patiar, ſi cum illo ſolo conferatur, q̃ paternos oculos tuos offendi. Id enim mihi omninõ tartarus quidam eſt, & crux omni dolore intolerabilior. Hei mihi, quòd tam benignè abs te præuenta, tam ſuauiter admonita, tã placidè & amicabiliter inuitata & tracta: tamẽ hæc omnia penitus neglexi & obliuioni tradidi. O mors, ô duritia cordis humani, talia te poſſe perpeti. O ſaxeum, & plùs quam adamantinum cor meum, cur non præ dolore crepas & ſcinderis? Antehac dicebar ſponſa chariſſima regis æterni. Atqui vę vę miſeræ mihi, iam nec ancillæ vltimæ nomen mereor. Oculos meos

præ

præ nimio pudore nunquam attollere ausa ero. Os meum perpetuo obmutescat coram illo necesse est & in prosperis & aduersis rebus. Eheu, quàm mihi angusta est totius orbis amplitudo. O Deus meus, quãquam me vellem alicubi in vasto positam nemore, vbi nec videri possem, nec audiri, donec pro cordis desiderio ad satietatem vsque lachrymas fudissem, quò simul etiam cor meum anxium & prægrauatũ nonnihil releuarem. Nam nulla mihi alia superest consolatio. Eheu peccatum, peccatum, quò me adduxisti? O Munde fallacissime, væ seruientibus tibi. Iam capio præmium tuum, recipio stipendium tuum, hoc videlicet, quod & mihijpsi & toti Mundo oneri sum, semperq; ero. O præclaras ac opulentas illas DEVS optimè Reginas, ô animas locupletes, quas alienæ pericula cautas reddidêre, quæ primam innocentiam seruârunt. Nescíunt profectò felicitatem suam. Nescit pura & inuiolata conscientia, nescit cor liberum & à vitijs immune, quàm malè sit cordi peccatis prægrauato. Heu me calamitosam, quam bene mihi erat apud mei amantissimum sponsum meum, nec tamen id ipsa noueram. O si mihi detur vastissima cæli moles membranæ loco, maris vnda sit pro atramento graminaq; & folia calamorũ vsum expleant, quò vel sic liceat cordis mei explicare dolores, damnaq; irreparabilia, quæ ex detestanda amantissimi sponsi desertione mihi acciderunt. Hei mihi, quod vnquam edita sum in hanc lucem. Quid iam aliud restat miseræ, nisi vt in profundam infelicissimæ desperationis voraginem me conijciam?

Quid præmij sectatoribus suis conferat Mundus.

Conscientiæ quæ qui affectæ.

Mœroris pij pia consolatio.

SAP. Nullo pacto desperare debes: quandaquidem tui & aliorum peccatorum omnium causa ego veni in hunc mundum, vt patri meo cælesti te restituam, reducamque ad maiorem gloriam, decorem & claritudinem, quam vnquam fueris adepta.

MIN. Eia quidnam hoc est, quod tam suauiter blanditur animæ præmortuæ, inuisæ, reiectaneæ?

SAP. Me non agnoscis? Quid ita abiecto es animo? num præ doloris nimietate non es cõpos tui fili dulcissime? Num ignoras me pijssimam & indulgentissimam esse Sapientiam, in qua inest abyssus misericordiæ prorsus infinitæ, sanctis quidem omnibus nequaquam perfectè cognita aut peruestigata, at nihil minus reserata ac patefacta tibi cæterisq; mœstis cordibus benignè excipiendis. Ego ille sum longè suauissimus, qui tua causa pauper & exul fieri volui, vt te ad pristinam reuocarem dignitatem. Ego qui mortem acerbissimam tuli, vt tibi vitam restituerem. Equidem hîc coràm assisto totus luridus & cruentus, at amicabilis, quemadmodum tum eram, cùm sublimis penderem à crucis patibulo, medius inter te & seueriſsimum Patris iudicium: Ego frater tuus, immò ego sponsus tuus sum. Adeò iam prorsus obliuioni tradidi quicquid in me vnquam admiseris, quasi nunquam perpetratum sit, modò saltem posthac totum te ad me conuertas, nec deinceps à me discedas. Ablue sordes tuas roseo ac feruenti sanguine meo. Erige caput, oculos aperi, & sume animum. En tibi in omnimodæ conciliationis augmentum, hunc annu-

annulum accipe sponsa mea tuo insertum digito, itemq; stolam primam, & calceamenta in pedes tuos, nomenq; hoc dulce & amicabile, vt æternum & sis, & voceris sponsa mea. Magno profectò tu mihi labore & dolore constitisti. Atq; eam ob rem etiamsi totus terrarum orbis ignis esset flagrantissimus, atque in eius medio iaceret lini manipulus, non is tam facilè ac celeriter ex ipsa sua natura illo igni posset inflâmari, quàm abyssus inexhaustæ misericordiæ meæ parata est hominem resipiscentem & pœnitentem in gratiam recipere. Luc. 15. Misericordiæ Dei quibus quam sit obnoxia.

MIN. O Pater indulgentissime, O frater suauissime, O vnicum cordis mei gaudium, visne propicium te præbere indignæ animæ meæ? Quæ isthæc gratia? quæ clementia? quæ misericordiæ abyssus est? Itaque tuis me aduolnens pedibus, Pater cœlestis, gratias tibi medullitùs ago, obsecroque, respicias vnigenitũ eundemque amantissimum filium tuum, quem ex amore voluisti acerbissimam pati mortem, obliuiscarisque nimiæ impietatis meæ. Memineris pie Pater, quemadmodum olim pro miseris Noæ, dicens: *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & inter terram: & apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum*: Vide nunc amãtissime Pater filium tuum, tam dire dîstentum & expansum, vt possint dinumerari omnia ossa illius. Aspice quam rubicundum, flauum, & viridem instar iridis eum reddiderit charitas. Contemplare item manus, brachia & pedes eius tam duriter intensa: corpus eius pulcherrimum purpureo infectum sanguine, ac vndi- Gen. 9.

quaque excruciatum: & auerte irã tuam à me. Cur enim alioqui diceris *misericors & miserator Dominus, & pater misericordiarum*, nisi vt parcas & ignoscas? Id nominis tibi propriè competit. Quibus (oro) dedisti amantissimum filiũ tuum? nonne peccatoribus? Certè, Domine, ille meus est: ille noster est. En illius me hodie expansis brachijs includo, stringens eum amicabili circumplexu intimi cordis & animæ meæ: neque posthac vnquam neque viuens neque moriens ab ipso separari volo. Quamobrem in illius honorem Pater pijssime clementer remittas, quicquid vnquam in te iniquè gessi. Mihi enim tolerabilius erit mortem perpeti, quam te Patrem fideliſſimum deinceps vnquam grauiter offendere. Neque enim quilibet siue dolor siue calamitas, ne ipse quidem infernus vel Purgatorij carcer subeundus, tanto me mœrore afficit, quanto hoc solum, quòd te creatorem, Dominum Deum Redemptorem meum, & totum cordis mei gaudium, quandoque offenderim, aut quauis iniuria & contemptu affecerim. Atque vtinam ea de causa voces lamentabiles per omnes cælos dare possem, adeò vt cor meum in mille creparet partes: esset id reuera mihi optatissimum. Quanto autem purius veniam das peccatis meis, tanto mihi acrius dolet, vsq; adeò ingratum me fuisse immensæ benignitati tuæ. Tibi verò quid condignæ laudis & gratiarum actionis præstare queam æterna Sapientia, vnica dulcedo & consolatio mea, pro immenso illo beneficio, quod tuis vulneribus ac doloribus ruinam illam instaurare voluisti, cui mederi non potuissent omnes creaturæ?

Psal. 102. 2. Cor. 1.

Vnde aut quid maximè dolendum.

Doce

Doce me, obsecro, vnica dulcedo mea, qua ratione signa amoris tui in omni corpore meo circunferre, ac perpeti memoria complecti debeam, quò totus hic Mundus & vniuersus cæli exercitus perspectum habeat, gratum me esse inæstimabili beneficio tuo, quo miserũ ac perditum sola benignitate tua affecisti.

Vti manus tuas mystice crucifiges.

SAP. Teipsum & omnia tua liberè mihi dedas, nec repetas vnquam: nihil attingas eorum, quæ necessaria non sunt: sicq; habebis manus cruci reuera affixas Bona opera hilariter arripias, atque in ijs fortiter perseueres: ita fixus erit pes tuus sinister. Animum inconstantem & vagum, ac vagabundas cogitationes in me figas & constabilias: habiturus hoc ipso dextrum quoque pedem crucifixum. Vires tum corporis, tum animi vide ne ex tempore flaccescant & dormitent, sed instar brachiorum meorum in cultu ac famulatu meo semper sint intentæ. Fragile ac debile corpus tuum in laudem crurium meorum in spiritalibus exercitijs crebrò fatiges, nec illi permittas facultatem suis indulgendi affectibus. Multijuges, raræ, nec passim cognitæ afflictiones te mihi adiungent, adducentque in ergastulum crucis meæ, efficientqúe te ad mei similitudinem cruentum & amabilem. Naturæ tuæ mortificatio atque arefactio, pristinum mihi redder virorem atque vigorem. Incommoda corporis tui vltrò suscepta, defesso dorso meo stratum parabunt gratissimum. Virilis tua aduersum peccata conflictatio, meum leuabit animum. Cordis tui pietas & deuotio, dolores meos omnes mitigabit. Denique cordis tui feruor & flagran-

Vti pedes.

Afflictiones quæ quam vtiles.

tia, cor meum longè amantissimum inflammabit.

MIN. Perfice Aeterna Sapientia bonam voluntatem meam pro gratissimo beneplacito tuo. Nãque reuera *suaue est iugum* tuum, *& onus* tuum *leue*. Nôrunt id experti omnes, & quos ante nimis depresserat durissimum iniquitatis iugum.

Matth. 11.

Quam sit fallax Mundi amor: & quam sit amabilis Deus.

CAPVT VI.

Animæ & hinnuli fatigati collatio.

MIN. Quantumuis breui morula DEVS dulcissime extra te me recipiam, non aliter mihi accidit, quàm hinnulo, amissa parente sua, acri venatione fatigato, nec vnquam pennigerum intermittenti cursus sui volatum, donec ad suum reuertatur domicilium. Siquidem ad te Domine confugio, tibi fonti viuo suspiro & inhio & quidem studio flagrantissimo, haud secus quàm ceruus desiderat fontes aquarum. Breuis horula sine te Domine annus est: vno die tua caruisse familiaritate, animę amanti mille anni videntur. Age igitur frons rara & peregrina, vernans virgultum, rubentium frutex amœne rosarum, extende brachia, explica florigeros diuinæ humanęque naturæ tuæ ramos. Facies tua Domine gratissima est. Os tuum vitalibus scatet verbis. Tota conuersatio tua purissimum speculum est honestissimæ disciplinæ, modestię, ac mansuetudinis. O dulcissima sanctorum omnium cõtemplatio. O terq; quaterq; beatum illum, quẽ tua dignaris suauissima amicitia.

Psal. 41.

Conuersatio Christi quid sit.

SAP.

SAP: *Multi* eò quidem *vocati sunt*, sed *pauci electi*. MIN. Tune igitur dulcissime Domine eos respuisti, an illi te abiecerunt? SAP. Aperi internos oculos, & intende eos in præsentem visionem. MIN. Video quiddam Domine, quod me vehementer exterret: itaque ex imò pectore ductus suspirijs, dicere non dubito: Hei mihi quod vnquam natus sum. Verumne est, quod sentio, an in somnijs deludor? Iam ante quidem Domine mirifico te decore ornatum conspexi: at nunc non nisi peregrinum intueor, exulem & reiectaneum, baculo suo miserâ- dum in modum innitentem, consistentemqúe ad peruetustum & ruinosum oppidum, cuius fossæ iam conciderunt, muri sciſſi sunt, solumqúe extant hincinde veteres structuræ alta fastigia, & est in ea ingens hominum frequentia, in quibus plerique sub humana efügie nihil à feris differunt. Ad hoc, inquam, oppidum cerno exulem peregrinum sursum deorsumqúe inambulantem, expectantemq; si quis ei velis manum porrigere: at repelli eum à compluribus magna cum indignitate, & præ occupationibus quibus implicantur, vix ab illis adspici: ac nihilo minùs paucos quosdam illi manus offerre, sed ediuerso feras illas id molestè ferre ac perpedire: tum verò peregrinum illum coram illis miserabiles dare gemitus, atque ita dicere: Moueat vos ô cælum & terra, mihiqúe condolete, quòd cum ciuitatis huius causa tam duros exantlauerim labores, tam malignè hîc accipior: contra verò, qui eius gratia nec pedé vnquam mouerint, tam comiter & benignè hîc tractantur. Istiusmodi Domine visio mihi iam

Matt. 22.

Exulis & vrbis ruinosæ visio quæ.

Iesu Christi de religiosorum ingratitudine querela.

iam propositа fuit. Sed quid sibi vult Domine? Est ne verum quod conspexi, an fallor potius?

SAP. Nihil habet isthęc visio mendacij. Audi fili mi rem lamentabilem, & tangat miseratione pium animum tuum. Ego, ego sum abiectus ille & profligatus peregrinus, quem intuitus es. Ego quondam apud eius vrbis habitatores in multo honore fui: at nunc relegata sum in exilium, & miserè repulsa.

Quid sibi visio supradicta velit.

MIN. Quodnam est hoc oppidum Domine, aut quinam illius incolæ?

SAP. Vrbs ista ruinosa & penè collapsa, strenuam illam ac seriam designat vitam Monasticam vel religiosam: in qua quidē olim magna cum reuerentia & honestate mihi seruiebatur, agebaturq; vita sanctissima & securissima: at eadem nunc plerisque in locis plus satis labascit: fossæ eius ruinam minantur & concidunt, muriq; scinduntur: id est, deuota obedientia, voluntaria paupertas, & abstracta puritas & castitas cum sancta simplicitate coniuncta, pessum obire incipit. præterquam quòd præcelsæ structuræ quædam adhuc cacumina visuntur sub specie quadam externarum obseruationum, siue rituum ac consuetudinum? Porrò frequens ille grex humanam præ se ferentium speciem, cum nihil habeant diuersum à belluis, homines significat sub habitu religioso cor animumq; huic Mundo deditum gerentes, & præ externis temporalium negotiorum occupationibus me ab animo suo repellentes. Quòd autem quosdam vidisti manus quidem suas mihi porrigētes, sed ab alijs mihi retrahi, id sibi vult, quorundam bonam voluntatem

& reli-

& religiosa initia aliorum sermonibus & improbis exemplis deprauari ac euerti. Baculus verò, cui innitebar, coram illis assistens, Crux est acerbissimæ passionis meæ, qua ego illos nunquam adhortari desino, vt eius memores sint, atque sui cordis amorem in me vnum cõferant. Denique clamor ille & gemitus miserabilis quem audîsti, nihil est aliud, nisi quod mors mea iam vocem edere incipit, semperq; clamitabit aduersus eos, apud quos nec immẽsa charitas, nec acerbissima mors mea id possunt obtinere & efficere, quô minus me reijciant eliminentqúe.

Baculus quis, cuius memoriam nobis refricare deberet.

MIN. Certè Domine cor animumq; meum diri doloris mucrone conficit, quod cum vltra omnem modum sis amabilis, tamen in multorum cordibus post innumera beneficia tua adeò nullius pensi haberis. Sed obsecro Domine, qualem te illis exhibiturus es, qui in hac forma miserabili, sub qua plerique te abijciunt, manus suas fideliter & amanter tibi porrigunt?

SAP. Quotquot iam mei causa labentium rerum amori valefaciunt, meqúe solum vita & amore recipiunt, sicqúe perpetim perseuerant, eos ego ipse Diuina mea charitate & suauitate consolabor, atque extremum trahentibus spiritum manus præbebo meas, & in solium sempiternæ dignitatis & excellentiæ meæ coram toto cælorum exercitu eos sublimabo.

Qualis eorũ qui propter Deum hîc sese deijciunt, futura merces.

MIN. Non paruus eorum numerus est Domine, qui & te amare velint, nec tamen amori caduco nuncium remittere. Putant se tibi cha-

ros admodum fore, & nihil minus vano ac tẽporario amori operam nauare volunt.

SAP. Rem isti non minus impossibilẽ moliuntur, quàm qui velint amplissimam cæli molem complicare, & in conchulam includere. Verbis quidem pulchris se tuentur, sed super ventum ædificant, atque super iridem structuram collocant suam. Quæso te, qua tandem ratione possit illi quod æternum est, cum illo quod temporarium est, conuenire, qnando nec temporaria duo contraria sese in eodem patiuntur? Fallit meritò seipsum, qui regem regũ omnium vult in communi locare pandocheo, aut in priuatum vilis mancipij domicilium protrudere. Crede mihi, planè abstractus viuat oportet à creaturis omnibus, qui hospitem hunc dignissimum ritè velit excipere.

Duobus dominis diuersis obsequi difficile.

MIN. Quàm igitur mirè eorum fascinata sunt pectora Deus meus, quod isthæc nolunt perpendere?

SAP. Cimmerijs sunt immersi tenebris. Multo labore & sudore mundi huius gaudia aucupantur, nec tamen illis pro voto perfectè vnquam potiuntur. Ante decem affliguntur aduersis casibus, quàm vel semel illis aura serenior affulgeat: quãtoque suis affectibus propensius obsequuntur, eo semper tristiorem, ac acerbiorem ferunt repulsam. Corda DEO vacua & à DEO auersa, non possunt nõ perpetuis angi timoribus ac terroribus. Atque ea ipsa momentanea quibus perfruuntur gaudia, maximis sunt permixta molestijs, amittuntq; ea summo cum dolore & acerbitate. Mundus iste totus est infidus, fallacissus, inconstans, ac varius.

Cor Deo vacuum, cuiusmodi.

Mundi incõstantia quanta.

rius. Simul enim vt spes lucri concidit & euanescit, amicitia quoque finem habet. Atque vt paucis expediam, id pro certò habeas, nunquã quenquam neq; vera dilectione, neq; perfecto gaudio, neque stabili cordis pace in creaturis mortalibus esse potitum.

MIN. Profectò Domine dulcissime, res est lamentatione digna, tot præclaras animas, tot corda amori aptissima, tot denique tam formosas, iucundas, Deiq; imagine insignitas formas, quæ ex spiritali tecum inito coniugio reginæ & imperatrices possent effici, cæloque ac terræ dominari, tam stolidè & imprudenter se à te abalienare, atque in tantam vilitatem abijcere. Heu heu Deus pijssime, adeò id genus homines sua sponte perire. Vt enim habet veritas verborũ tuorum, satius illis foret mortis horrendæ vi animam euelli ex corpore, quam te, qui vita es æterna, ab illorum animabus, vbi nullus tibi locus datur, seiungi oportere. O stupidi vesaniq; Moriones, quantoperè magis ac magis grauissima vestra augescunt dãna? quantum increscit ingens iactura salutis vestrę? Cur ita patimini gratissimum, præclarissimũ iucũdissimũ pręterlabi tempus, aut vix aut nunquã reparabile, ac nihilo seciùs interim tam vos lętos & hilares exhibetis, perindè quasi nihil vestra interfit? O sapientia benignissima, vtinam nôssent sese, vtinam comperta hæc haberent.

Insipientiæ humanæ deploratio.

SAP. Audi rem & mirabilem & miserabilẽ. Planè hæc ipsi non nesciunt: immò & horis omnibus comperiunt, nec tamen suis volunt abstinere voluptatibus. Nôrunt hæc, inquam, nec scire tamen volunt. Interim errores suos &

Miseranda mortalium dementia.

vitia

vitia quasi manifesta nituntur luce tueri, quæ tamen à simplici & nuda veritate discordat, quemadmodum plerique ex illis serò experiuntur.

Quid crucem Iesu fugientibus meritò obtingat.

MIN. Vndè in eis tanta inest amentia? aut quid hoc sibi vult Deus sanctissime?

SAP. Putant quidem, conanturq; meæ seruitutis molestias & cruces effugere, & ecce in alias medias præcipites ruũt, cum enim me, qui sum bonum sempiternum, & suaue iugũ meum ferre nolint, permissu seuerę iustitię meæ multis, ijsque grauibus premũtur oneribus, & dum pruinam timent, cadunt in niuem.

MIN. Quæso sanctissima Sapientia memineris, absque tua opę & virtute neminem quicquam posse. Equidem nullum eis video commodius remedium supereſſe, quam vt tristes oculos suos ad te leuent, tuisq; paternis pedib' aduoluti, acerbis cordis sui lachrymis petant à te illuminari, & duris, quibus sunt irretiti, vinculis absolui ac expediri.

SAP. Nunquam non ego opitulari parata sum, si modo ipsi parati essent. Ego illis non desum: at illos mihi deesse perspicuum est.

MIN. Dolet valde, Domine, dilectum à dilecto separari.

Nos Deo, nõ Deum nobis, deesse.

SAP. Est id quidem verum, sed si ego in me diligentis pectore amantium omnium amorem fidelissimè ac abundè sarcire & superare nollem. MIN. At difficile est diu assueta relinquere. SAP. Sed longè difficilius erit futura tormenta perpeti. MIN. Forsitan ita affecti atque in seipsis constituti sunt, vt nihil hoc eis officiat.

Nota.

SAP.

SAP. Ego verò prę omnibus optimè constituta fui, nec tamẽ quisquam minus amori vano deditus fuit. Et quî tandem id possit esse ordinatum aut rectè constitutum, quod ex ipsa sua natura cor perturbat, animum perplexum efficit, cor à deuotione & internæ vitæ studio abstrahit, eiusque pacem aufert, ostia siue fenestras, post quas vita spiritualis & Diuina latet, id est, quinque sensus perfringit ac patefacit, tollit pudorem & verecundiam, adducit cæcitatem ac stupiditatem, itemq; gratia hominem exuit, & efficit DEO alienum, denique hominem interiorem, tepidum: & exteriorem, desidem reddit?

MIN. Persuasum habent Domine, non se vsque adeò impediri aut lædi, propterea quod amorem suum putent esse spiritualem.

SAP. Oculo benè sano, plerunq; non minùs officit farina triticea, quàm liuidi vel pallidi cineres. Cuius oro, vnquã præsentia minùs fuit pernicioſa, atque mea apud discipulos charissimos) Nulla illic volitabant verba ociosa, nõ erat aliqua in moribus petulantia. Non incipiebatur sublimiter in spiritu, & postmodum in profunda inseparabilis confabulationis voragine desinebatur. Nil illic nisi seriam synceritatem, veram strenuitatem ac grauitatem, & integram veritatem omnis fallaciæ expertem, cernere erat. At nihilo secius fraudari illos necesse fuit præsentia mea corporali, quò spiritûs capaces fierent. Quid igitur impedimenti fieret hominum præsentia, ex quibus perplures citius foràs pertrahunt & illiciunt, quam vel vnus introducat? faciliusque alios noxijs simulacris

Veriſſima ſe pidoque collatio.

lacris vel imaginibus crebrò deprauant, quàm vel semel salubri institutione imbuant? Et vt summatim dicam, quemadmodũ gelida pruina verno tempore amœnos corrumpit flores: ita amor caducus omnem diuinum extinguit feruorem ac strenuitatem, religionisque disciplinam. Quod si hac in parte aliquod apud te dubium hæret, adspice circunquaque iacentes vineas, olim in primis suis initijs mira amœnitate floridas, vt iam prorsus contabuerint ac defloruerint, adeò vt strenui feruoris ac feruidæ strenuitatis magnæq; deuotionis vix parum supersit. Sed id omninò perniciosissimum est, ac vix reparabile damnum, quod iam in consuetudinem abijt, & religiosæ honestatis loco habetur hocipsum, quod tam occultè omnem religionis deuastat profligatq; felicitatem. Tanto nimirum perniciosius est, quanto minùs perniciale videtur. O quot præclari horti aromatũ, eximijs mirificè decorati charismatis, in quibus Deum haud secus, quàm in cælesti paradiso delectabat commorari, iam prodolor ex amore labentium rerum non nisi lolium & steriles producunt auenas: quique prius rosis ac lilijs abundabant, iam non nisi spinas, vrticas, & tribulos proferunt: Atq; quos olim habitare solebant spiritus angelici, nunc sues spurcissimæ commaculent. Væ, væ, væ horæ illi, qua verba omnia infrugifera & ociosa, tempus omne deperditum, & quicquid vnquã boni neglectum est, ad rationem reuocabitur: qua quicquid inutiliter dictum, cogitatum, scriptum est tam occultè quàm manifestè, coram Deo & toto mundo recitabitur, eiusq; mẽs & in-

Pruinæ & eaduci amoris assimilatio.

Amor rerum caducarũ eò religioni perniciosior quò familiarior.

Districta ociosè dictorũ factorumque exigenda aliquando ratio.

& intentio sine vllo prætextu perspicuè intelligetur.

MIN. Sermones tui Domine acres & efficaces sunt valde, & reuera pectus ferreum sit oportet, quod his non permouetur. Atqui Domine DEVS, plerique tam tenera sunt natura, vt amore facilius quam timore trahantur. Quãdo igitur à te Domine natura condita est, nec eam destruere vis, sed potius perficere, mitte iã obsecro Domine iniucundos hos sermones, & explica seruo tuo, vt sis mater pulchræ dilectionis, & quam suauis sit amor tuus.

Nonnullos amore potius, quam timore trahi.

Quàm sit amabilis DEVS.

CAPVT VII.

MIN. Enimuerò Domine in memoriam nunc redeo dicti illius amantissimi, quo tu illicis nos, loquens de teipso in Ecclesiastico: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Ego mater pulchræ dilectionis. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Vinum & musica lætificant cor, & super vtraq; dilectio sapientiæ.* Profectò Domine adeò te amabilẽ & desiderabilem exhibes, vt meritò possint omnium corda tibi affici, te concupiscere, & amoris tui lamentabili desiderio cruciari. Verba tua amorẽ spirantia, tã suauiter ex mellifluo tuo promanant ore, vt multorũ animos etiã in ipso ætatis flore tã efficaciter vulnerent, vt amor omnis tẽporanius in eis penitus marcescat. Hinc itaq; magno cordis desiderio & anhelo animi affectu suspiro & inhio: de hac tua amabilitate audire con-

Eccl. 24.

Ibid. 40.

concupiſco. Agè Domine, vnica & ſingularis conſolatio mea, loquere verbum vnum ad cor ancillæ tuæ miſeræ animæ meæ. Nam ſub vmbra tua ſuauiter obdormiui, & cor meum vigilat.

Pſal. 44.

SAP. *Audi fili & vide, inclina aurem tuam*, & fortiter intrò te recipiens, tuijpſius & rerum omnium obliuiſcere. En ego in meipſa ſum bonum illud incomprehenſibile, quod ſemper fuit & eſt: quod nec prolatum eſt vnquam, nec proferetur. Quamuis enim cordibus intus me ſenſibilem præbeam, at lingua nulla propriè me verbis enunciare aut explicare poteſt. Verumenimuerò quando me ipſam, quę ſum bonum ſupernaturale ac incommutabile, cuilibet creaturę pro illius facultate & vt mei capax eſt, communico & impertior, eccè Solis iubar panno interim obuoluēs, ſenſus ſpiritales ſub verbis corporeis de meipſa meiq; amore dulciſſimo tibi præbeo, idq; hunc in modum: En cordis tui oculis me blāditer exhibeo. Tu iam vide ſpiritali quodam habitu me induas & exornes, & quantum optari poteſt, pulchrè ac decēter me componas, atque omnia in me ornamenta conferas, & quæcunq; amore ſingulari: atque omnimoda animi delectatione cor tuū afficere & permouere poſſint, mihi tribuas. Nā reuera quicquid & à te & cæteris mortalibus omnibus formoſitatis, decoris, ornamēti, gratiæ excogitari queat, id in me longè eſt excellentius, iucundius, copioſius, quam poſſit quiſquam dicendo conſequi. Atque huius generis verba ſunt & ſermones, quibus me hominibus vtcunque cognoſcendam exhibere queā. Audi igitur

Summi boni depictio.

Aeternæ ſapientiæ encomion.

igitur latiùs: Ego præcelso edita sum genere, & clarissimis orta natalibus. Ego amantissimum sum Paterni cordis verbum, & secundum suauissimam abyssum naturalis generationis meę ex purissima ac nuda Patris substantia, mirificè placeo blãdissimis oculis eius in mellitissima ac flagrantissima Sancti spiritûs charitate. Ego thronus felicitatis, ego animarum corona sum, oculi mei lucidissimi, os delicatissimum, genæ rubicundæ & candidæ, totaque habitudo & species mea tanti decoris & gratiæ, tamq; absolutæ elegantię est, vt etiamsi quis eo nomine ad extremum vsque iudicij diem in fornace ardenti iacere deberet, quô vel vnico meî posset conspectu perfrui, nec sic adhuc pro dignitate meritus id esset. Ego lana cãdidissima tam prę-clarè ornata sum, vestibus picturatis varijs intextis floribus (puta rubentibus rosis, albicantibus lilijs, purpureis violis, alijsq; quibuslibet) tam delicatè circundata sum, vt quantumuis amœni ac vernãtis Maij flores omnes, pratorum omnium, quamuis apricorum virentes frutices & virgulta, denique camporum quorumlibet pulcherrimi flosculi, si cum mea venustate conferantur, non aliud sint, quam horridi tribuli. Ego in Diuinitate ludum ludo iucundissimum, vnde in beatos angelicos spiritus tanta redundat copia gaudiorum, vt mille anni vix breuissima eis horula videantur. Totus cæli exercitus præ insolita admiratione in me suos intendunt obtutus, meq; obseruant. Oculi eorum in meos perpetim defixi sunt: cordibus suis in me recumbunt, anima & mente iugiter ad me reflectuntur. O terq; quaterque Beati certissimè qui.

beatum illum, cui hunc amoris ludum, istha iucunda tripudia in cælestibus gaudijs ad latu meum, delicatas tenenti manus meas felicissi ma securitate in omnem æternitatem sine in termissione celebrare dabitur. Non nisi vnici ex ore meo suauissimo blanditer proficiscen verbum, angelorum omniũ melodias, citha rarum omnium dulcem harmoniam & omni generis musica instrumenta superat. Tam sua amabilis & desiderabilis, tam ad complexan dum amicabilis, tam ad exosculandum suau & delicata animæ puræ & amanti, vt præm desiderio merito deberent rumpi corda omn um. Gracilis sum & honesta, ac animæ mund nunquam non præsens. Et quamuis occulti tamen semper apud illam dego & versor i mensa, in lecto, in itinere. Quocunque me ver tam, nihil in me est quod displiceat, nihil no eorum quæ placeant pro cordis voto, pro ani mæ desiderio. Tam immensum ac purum eg bonum sum, vt si quis in hac vita non nisi gut tulam vnam ex me percipiat, omnis Mund huius voluptas & gaudium ei vertatur in ama ritudinem, facultates omnes & honores fasti diat & contemnat. Qui me diligũt, suaui amo re meo circumplexi, in vnicum illud vnũ dif fluunt, ac absorbẽtur, idq; sine amore cum for mis ac simulacris coniuncto, & absq; verbor strepitu: donanturq; libertate quadã, & intro ducuntur ac demerguntur & dimanant in im mensum illud bonum, vnde profluxerunt. A mor meus corda incipientium ab graui pecca torum sarcina nouit exonerare, eisque cordi libertatem, fidentiam, puritatem, & conscien-

Sapientia quæ quale sit donum.

tiam

tiam mundam ac serenam, quam peccatum nullum mordeat, præstare. Quæso, dic mihi, ecquid est in toto orbe, quod vel his solis possit æquiparari? Non possit sane totus hic Mundus eiusmodi cordi ex æquo respondere. Quisquis enim cor suum mihi vni adiungit & applicat, is vitam viuit iucundam, & securus moritur: simulque & in præsenti & futuro sæculo cælorum regno perfruitur. Multis quidem iam apud te verbis vsa sum, & tamen hæc omnia à gratissima & ineffabili pulchritudine mea exprimenda tam longè absunt, quàm digitus tuus à contactu cæli octaui. Eam namque *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Atqui nihilo minùs hæc velut adumbrata & quasi delineata tibi sint, vt hinc possis dulcissimum amorem meum à fallaci caducoque labentium rerum amore internoscere.

Quis & iucundè viuat, & securè moriatur.

1. Cor. 2.

MIN. O flos campi amœnissime, ô cordis dilecte vnice intra vlnas te complectentes pure ac amantis animæ, quam hæc certa & explorata sunt omnibus, qui te vnquam re vera perceperint: quamque ediuersò rara & peregrina sunt eorum auribus, qui te non persenserunt, quorum cor & animus etiam dum carnalia sunt. O bonum incomprehensibile & medullitùs amplectendum, quam plausibilis & felix est hęc horula, quam suauis præsentis temporis morula. Sed hîc iam occultum quoddam tibi detegendum est vulnus, quod cordi meo affixit dulcissima charitas tua. Nimirum Domine amor impatiens est socij, quemadmodum ignis aquæ: & vt ipse nôsti, flagrans & ardens

Matth. 6. charitas nō se sustinet in duos diuersos distrahi & conferri. Quod cùm ita sit, medullitùs sitit & ardet cor meum, Deus vnice cordis & animæ meæ, vt me singulari quodam velis amore cōplecti, atque vt oculis Diuinæ Maiestatis tuæ ipse haud vulgariter placeam. Sunt autem Domine permulti, qui te feruenter & ex animo diligant, quiq; erga te optimè sese gerere nōrint. Quid igitur mecum fit? aut quo in loco res meæ sunt dulcissime & amantissime Domine?

SAP. Ego eiusmodi amatrix sum, quæ nō solitudine vel vnitate contrahitur, nec multitudine in multa distrahitur. Certè habeas, me nunquam non adeò circa te occupari, ac dare operam, vt tuo vnius amori vacem, præstemq; ac exequar quicquid ad te pertinet, quasi aliorum omnium prorsus incuriosa sim.

Cant 5. MIN. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Papæ, papæ, quonam abductus sum? qui planè à me ipso aberraui: Anima mea præ suauissimis dilecti sui sermonibus penitus liquefacta est. *Auerte à me lucidissimos oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Cant. 6. Quod vnquam tam saxeum pectus, quę tam gelida aut tepida anima fuit, quam melliflui ac vitales & amantissimi sermones tui, supernaturalem quendam spirātes feruorem, non emollîerint, ac suauissimo tuo amore non inflammârint? Mirum profectò est Domine, & omni admiratione mirabilius, si quis te hunc in modum oculis cordis contempletur, non totum illius cor colliquiscere. O verè felicem illum amatorem, cuius anima sponsa tua & dici & esse meretur. Quantam

tam ille ex te cæleſtem ac melliſluã haurit conſolationem? quanta amoris tui capit ſecreta blandimenta? Eia virgo ſecratiſſima & pudiciſſima Agnes, æternæ Sapientiæ ferttens amatrix, meritò quidem gloriari poteras de dilecto ſponſo tuo, cùm diceres: Sanguis eius ornauit genas meas. O ſi dignus eſſem amantiſſime Domine, vt anima mea tui amatrix diceretur. Reuera etiamſi fieri id poſſet, vt quicquid gaudij, voluptatis, amoris totus hic poteſt exhibere Mundus, in vno aliquo extaret homine, libenter & alacriter illi ea cauſa valefacerem. Benedictus ſit ille à Domino, quod vnquam prodijt in hunc Mundum, qui tui amator & appellatur & eſt. Sanè ſi vel mille cuique eſſent corpora, iure ea impendere deberet, quô te poſſet adipiſci. O vos amici Dei omnes, & totus cæli exercitus, tu quoque dulciſſima Chriſti martyr Agnes, vna mecum pro me Domino preces fundite. Neq; enim antehac vnquam benè perſpectum habui, quid eius eſſet amor. Age iam cor meum, pelle torporem omnem, & fac periculum, vtrumne vel ante ſupremum diem tuum eò poſſis pertingere, vt illius amorem experiaris. Eheu quàm hucuſque pigrè ac tepidè vitam tranſegiſti tuam. O delicata ac præcunctis electa Sapientia, meritò quidem præcipuum obtines amoris locum, & es ſummè amabilis longè vltra omnes Mundi huius ſiue amicos ſiue amicas. Magno nimis interuallo diſtat amor tuus ab amore creaturarum. Vaniſſimũ ac fallaciſſimum eſt, quicquid in hoc Mundo blandum & amabile, atque alicuius precij videtur, ſi tantùm penitùs introſpiciatur. Quocunquo

Agnetis virginis laus.

Amores qui quanto diſtẽt interuallo.

Nihil in rebus creatis, est omnibus numeris absolutum.

cunque ergo Domine vnquam verti oculos meos, semper quippiam offendi, siue hoc, siue illud, quod displiceret. Nam etsi forma erat egregia corporis, at gratia deerat. Quod si & formosa esset & amabilis, morum venustas aberat. Porrò si & hac fuisset prædita, semper tamen aliquid vel foris vel intus deprehendi, cui⁹ causa cor meum nollet se totum ad id applicare vel coniungere. Vbi autem propius & familiarius perspexi, animaduerti habere id in seipso, vnde sui nauseam & tædium adferret. In te verò pulchritudo est infinitè amabilis, gratia mirè formosa, sermo cum bonis moribus, nobilitas cum virtute, diuitiæ cum potentia, interna libertas cum externa claritudine coniuncta: & præter hæc, quod in toto Mundo nusquam comperi, plena virtus ac facultas perfectè explendi omne votum, omne desiderium, & quantumuis sitibundam cordis probè diligentis voluntatem. Quo perfectius agnoscetis, eo feruentius amaris. Quanto tibi quispiam est familiarior, tanto te sentit amabiliorem. Papę quàm es bonũ prorsus immensum, inexhaustum, purissimum. Quæso aduertite mortales omnes, quàm miserè illis impositum sit, qui suum amorem in quiduis aliud conferunt. Procul à me recedite amatores stultissimi ac vanissimi: non mihi appropinquetis vnquam. Hanc vnicam elegi amicam cordi meo, quæ sola cor, animam, appetitiones, affectum, & vires meas omnes complet ac exatiat amore intimo, nec vnquam interituro. Vtinã Domine IESV cordi meo te inscribere, vtinam in ipsas cordis & animæ medullas aureis literis

Sola Dei Sapientia perfectissima.

Quid ante omnia vnicè amandum

ris

ris eliquare te possem, ne vlla te deleret aut aboleret vetustas. Heu me miserum, heu me infelicem, quòd cor meum non perpetuò tibi dedidi, te vno occupaui. Quid mihi ex alijs omnibus amatoribus meis reliqui est, nisi temporis iactura, verba in vẽtum iactata, manus vacua, perexigua bona opera, atque conscientia vitijs onusta? Obsecro blandissime Domine, occide me charitate tua. Neq; enim à sanctissimis pedibus tuis vnquam posthac recedam.

SAP. Equidem facilè inuenior ab his, qui querunt me, & præoccupo qui me concupiscũt, atq; hilariter & comiter accipio eos, qui amoris mei tenentur desiderio, sed quidquid in hac vita temporaria possis sentire dulcissimi amoris mei, id totum non plus est, si ad æternitatis amorem conferatur, quam guttula vna ad vniuersum oceanum. Sap. 6

Explicatio trium quarundam difficultatum, quæ Deum amanti possint præcipuè esse scrupulo ac impedimento Prima est, cùm sit tam amabilis Deus, quî fieri possit, vt tam se terribilem exhibeat.

CAPVT VIII.

MIN. Tria quædam, optime Domine, summa me admiratione afficiunt. Ex his primũ est, quòd licet sis in teipso lõgè amabilissimus, idem ipse es in peccata vindex & iudex seueriſſimus. Certè Domine, vbi recta mecũ via reputo ac perpendo tren ẽdam iustitiam tuam, lamentabili cordis voce in

hæc verba prorumpo: Væ, væ omnibus illis, qui quandoque peccatis assensi sunt. Si enim exploratam haberent exactissimam iustitiam, quàm tacitus exerces sine vlla contradictione in quoduis erratum, etiam ab illis admissum, qui tibi sunt charissimi, potiùs dentes sibi excuterent & pilos euellerent, quàm te quouis modo offenderent. Eheu iracunda facies tua nimis est terribilis: dedignabunda auersio tua dolet intolerabiliter: verba quæ iratus loqueris, velut ignis cor animamque penetrant ac transfigunt. O Deus sancte & adorande, tuere me ab irato vultu tuo, neque differas erga me vltionem tuam in futurum seculum. Enimuerò si vel tenuiter suspicer ob culpas meas auertisse te à me faciem tuam, id mihi tam est impatibile, vt nihil sit toto orbe terrarum, quod æquè me malè habeat. Et qua tandem ratione pater fidissime ferre possem excandescentem faciem tuam? Reuera quoties indignabundũ ac asperum vultum tuum diligenter cogito, anima mea vsqueadeò contrahitur, atque vires omnes tanto concutiuntur tremore, vt nulla alia similitudine melius id declarare queam, quàm si cælum atris crassescat nubibus, atque ignis intra nubes sæuiens, terram commoueat, & ex nubibus erumpens fulgur, rectà feratur in hominem. Non est sanè pissime DEVS, cur quisquã præfidat tantæ longanimitati tuæ: siquidem ea tandẽ in horrenda euadit tonitrua. Excandescens facies paterni furoris tui, homini te offendere teq; perdere extimescenti infernus est, quouis Tartaro intolerabilior. Vt his interim silentio præteream terribilem illum

Iræ diuinæ & tempestatis collatio.

lum vultum tuum, quem impij, velint nolint, extremo die summo cordis dolore conspicient. Væ, væ sempiternum illis, quos tanta manet calamitas. Hoc itaque Domine non possũ non vehementer admirari, tam videlicet te esse horribilem, cum tamen ipse te affirmes summè amabilem.

SAP. Ego bonum sum incommutabile, semper eadem perseuerans. Quòd autem non eadẽ appareo, eorum causa accidit, qui me non eodem modo in vitijs & absque vitijs contuentur. Ex ipsa quidem natura amicabilis sum: at nihilominùs in vitia seuere animaduerto, vt meritò timeri debeam. Equidem ab amicis meis castum & filialem timorem, & amicabilem amorem exigo, vt & timor eos semper à peccatis compescat, & amor mihi eos integra fide coniungat.

Deum & misericordem & iustum esse.

Altera est, cur Deus amicis suis suam dulcedinem crebrò subtrahat: atque vnde veram eius præsentiam liceat animaduertere.

CAPVT IX.

MIN. Placet Domine quod dicis, & ita est vt ipse velim. Sed hoc adhuc vehementer admiror, quòd vbi anima tota deficit, præ tui ac amicabilis blanditatis dulcissimæ præsentiæ tuæ desiderio, planè obmutescis, & nec vnum salté, quod audiri possit, verbum profers. Et cui id non doleat Domine, quod te vnicè & præ omnibus amanti animæ tam te exhibes alienum ac taciturnum?

SAP. Et tamen creaturæ omnes me loquuntur. MIN. Sed id animæ amanti nequaquam satis est.

SAP. Etiam quodcunq; verbum de me prolatum, amoris nuncius est, cordi illius destinatus: atque singulæ quæq; voces sacræ scripturæ de me cõscriptæ, mellifluæ amoris literæ sunt, non aliter accipiendæ, quàm si ipse ego illi eas scripsissem. Non tibi hæc meritò sufficere videntur?

MIN. At verò sanctissime Deus, amice omnium charissime, probè tibi cognitum est, non sufficere cordi amore flagranti, quicquid non est ipsemet vnicus dilectus, atque vnica consolatio sua. Tu quidem Domine tam amicabilis, singularis, impenetrabilis ac inexhaustus amicus es, vt etiam, si omnes mihi loquantur Angelicorum spirituum linguæ, nihilo minus insedabilis amor in illud vnum, quod appetit & ardet, penetrare ac pertingere summoperè nitatur. Certè anima tuî accensa amore, præ regno cælorum te eligeret. Pace tua dixerim: Domine deceret te nimirùm paulo maiorem exhibere fidem tui amore miserè laborantibus, præ tuî desiderio deficientibus ac arescentibus, tam crebrò tibi vnicè dilecto & quidem amantissimè ac profundissimè suspirantibus: ad te miserandum in modum suspicientibus, medullituſque tibi dicentibus, *Reuertere, reuertere*: denique secum anxiè conquirentibus & colloquentibus: Eheu putásne fortè illũ offendisti? Putásne te deseret? Putásne vnquam tibi reddet mellitissimã præsentiam suam, vt cordis vlnis eum stringas suauiter, tuoque impri-

Animæ cum Deo expostulatio.

Cant 6.

mas

mas pectori, quô dolor tuus & moleſtia omnis euaneſcat? Iſta tu quidem audis & nôſti Domine, & tamen ſiles.

SAP. Vtique noui hæc, & non ſine magna animi voluptate intueor. Verùm tu quoq; mihi percontanti reſpondeas velim, quandoquidem tam vehemens licèt occulta te tenet admiratio. quid eſt quod ſummo creato ſpiritui inter omnia præcipuè arridet ac dulciſſimè ſapit?

MIN. Papæ Domine, quæſtio hæc meum excedit captum, tu potius eam explices oro.

SAP. En faciam quod precaris. Supremo angelico ſpiritui nihil antiquius, nihil ſuauius eſt, quàm in omnibus meæ ſatisfacere voluntati: idq; adeò, vt ſi noſſet ad meam cedere laudem, ſi vrticas & alia zizania extirparet, hoc præ omnibus cupidiſſimè exequeretur. Quid Deo maximè placeat.

MIN. Profectò Domine nõ mediocriter hac me reſponſione perſtringis. Id enim te velle animaduerto, vt erga dilectionem capeſſendam aut ſentiendam animo ſim libero & reſignato, ac tui duntaxat laudem aucuper, tam in aſperitate vel duricia, quàm ſuauitate.

SAP. Nulla eſt perefectior & excellẽtior reſignatio, quam in ſui derelictione eſſe reſignatum. MIN. Atqui Domine nimis id acriter dolet. SAP. Vnde probatur virtus, niſi in rebus aduerſis? Verumenimuerò pro certo habeas, venire me ſæpius, atq; vt aditus in domum meam mihi pateſcat, petere, ſed repulſam me perpeti: crebrò ceu peregrinum me accipi, indignè tractari, mox repelli foras. Porrò ad animam mei amantem non tantũ venio, ſed etiã amicabiliter. Reſignatio optima quæ.

biliter apud illam maneo& commoror:id verò tam fit occultè, vt lateat Mortales omnes, præterquàm qui prorsus abstracti viuunt& separati ab hominibus, obseruantq; vias meas, atq; in eam perpetuò incumbũt curam, vt gratiæ meæ morem gerant,ac satis sint.Siquidem secundum Diuinitatem meam purissimus ego spiritus sum, atque in puris spiritibus spiritaliter suscipior.

MIN.Quantum equidem conijcio, Domine Deus, amator es admodum secretꝰ & occultus. Quamobrem oratum te velim, quædam mihi signa proferas, quibus te reuera præsentem nôsse liceat.

Quo indicio diuina præsentia cognoscatur.

SAP.Certam præsentiam meam nulla realia melius poteris cognoscere, quam vbi me abscõdo,& quod meum est, retraho ab anima. Tum demùm satis experiris quid ego sim, & quid tu.Ego proculdubio bonum sum sempiternum,sine quo nemo quicquam boni habet. Cùm igitur bonum illud immensum, quod ego sum,benignè ac amanter impertior, ac diffundo,quandam induunt bonitatem ea omnia quibus me communico: ex qua re potest haud obscurè colligi præsentia mea, quemadmodum ex radijs suis SOL,qui tamen in sua sphera perspici non potest. Si ergo vnquam me persenseris, ingressus in teipsum, disce rosas ab spinis secernere, & flores ex graminibus selegere.

Status derelicti quis.

MIN. Equidem Domine & perquiro & cõperio in meipso magnam diuersitatẽ. Quando derelictus sum, anima mea ita habet, vt ægrotus quispiam,cuius est infectus gustus.cui nihil

libet

libet, sed desipiunt omnia. Corpus torpore cōstringitur, animus prægrauatur: intus ariditate, foris tristitia laboro. Ingratum & inuisum est, quicquid occurrere oculis, vel hauriri auribus potest, quātumuis etiam bonum sit. Pronus sum in vitia siue defectus: debilis ad resistendum hostibus: frigidus & tepidus ad quæuis bona. Quisquis ad me accedit, vacuam inuenit domum. Nanque Paterfamilias non est præsens, qui optimè consulere nouit, totamq; familiam magno erigere animo. At verò dum lucifer in animæ meditullio oritur, mox dolor omnis abscedit, caligo omnis dispellitur, ac luculentus existit orturq; splendor. Cor ridet, mens attollitur, anima hilarescit: iocunda & festiua apud me sunt omnia: quicquid intra me & circa me est, totum in tui laudem conuertitur. Quod prius durum, difficile, molestum, impossibile videbatur, fit repentè facilè & suaue. Ieiunijs, vigilijs, precibus incumbere, pati ac abstinere vel vitare, denique omnis vitæ asperitas ad tui præsentiam prorsus nihil videtur habere molestiæ. Multam & ingentem concipio fiduciam ac magnanimitatem, quam tamen derelictus non sequor nec experior. Anima claritudine, veritate, suauitate perfunditur, ita vt labor omnis in obliuionem abeat. Cor dulcibus delectatur & abundat meditationibus, lingua sublimiter fari nouit, corpus ad quæuis aggrediēda promptum & alacre est: & quisquis ad me consulendum accedit, sublimia pro voto consilia reportat. Denique non aliter mihi tum affectus videor, quàm qui locum & tempus omne excesserim, atque in sempiternæ

Diuina lux quid animæ conferat desolatæ.

piternæ beatitudinis vestibulo consistam. Sed quis mihi præstet Domine, vt sic diu esse liceat? Proh dolor, momento celerius rursus subducitur. atque adeò tum ferè nudus ac destitutus relinquor diu satis, quasi nunquam quicquam eiusmodi perceperim: donec post multa & profunda cordis suspiria denuò restituatur. Túne igitur id es Domine an ego potius? aut quidni tandem est?

Dilecti absentiam potius, quam præsentiam, sentiri.

SAP. Tu profectò ex te ipso nihil habes præter vitia & defectus. Itaq; ego id sum, atque hic amoris ludus est.

MIN. Ecquid est amoris ludus? SAP. Quámdiu is, qui diligitur, adest amanti, nescit amans quàm charus sit dilectus: dum verò dilectus ab amante separatur, tũ demùm intelligit amans, quàm dulcis fuerit præsentia dilecti. MIN. Ludus hic permolestus est. Sed quæso Domine, estne inuenire quosdam in hac vita, apud quos ista vicissitudo præsentiæ tuæ desierit?

SAP. Tales quidem rarissimos comperies. Nunquam enim mea frustrari præsentia, non huius temporariæ, sed æternæ vitæ est.

MIN. Sed qui tamen aut cuiusmodi sunt, qui te perpetuò præsente fruũtur? SAP. Purissimi, ac æternitati similimi. MIN. Hi verò qui sunt?

Quinam perpetuò hic Dei præsentia perfruantur.

SAP. Illi nimirum, qui ab omni medio & vitio, quantum maximè fieri potuit, sese expediuerunt.

MIN. Pijssime Domine, doce me obsecrò, vti hac in parte pro mea imperfectione gerere me debeam.

Eccl. 11.

SAP. *In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum:* ita fiet vt nec

vt nec ex præsentia gratiæ meæ erigaris in superbiam, nec ex derelictione aut desolatione graui animi mœrore contraharis. Quod si ob tuam imperfectionem necdum potes illi quàm ex me capis, delectationi libenter renunciare, saltem patienter me expectes, & amanter exquiras. MIN. *Spes quæ differtur, pijssime Domine, affligit animam.* Prou. 13.

SAP. Ferat necesse est modo tristia, modo iucunda, quisquis in hac vita amori vult esse deditus. Non putes satis esse, si certa quadam diei horula mihi vaces: Immò verò perpetuò secum habitare debebit, qui DEVM intus sentire & experiri volet, eiusque occulta haurire susurria, & arcanos ac mysticos sensus percipere. Sed quid tu ita inconsideratè oculis animoque vagaris, cum tamen semper tibi corã proposita sit & assistat æterna illa ac venustissima Sapientia, quæ nec ad momentum suos vnquã à te deflectit obtutus? Cur auditum in res peregrinas & extraneas dilabi ac distrahi pateris, cùm intus tam multa tibi, eaque amoris plena mea inspiratione verba promantur? Cur ita miserè ac perniciosè obliuisceris tui, summi ac æterni boni veneranda cinctus præsentia? Denique quid vlla in re externa foris aucupatur & occupatur anima tua, quæ regnum Dei tam occultè intra se gerit? MIN. Quodnam est illud regnum cælorum Domine, quod animam intra se circunferre dicis? Quõ anime regnum Dei inter se gerat

SAP. Nimirum iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. MIN. Animaduerto Domine ex his dictis tuis, multas te habere occultas in anima vias, ipsi penitus incompertas, teque eam

eam trahere intrò in suæ mentis abditos recessus, atque amanter & blanditer deducere ac inuitare ad amandam cognoscendamq; præcelsam diuinitatem tuam, quæ prius soli erat intenta dulcissimæ humanitati tuæ.

Tertia difficultas est, cur Deus amicis suis tot sinat aduersa accidere in hoc mundo.

CAPVT X.

MIN. Adhuc quiddam meo hæret in pectore dulcissime Deus, quod vtinam tibi proferre liceat. Vtinam cum bona venia tua permissum sit mihi tecum in disputationem ingredi, quemadmodum de S. Ieremia legimus. Quæso amantissime Domine, ne grauatè accipias, sed comiter & benignè auscultes. Aiunt quidam, tametsi mellifluus valdè ac intimus sit amor tuus & amicitia, at nihilominus te permittente, multo interim labore ac dolore hãc eis constare ob multimodas & quidẽ valdè acerbas, quas eis pateris euenire, perpessiones & cruces: vt est, quod toti Mundo sunt contemptui, pluresq; alij aduersi casus intus & foris occurrentes. Nam simulatq; in tuã quis ingressus sit amicitiam, euestigio eum se preparare ac fidenti & infracto animo offerre debere ad perferendas afflictiones. Per bonitatem tuam obsecro te Domine, ecquid in his suauitatis experiri queant? aut qua ratione perpeti potes, vt hæc amicis accidant tuis? an fortè non curas isthæc nôsse?

Ierem. 12.

SAP.

SAP. Sicut dilexit me Pater, ita ego diligo amicos meos. Haud aliter nunc ago cum amicis meis, quam ab ipso Mundi exordio vsq; in præsentem diem egerim. Ioan. 15.

MIN. Hoc est Domine quod quosdam malè habet: eaque causa aiunt te paucos habere amicos, quod ita duriter & asperè eos tractes in hoc Mundo. Hinc etiam accidit, vt perplures posteaquam in tuam sunt admissi amicitiam, atque per afflictiones probari & confirmari deberent, à te deficiant, & quod nõ sine magno animi dolore & acerbis lachrymis cõmemorare possim, rursus ad ea deuoluantur, quibus tua causa nuncium remiserant. Quid ad hæc mi Domine respondes? An summus aliquis Dei amicus; deficiat.

SAP. Querimonia hæc eorum est, qui modicæ sunt fidei & paruorum operum, itemq; vitæ tepidæ & inexercitati spiritûs. At tu dilecte mi agè iam ex profundo & cœnoso corporalium voluptatum lacu animo assurge, internisque patefactis sensibus & spiritualibus oculis, adspice diligenter quidnam sis, vbi degas, & quo peruenturus sis: atque ex his poteris vtcũque habere cognitum, me amicis meis summè prodesse & gratificari. Nimirum secundum naturalem essentiam tuam, Diuinitatis es speculum, sacrosanctæ Trinitatis imago, & æternitatis exemplar. Atque vt ego secundum ineffabilem Diuinitatem meam bonum sum infinitum: ita & tu desiderium habes inexhaustũ vnde quemadmodum guttula vna aquæ nihil facit ad vastissimi Oceani augmentationem: ita tuum desiderium explere non potest quicquid totus hic præstare potest orbis. Interim

in hac valle miseriæ versaris, vbi prospera
uersis, risus lachrymis, læta tristibus permi
sunt: adeò vt nemo vnquam perfecta in
pace potitus sit. Fallit enim & mentitur
Mundus, sicuti ex me audies. Multa promi
sed parum præstat. Gaudium eius breue est,
instabile ac mutabile. Hodie multa offert g
ta & iucunda: cras animum dolore & m
rore conficit. Hic videlicet ludus est Mu
huius.

De lamentabile ac sempiterno Inferorum cruciatu,

CAPVT XI.

SAP. Vide nunc dilecte mi, totaq; animi
tentione contemplare inexplicabiles
ferias, atque adspice vbinam sint om
illi, qui antehac vnquam cum gaudio & vo
ptate in hac vita momentanea corporis suo
lectamentis & commodis captandis sese de
dêre. Quid iam prodest illis multiplex gaud
temporaneum, quod simul cum tempore
mentaneo tam repente euanuit, ac si nunqua
fuisset? Quam breuis est illa prosperitas, qua
dolor sequitur nullum vnquam finem hab
turus? O homines amentissimi, vbi nunc
quod gratulabundi dicebatis. Adeste filij ma
nanimi, faceslat mœror omnis, totos nos su
mis dedamus gaudijs. Quid iam emolumen
ad vos redit ex omnibus vnquam perceptis v
luptatibus? Potestis haud immeritò lamen
bili plorare voce & dicere, Væ, væ, væ, v
quam nos esse editos in hunc Mundum. Eh

Mundi gaudiorum vanitas.

vt nobis imposuit tempus breuissimum. Eheu quàm insidiosè nos anteuertit mortis inevitabilis necessitas. Eheu quisquámne adhuc in Mundo supereſt, cui sic illuditur, vt nos miserrimi delusi sumus? Aut estne aliquis, qui ex alieno damno velit cautior & prudentior fieri? Certè si quis mortalium omnium cruces vel mille annis solus haberet perpeti, non esset tamen alicuius momenti, si ad ea, quæ nos patimur, mala conferatur. O verè beatum nimisque felicem illum, qui nunquam vlla captanit gaudia vel oblectamenta inuito Deo: quique eius causa ne vnum quidem vnquam prosperum habuit diem toto vitæ suæ spatio. Nos amentes & stolidi, eiusmodi putabamus à DEO relictos & obliuioni datos: atque ecce quàm suauiter eos complexus est in æternitate sua? quanto eos euexit honore & gloria coram omni cælesti exercitu? Quid iam incommodi redit ad eos ex omni illa perpessione & contemptu sui, quæ nunc illis in tantam sunt mutata felicitatem, in tanta versa sunt gaudia? At verò quæ nos diligebamus, quàm prorsus redacta sunt in nihilum? O dolor, ô calamitas nunquam fidem habitura. O quid est dolor finem nesciens? quid est miseria sempiterna? O finem, cuius nullus erit finis. O mortem omni morte acerbiorem: perpetuò mori, nec tamen vnquam posse emori. Aeternùm valete pater & mater & amici omnes, quorũ iam deinceps nunquam licebit amicitia perfrui: à quibus iã æterno nos separai necesse est. O dira separatio, O separatio sempiterna, quantum torques, quantum crucias? O manuum cõplosio,

Verè beatus quis. Sap. 5.

& collisio, O stridor dentium, ô gemitus, ô
chrymę, ô ploratus, & vlulatus, & clamor pe
petuus, qui tamen nunquam sit exaudienda
Miserabiles oculi nostri non nisi summam
lamitatem & angustiam perpetuò contempl
buntur: aures nihil nisi lamentationes & V
sempiternum audient. Hæ interim extrema
ineffabiles calamitates & miserię permouea
& quadam miseratione afficiant vos Morta
Ose. 10. Luc. 23. Apoc. 9. omnes. Væ, væ montes & colles, cur cessatis
perire nos? cur moras nectitis? cur nos patim
ni? quare non obruitis nos, & absconditis
horum miserando & horrendo adspectu?
quantum inter se distant afflictiones presen
& futuræ vitæ? O præsens tempus, quantu
hominum excæcas & fascinas pectora? qua
misere imposuisti nobis, vt hæc in ipso iuue
tutis flore, in ętate integra ac opportuna, qua
heu inanissimè contriuimus, non prospice
mus. Eheu non licebit vnquam præteritos
uocare dies. O si vel horulam vnam recuper
re daretur prolixæ illius ætatis tam malè co
Aeternitatis nullum esse finem. sumptæ. Sed iusto Dei iudicio adeò id nobis
negatum est, vt nulla huius spes apud nos v
quam futura sit. O dolor, ô calamitas, misere
nos in hac terra obliuionis in omnem æter
tatem ab omnibus amicis sine vlla consolati
Comparatio lepida, tametsi minimè iucunda. ne & spe meliori separatos esse debere. Nih
quidem nos aliud cuperemus, quàm si esset li
pis aliquis molaris tantæ amplitudinis, quan
tæ est totus orbis terrarum, tantęque in rotu
dum vastitatis & molis, qua circum quaque
lum attingeret, vt auicula quæuis post centu
annorum millia aduolans, non nisi quantu

est decima pars milij, rostro suo decerperet ex illo lapide, rursumq; post alia centum annorũ millia tantundem auferret, ita vt post decies centena annorum millia, integri millij dunta-xat quantitatem ex lapide abroderet, liceretq; miseris nobis vel tunc demum ex his æternis emigrare supplicijs, vbi lapis ille totꝰ esset hoc pacto per auiculam consumptus. Sed prohdolor nec id saltem vlla consequendi spes est. En hoc est carmen lugubre, lamentationes & Væ, quæ amicos seculi huius post huius vitæ curriculum manent.

Magna damnatorũ afflictio futura.

MIN. Medullitùs exterritum est cor meum, Iudex æquissime & seueriſſime: anima mea viribus destituta deficit præ commiseratione & dolore erga infelices homines illos. Et quis tãdem est toto in orbe terrarum tam dissolutus & leuis, qui non his cognitis, reuera horrendis & terribilibus malis, totus contremisceret? Eheu dulcissime IESV, amice vnice, ne me derelinquas: non me deseras vnica cõsolatio mea. Namque vel millies tua causa mortem perpeti malim, etiam quotidie, quam cum his miseris æternum à te diuungi, quem vnice diligo, vt interim cæteras illorum calamitates taceam. Enimuerò si vel cogitare tantùm velim intolerabilem illam tui ab anima separationem, possim præ horrore deficere. Quæso pater pijssime, age mecum dum in terris sum, vt visum est tibi, me prorsus in hoc consentiente voluntati tuæ, meque tibi permittente ac resignante. tantùm nè me patiaris tam misere à te separari.

Separatio horribiliſſima omnium

SAP. Noli extimescere: non poterunt di-

uelli aut disiungi vnquam, qui in hac vita temporaria piè coniuncti & vniti sunt.

MIN. Vtinam Domine ad eorum notitiam hæc peruenirent, qui omnes dies suos tam stolidè transigunt, vt his commoniti, vitam corrigerent suam, antequam & ipsi ad has inexplicabiles pœnas deuoluantur.

De ineffabilibus cælorum gaudijs.

CAPVT XII.

SAP. Attolle iam oculos, & vide patriam cęlestis paradisi, ad quam tendere debes. In terris non nisi hospes es & exul ac peregrinus. Itaque sicut peregrinus ad patriam properat, vbi eum chari illius amici expectant magno cum desiderio & amore: ita tu quoque festinare debes ad illam patriam supernam, vbi omnes tui videndi sunt cupidissimi, omnes felicem præsentiam tuam medullitus & ex animo suspirant, auidè optantes te salutare amicissimè, accipere blandissimè, atque in iucundissimam sodalitatem suam æterno aduertere adiungereque. O si compertum haberes, quantopere tuam ficiant præsentiam, quantoperè cupiant vt afflictiones hilariter feras, agasque strenuè & virilicer in quibuslibet aduersis casibus, quos ipsi superârunt, iamque summa cum suauitate commemorant annos, quibus viderunt & perpessi sunt mala innumera, profectò cruces omnes mitius tolerares. Nam quo acerbius hîc afflictus fueris, tanto illic maiori cum gloria & dignitate excipieris. O quantam adfer-

Peregrinorũ & exulũ more nobis hic agendum.

Affligi quam vtile.

Honor & gloria beatorum incomparabilis.

adferet voluptatem honor ille, quanta cor animumque occupabit & perfundet lætitia, vbi coram patre meo totaque cælestium ciuium frequentia animam ipse honorificè commendauero extuleroque, quod in hac mortali vita, quæ non nisi militia est, tanta pertulerit, tot certamina inierit, atq; victrix superârit: quod sanè non æquè contingit illis, qui hic non perinde dimicârint. O quam miro illic radiabit splendore corona, in terris tam duro parta labore: quam eximium dabunt fulgorem vulnera, cicatrices & stigmata mei amore suscepta. Crede mihi, tanta illic amicorum tibi turba est, vt etiam qui in illa innumera multitudine à te alioqui vel maxime extraneus est, propensius ac fidelius multò te amet, quàm vlli vnquam parentes suam amârint prolem in hoc orbe sublunari. Iob. 7.

Quanta inter eos qui degũt in cælo, amicitia.

MIN. Precor Domine, liceat mihi pace tua te obsecrare, fusius vt loquâris de hac patria felicissima, quô me illius ardentior incessat cupido, & cruces quaslibet feram moderatius. Quæso Domine, ne graue sit tibi explicare, vt ea se habeat regio, aut quid illic rerum geratur, vtrum eorum qui illic degunt, grandis sit numerus, atque num perinde perspectum illis sit, quo in statu res nostræ sint, vt tua dicta præ se ferunt.

SAP. Age iam vna mecum iter capesse: equidem iam cogitatione eo te perducam, atque sub crassa quadam similitudine patriam illam procul tibi conspiciẽdam præbebo. En tibi cælum illud nouum, quod totius terræ latitudinẽ, etiãsi ea centies millies foret maior, inæsti-

mabiliter sua vincit amplitudine vltra ho

Cæli Empyrei descriptio

porrò cælum est aliud, quod dicitur Empyrei id est, igneum, non tam ab igni, quam immen sa & radiantissima claritate, ac igneo splendo re, qui illi ex natura inest immobilis ac i occiduus. Atque hoc est regale illud palatiu in quo omnis cælestis exercitus commoratur vbi *me simul laudant astra matutina, & iubilant mnes filij Dei.* Ibi sedes positæ sunt sempiterna incompræhenso cinctæ lumine, ex quibus de trusa est tota cohors spirituum malignorum in quas electi recipiuntur. En ciuitas illa iucū dissima tota refulget ex auro mundo, præcio sissimis radiat margaritis: Fundamenta mur eius omni lapide precioso ornata: platea illiu aurum mundum, tanquam vitrum perlucidū rosis rubentibus, albicātibus lilijs, omnigenis que vernantibus tota nitet ac resplendet flori bus. Tu ipse iam contemplare propiùs cæleste illos amœnissimos q campos. Hîc hîc nimiru æstiua floret iucunditas: hîc hîc Veris splendid prata floridissima: hîc verorum vallis fœcun da gaudiorum: hîc gratissimi oculorum ad spectus amicorum in amicos: hîc citharæ, hîc testudines suauiter resonant: hîc cantatur, sal tatur, tripudiatur iugiter: hîc omniuarijs per petim vacatur gaudijs: hîc adsunt pro voto o mnia, hîc prospera sunt omnia, nullis permi xta tristibus, sed cum sempiterna securitate cō iuncta. Circumspice innumeram illam multi tudinem, vt ex vitali illo perpetuo scaturien te potent fonte pro omni cordis sui desiderio adspice vt in mundissimum præclarissimum q præsentissimæ Diuinitatis speculum, in quo

Iob. 38.

Luciferanorū sedes quæ quibus obuēturæ.

Apoc. 21.

cuncta

cuncta illis relucent & perspicua sunt, suos intendant obtutus. Adhuc penitus ingredere, & vide vt mellitissima cælestis patriæ Regina, quam tu ita medullitus amas, felicitate, exultatione, dignitate omnes illos cæli incolas excedat ac superemineat, *delicijs affluens*, ac præ teneritudine *innixa super dilectum suum*, circundata floribus rosarum & lilijs conuallium. Cerne vt eius absolutissima formositas & pulchritudo gaudio & voluptate afficiat omnes cæli ciues: & vt ipse quoque exhilarescas ac animo erigaris, conspice vt illa pijssima misericordiæ mater clementissimos ac blandiss. oculos suos tam benignè ac dulciter ad te cæteroſque peccatores omnes ipsam implorantes conuertat, quantaque authoritate & potentia eos tueatur, & suo filio recõciliet. Intuere porro oculis puræ intelligentiæ, vt præcelsi Seraphici spiritus & animæ eiusdem ordinis, amore feruentissimo præditæ, absque intermissione flagrantissimo charitatis ardore in me ferantur: Vt luculenti Cherubim & quæ inter eos sunt Animæ, perennis ac incomprehensi luminis mei splẽdido influxu perfruantur, idemque alijs communicent: Vt sublimes Throni, eorumque sociæ Animæ suauiter in me acquiescant, & ego in eis. Subinde speculare, quemadmodum tres alij angelorum ordines, siue altera Hierarchia, puta Dominationes, Virtutes, & Potestates, congruentissimè exequantur æternam & sapientissimam Dei ordinationem in toto vniuerso. Simul etiam attende, vt vltima Angelorum Hierarchia fungatur officio denunciandi & perficiendi leges meas in singularibus Mundi

Canr. 8.

B. Virginem Mariam omnes cęli ciues afficere lætitia.

Seraphim.

Cherubim.

Throni.

Ang Hierarchię secundæ spiritus quales.

Quales tertiæ.

partibus. Denique nunc immensam hanc adspecta multitudinem, quàm illa suauiter, amicabiliter, iucundè & dissimiliter valde constituta ac disposita siue ordinata sit: & quantam adferat voluptatem horum consideratio. Neque verò electissimos meos prætereas discipulos, amicosque charissimos, sed intentis in eos oculis vide, quanta illi requie perfruantur, quàm immenso honore præditi sint, residentes in venerandis iudiciariæ potestatis sedibus: itemq; vt Martyres purpureis rutilent vestibus, Confessores vernantissima reniteant pulchritudine, tenerrimę Virgines Angelica splendeãt integritate ac puritate: denique vt totus cælorum exercitus præ diuina colliqueſcat suauitate. O quam iucunda est horum societas, quàm amœna & fortunata regio. Felix nimium, cui vnquam nasci contigit, & has sedes æternum occupare dabitur. En ad hanc ergo patriam inter amplexus meos charissimam deduco sponsam meam, extra huius vitæ exilium, cum preclaris diuitijs opulentissimi peculij siue paraphernorum suorum. Intrinsecus vestio eã habitu elegantissimo luminis gloriæ, quo vltra omnem naturæ suæ facultatem euehitur. Extrinsecus autem corpus induetur glorioſum, septulo quàm sit sol ipse lucidius, itemq; agile, subtile, ac impassibile. His ego addo in caput eius speciosam coronam auream, eiq; aliam impono coronam aureolam.

Apostoli.

Martyres.

Virgines.

Sponsa quæ qualis futura.

Nuptialia dona quæ quibus obuentura

Parapherna quid.

MIN. Obsecro Domine, quod est hoc peculeum siue parapherna, quę corona aurea, itemque aureola?

SAP. Parapherna, quæ aliâs dicuntur dona-

tio

tio propter nuptias, sunt perspicua & manifesta contemplatio eorum quæ hîc fide duntaxat cernis, præsens apprehensio eorum quæ hîc cogitas, atq; iucunda & amicabilis fruitio eorum quæ hic diligis. Porrò corona aurea præmium significat essentiale: & Aureola præmium accidentale.

Aureolæ siue præmij accidentalis descriptio & qui eo fruantur.

MIN. Hæc quoque Domine mi velim dici explicatius.

SAP. Præmium accidentale, est peculiare quoddam gaudium, quod habet anima ex præclaris suis actionibus, quibus hîc victrix euasit. Hoc perfruũtur eximij Doctores, inuicti Martyres, & Virgines inuiolatæ. Atqui essentiale præmium in contemplatiua consistit vnione animæ cum nuda Diuinitate. Nunquam enim perfecta potest requie anima potiri, donec supra omnes vires & potẽtias suas euecta, in personarum Diuinarum naturalem essentiam, atque in essentiæ simplicem nuditatẽ deducatur. Vbi tum demum in hoc ipso obiecto veram oblectationem & æternam capit ac obtinet beatitudinem. Quanto autem exitus ipse est abstractior & expeditior, tanto & ascensus liberior: & quo ascẽsus liberior, eo propior ac profundius introitus in vastam illam solitudinem & impenetrabilem abyssum modinesciæ Diuinitatis, in quam beati omnes immerguntur, colliquescunt, dimanant, atque vniuntur adeò, vt nihil possint aliud velle, quàm quod velit Deus? atq; ipsum est idem esse quod est Deus, id est, beatos esse per gratiam, quod est Deus per naturam. Quæ cũ ita se habeant, agedũ erecto hilariter vultu, sepositisq; aliquãtisper extra memoriam

Corona aurea, seu essentiale præmiũ in quo consistat.

Quid sit, idẽ esse, quod Deus est.

moriam molestijs & afflictionibus tuis vn
uersis, animum recrea & oblecta in hoc caligi
noso silentio & tacita caligine, vna cum iucu
dissima sodalitate & frequentia beatorũ, que
tu occultè admodum & in enigmate contem
plaris. Cerne quàm roseo lætoq; perfusi colo
vultus niteant, olim in terris sæpenumerò me
causa verecũdo suffusi rubore. Dic animo ma
gno & fidenti corde: Vbi nunc est pudor ille
cerrimus, qui vestra solebat adeò penetrare
conficere munda castaque pectora? vbi demi
sum ac pendulum caput? vbi depressi oculi? v
bi dolores animum excruciantes atque pre
mentes? vbi gemitus? vbi lachrymæ tristes? vbi
vultus pallescentes? vbi ingens paupertas ac in
opia? vbi voces illæ miserabiles, O Deus, ô Do
mine, quàm me totum occupat vehemens cor
dis dolor? vbi nunc omnes illi, qui vos sperne
bant ac premebant: Non iam vlterius insonan
voces illæ, Certandum, dimicandum, confli
gendum est noctes atque dies, perinde vt solem
qui in acie & patenti campo cum hostibus con
grediuntur. Vbi nũc est, quod plus millies vo
biscum in animo tractare solebatis, dum præ
sens gratia arrideret, num parati essetis subtra
cta rursus gratia fortiter perstare? Prorsus iam
conquieuit lamentabilis ille clamor & queri
monia, qua derelicti solebatis vti, Eheu Domi
ne *Deus meus, vt quid dereliquisti me?* En quantum
ipse percipio, suauissime vestris in auribus re
sonant verba illa amantissima: *Venite benedicti
Patris mei, possidete paratum vobis regnum à consti
tutione Mundi.* Vbi nunc sunt cruces, molestiæ,
dolores, incommoda, quibus vnquam in ter

Quanta rerũ præsentiũ futura mutatio.

Matth. 27.

Matth. 25.

ris
eua
eiu
inc
cog
inc
duc
imp
mn
gita
me
abs
cip
vo
dic
na
qu
str
&
for
cui
tuò
per
hîc
per
mn
&
es
qu
ris
rer
ne

ris afflicti estis? En cuncta hæc velut insomniũ euanuerunt, perinde quasi nunquam quicquã eiusmodi perpessi sitis. O Deus altissime, *quam incomprehensibilia sunt iudicia tua,* & Mundo incognita. Eia vos electi Dei omnes, nihil iam deinceps opus habebitis in angulos abdere & subducere ac latitare præ malesanorum hominũ importunitate ac amentia. Profectò si corda omnia in vnum conflata forent, non possint cogitatione complecti ingentem honorem, immensam dignitatem, laudem, gratiam, quibus absque vllo fine perfruemini. O vos cæli Principes, ô vos præclaros Reges ac Imperatores, ô vos æterni Dei charissimos filios, quam splendidæ sunt facies vestræ, quàm iucunda & serena corda, quam magnus & sublimis animus, quam dulcibus concinunt modulis voces vestræ carmen eiuscemodi: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio: honor, & virtus, & fortitudo, & salus Deo nostro in secula seculorum,* cuius gratia & benignitate hisce bonis perpetuò fruituri sumus. Hæc reuera est patria, hîc perfecta quies, hîc intimum cordis iubilum, hîc laus ex ipsis profecta medullis animi, semperq; duratura.

Rom. 11.

Electis obuentura, qualia.

Apoc. 5. & 7.

MIN. Stupenda sunt hæc Domine, & quæ omnem admirationem superent. O summum & immensum bonum Deus noster, quidnam es tu? O dulcissime & amantissime Domine, quam *bonum est nos hîc esse*? O vnice & singularis amice Deus meus, liceat tua pace hîc semper remanere.

Matth. 17.

SAP. Non est sanè hîc etiamnum permanendi tempus: adhuc multa tibi restant dura eluctan-

Ad quid amãti animæ cælestium hic cognitio, etsi imperfecta tribuatur.

eluctanda certamina. Ea quæ iam contuitus e
ea dũtaxat causa videre permissus es, vt in qu
buslibet afflictionibus animum huc celerit
reuocare queas: vnde id consecuturus es emo
lumenti, vt nunquam desperare possis, & d
lorem omnium quædam te obliuio capiat. At
que vt hominum imperitorum & rudiũ qua
rimoniæ occurramus, dicentium me durite
accipere & malè tractare amicos meos, tu ipse
iam certo disce experimento, quantum inte
meam & huius sæculi interfit amicitiam, &
quàm longè melius ego meos tractem amico
atque Mundus iste suos, si tantum iusto quæq
iudicio expẽdere velimus. Vt enim neutiquam
hoc loco cõmemorẽ immẽsos dolores, mole
stias, labores, multijugesque perpessiones, qui
bus nocte ac die obruti sunt homines huic sæ
culo dediti, licet ipsi præmentis cæcitate min
mè id perspiciant aut animaduertant, hoc v
num tamen certissimum est, iussisse me ex om
ni æternitate, vt omnis animus inordinatu
pœna sit suipsius. Amici quidem mei ferũ
corporis incommoda, sed pectoris tranquilli
tate & pace gaudent: at amici sæculi huius cor
poris venantur commoda, & cordis, animæ a
mentis incommodis cruciantur.

Amicitiæ quæ quam inter se differant.

Amentes potissimũ qui.

MIN. Ego Domine sic sentio, mentis inope
ac furore percitos eos esse, qui veram sincerã
que amicitiam tuam cum fallacissima Mundi
amicitia cõponere & conferre volunt, eô quod
te diligentes tam angusto videantur numero
comprehendi, quod sit magnæ cæcitatis eorum
vitio: atque etiam non rectè sapere eos, qui vn
quam grauatè & cum quærimonia quanlibet
affli-

afflictionem ferunt. Omninò enim paterna castigatio & virga tua ex maximo amore proficiscitur, & verè suauis ac benigna est, vt nõ immeritò felix ille censendus sit, à quo illam nũquam retraxeris. Afflictio, inquam Domine, vt nunc perspicio, nõ ex aliqua duritia & asperitate tua, sed ex amore tenerrimo ac benignissimo trahit originem. Nemo posthac dicere ausit, tuorum te àmicorum obliuisci. Immò verò illos potius tãquam deploratos repulisse videris, quos hîc temporarijs afflictionibus castigare non vis. Iure profectò nulla vnquam prospera die, nulla re optata vel commodo potiri debebunt in hac vita, quos tua benignitate seruaturus es ab illis æternis miserijs, perennique donaturus beatitudine. Præsta mihi optime Domine, vt isthæc gemina contemplatio nunquam ab oculis cordis mei remoueatur, ne tuæ vnquam amicitiæ grauem iacturam faciam.

Derelicti à Deo maximè qui.

De immensa temporalium afflictionum dignitate ac vtilitate.

CAPVT XIII.

MIN. Obsecro Domine, ne molestum sit declarare seruo tuo, quas velis intelligi cruces vel afflictiones, quarum tãtam affirmas esse præstantiam ac oportunitatem. Totus enim ardeo & concupisco hac de re plura ex te percipere, vt si fortassis, quippiã aduersi, te permittente, mihi euenerit, hilariter id & amanter tanquam ex paternis manibus tuis accipiam.

SAP.

SAP. Equidem de qualibet hoc cruce vel afflictione dictum volo, siue ea vltrò suscepta siue nolenti aliunde acciderit, vbi plerunq; necessitas mutatur in virtutem, qua tamen crucis qui eam patitur, nolit (me inuito) esse absolutus, quamque amicabili ac humili cum patientia in mei æternam referat laudem. Quæ sanè crux quanto maiori cum amore & promptiori voluntate coniuncta est, tanto etiam præclarior mihiq; acceptior est. Itaque de huiuscemodi afflictionibus me paulo latius dicentem audiscultа, & quæ dixero, ipsis tui cordis viscerib inscribe, sintq; velut signum quoddam spiritalibus animæ tuę oculis propositum. Id pro cto retineas, ita me commorari anima mundceu in paradiso quadam voluptatis. Eam d rem ferre non possum, vt cum amore aut delectatione vlli rei incumbat aut adhærescat. E nanque ex ipsa natura in noxas propensa v luptates. Itaque sepio viam illius spinis, atqu omnes semitas eius (velit nolit) aduersitate ob struo, nè ex manibus meis elabatur. Cunctas ius itinera afflictionibus conspergo, nè qua lia in recordis sui oblectationem, præterqu in Diuinitatis meæ celsitudine constituat. Crede mihi, si corda omnia in vnum redigerẽtur non possent in hac vita minimum ferre præmium, quod redditurus sum in illo æuo sempiterno, etiam pro minima quaq; cruce, quam quispiam ex amore passus fuerit mea causa. Id nimirum ex omni æternitate in tota rerũ natura à me decretum est & constitutum, quod nec mutari velim, vt præclara quæque & cum virtute coniuncta, eadem quoque difficilia sint

Crux quæ quibus quõ ferenda.

Quis Dei erga quos zelus.

Præmiũ sanctorum quãtum.

fint & magno labore conſtent. Si cui non libet operam ponere, ſed mauult à me deficere, deficiat ille ſanè. *Multi* enim *ſunt vocati*, ſed *pauci electi*. Matth. 20.

MIN. Fortaſſis negari non poſſit, Domine, afflictiones longe ſaluberrimas eſſe, ſi tamen non ſint nimiæ, nec plus ſatis immanes ac inuſitatę. Atqui Domine Deus, qui ſolus nôſti occulta omnia, quique cuncta in numero, pondere & menſura condidiſti, tu ipſe perſpectum habes cruces meas modum omnem prætergredi, & vires meas excedere. Neſcio profectò, ſi quis alius toto hoc terrarum orbe durius perpetuò affligatur. Et quî tandem perpeti potero? Quòd ſi vulgaribus me moleſtijs afficeres Domine, ferrem eas vtique: at verò peregrinas haſce atque inſolitas cruces, animam & mentem meam adeò occultè transfigentes, tibiqúe vni funditus cognitas, tolerare quî poſſim, necdum video.

SAP. Morbidus quiſque & ęgrè affectus, putat ſuum morbum eſſe omnium grauiſſimum: & ſitibundus, neminem ſe miſeriorem arbitratur. Ita ergò ſi te alijs afflixiſſem modis, tu quoque ſentires idem, quod modò ſentis. Itaque virili animo permitte ac reſigna teipſum voluntati meæ in qualibet re aduerſa, quam te volo perpeti, idque facias abſque vlla exceptione huius aut illius moleſtiæ vel perpeſſionis. Noſtin me nunquam non id ſolum velle, quòd ſit maximè è re tua, multo etiam ſtudioſius, quàm tu ipſe velis? Neque te latet æternam me eſſe ſapientiam, quæ ſola perfectiſſimè nouerim, quid tibi ſit conducibilius. Suum cuique onus videri difficilimum.

Cruces quæ quibus vtiliores.

Iam verò etiam propria te experientia didici
se puto cruces à me irrogatas, si quis illis ri
vti nôrit, propius attingere, penitius penetr
re, & celerius in Deum vrgere ac propeller
quàm quæuis aliæ proprio arbitrio susceptæ
Quid igitur adhuc queritaris? Quin ita potiu
dicis: Fac mecum pater benignissime, quicqu
vnquam tibi visum erit.

MIN. Facile id quidem dictum est, mi D
mine, sed præsens afflictio est toleratu difficil
ob nimium dolorem suum.

Crucem sine dolore non dici.

SAP. Si non doleret crux, non posset nom
tueri suum. Nihil est cruce honestius, nihil i
cundius ac optabilius, quàm crucem pertuli
Crux & afflictio breuis quidem dolor, sed pr
lixum gaudium. Crux illi dolet, cui crux m
lesta est & inuisa: qui verò eam fert æquanim
ter, illi id præstat, vt crux eum minimè excr
ciet. Certè si tanta iugiter abundares spirita
suauitate, & diuina consolatione ac oblectat
one, vt præ cælesti illo rore perpetuò colli
quesceres, ex his omnibus per se consideratis
non tantum tibi accresceret meriti, neque pr
his tanta tibi à me referenda esset gratia, nequ
perinde me tibi obligarent ac quasi debitorem
efficerent, vt crux vna vel afflictio cum amor
tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditat
in qua me ex amore sustineas. Et citiùs quid
vel decem euerti possint ac excidere in magn
voluptate & iucunda suauitate cordis, quam
vel vnus subruatur continua laborans aduer
sitate & perpessione. Si Astronomorum omni
præditus esses scientia, si tam copiosè & ele
ganter posses de DEO dicere ac eloqui, quam

Quãti sit meriti crucem tolerare cum amore.

cuncta

cunctæ & angelorum & hominum linguæ, si denique solus ea esses eruditione lucnlenter instructus, qua simul tota literatorum atque Doctorum omnium frequentia, non tibi isthæc omnia tantum conferrent ad vitæ pietatem ac sanctitatem, quam si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permittere ac resignare possis. Illa nanque bonis malisque communia sunt: hoc verò non nisi electorum est. O si quis iusto posset perpendere ac ponderare iudicio Tempus & Aeternitatem: mallet ille profectò vel centum annis in ardenti iacere camino, quam vel minima leuissimæ afflictionis carere mercede, in cælis æterno percipienda. Illud nanque finem tandem habet: istud nullo claditur termino.

Resignatio Deo facta in aduersis quantum faciat ad pietatem.

MIN. Ea quæ commemoras, benignissime Iesu, tanquam cithara sunt suauissima homini afflicto. Certè Domine, si mihi tam dulcibus modularer is vocibus dum cruce premor, equidem lubens paterer, mallemq; crucem perpeti, quàm cruce carere.

SAP. Agè nunc arrectis percipe auribus dulce melos, sonosq; tinnulos chordarum intensarum hominis Deum patientis: animaduerte quàm suauiter resonent, quàm suauiter aures perstringant. Afflictio quidem Mũdo huic despectui est, at apud me immensam dignitatem obtinet. Afflictio iram extinguit meam, gratiã meam conciliat & amicitiam hominemque mihi gratum efficit & amabilem, vtpote mihi conformem & assimilem. Afflictio bonum est occultũ, quod nemo compensare queat: adeò vt etiamsi quis centum annis flexis à me genibus

Afflictionum quanta vtilitas.

crucem amicabilem precetur, nec sic tamen illam emereri possit. Afflictio ex homine terrestri cælestem efficit. Afflictio hunc Mundum homini alienum reddit, atqui perpetuam adducit meam familiaritatem: amicos quidem minuit, sed auget gratiam. Omnino expeditus & derelictus sit oportet à Mundo vniuerso, qui mea velit familiari amicitia perfrui. Afflictio tutissimum atque compendiosissimum iter est.

Crux amplectenda cur sit

Crede mihi, si quis probè cognitum haberet, quanta sit CRVCIS vtilitas & oportunitas, haud dubiè ceu donum præstantissimum ex Dei manibus eam susciperet. O quam multi iij erant æternæ perditioni addicti, & somnum dormiêrant sempiternum, quos tamen afflictio restaurauit & excitauit ad meliorem vitã.

Bonum afflictionis quantum.

O quantos continuæ cruces velut feras & indomitas auiculas in caueis retinent & conseruant, qui tamen, si eis daretur loci & temporis opportunitas, in suæ salutis sempiternam pernitiem confestim aufugerent. Afflictio à grauiori seruat ruina: præstat homini vt sese cognoscat, intra seipsum se cõtineat, sibiq; constet, ac proximis fidem accommodet. Conseruat animam in humilitate, docetq; sapientiam: tuetur castimoniam, æternæ beatitudinis adfert coronam.

Cur afflictio conferatur igni.

Vix quempiam comperiri possis, qui non aliquid consequatur commodi ex afflictione: sive etiamnum culpis viuat obnoxius, sive iam vitæ emendationem inchoârit, sive in proficientium, sive denique perfectorum numero sit. Ignis namque purgat ferrum, mundat aurum, & preciosa ornat monilia. Afflictio peccati aufert sarcinam, minuit pœnas Purgatorij, pellit tenta-

tentationes, profligat vitia, spiritum renouat, veram confert fiduciam, mundam conscientiam, atque animum stabilem & excelsum. Afflictio salutaris est potio, & herba salutifera præ cunctis Paradisi herbis. Castigat corpus, breui tamen in putredinem abiturum, & animam reficit longè nobiliorem semperq; victuram. Sicut rosarum eximij flores, suaui vernãtis Maij rore tinguntur: ita animam afflictio vegetat & fœcundat. Ipsa animum sapientia imbuit, redditque hominem exercitatum. Qui non est afflictiones & tentationes expertus, quid quæso ille nouit? Afflictio virga est amoris plena, & paterna castigatio electorum meorum. Afflictio hominem, velit nolit, trahit vr- Eccl. 34.
getque ad Deum. Quisquis in aduersis sese hilariter gerit, illi & iucunda & tristia, hostes & amici inseruiunt, proficiuntque. O quoties tu ipse quoque hostes tuos te impugnantes profligasti ac penitus eneruasti, cum me alacri & hilari animo laudares, leniterqúe & benignè aduersa perferres? Equidem malim afflictiones creare ex nihilo, quam amicos meos crucis expertes relinquere. Perpessione enim virtutes omnes confirmantur, homo decoratur, proximus prouocatur ad miliora, Deus laudatur. Patientia in aduersis, est hostia viua, & odor suauissimus præcellentis balsami in cõspectu Diuinæ Maiestatis meæ, totamque adeò cælestis exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit. Neque vero vnquam quisquam quamuis strenuus, pugil vel eques publicitùs cum alio congressus, adeo in se hominum ora animosq; conuertit, vti totus beatorum omnium Patientiæ encomium.

cœtus hominem afflictiones ritè perferentem adspectat. Sancti omnes, hominis afflicti velut quidam præguſtatores ſunt, vtpote afflictiones ſatis ſuperq; experti: vnoq; omne ore affirmant, nihil eſſe in afflictone toxici ſed potionem eam eſſe ſaluberrimam. In aduerſis retinere patientiam præſtabilius eſt, qui extinctos ad vitam reuocare, aut alia perpetrare miracula. Afflictio via eſt arcta, quæ ad ipſas vſque cæli portas fortiter pertingit. Ipſa hominem ad martyrum euehit contubernium. Ipſa laudem palmamque refert ex cunctis hoſtibus: Ipſa animam roſeo purpureoque veſtis indumento: ipſa coronas vel ſerta nectit roſacea, & ſceptra conficit ex palmis virentibus: Ipſa velut gemma preciosiſſima eſt in monili ad virginis pectus appenſo: Ipſa in æterna vita canticum nouum præcinit dulcibus modulis ac liberrimis animis, quod nec omnes poſſint depromere angelici ſpiritus eò quod nullam vnquam crucem experti ſint. Atque vt paucis te expediam, homines afflictos mũdus iſte miſeros appellat, ſed ego felices dico, vtpotè quos ipſe mihi elegerim.

Afflictionem ad cœli portas ducere.

MIN. Pulchre nimirum ex his apparet, æternam te eſſe ſapientiam, qui veritatem ipſam tam perſpicuè in medium proferre queas, vt nullius vlli reliquus ſit ambigendi vel hæſitandi locus. Nihil iam admirationis habet, ſi afflictiones poſſit perpeti, cui tu eas tantopere efficis commendatas. Certè Domine tuis id fateor apud me egiſti planè mellitis ſermonibus, vt mihi deinceps crux omnis & moleſtia longe ſit futura tolerabilior iucundiorq;. Domine

Crux quæ cui iucunda.

Deus

Deus, Pater indulgentissime, en flexo coram te poplite, laudes grateſque medullitus tibi ago pro præſentibus afflictionibus, atq; etiam præteritis admodum acerbis & moleſtis, quas ego tum acres nimium ſentiebam, eò quod ex animo infenſo & hoſtili proficiſci viderentur.

SAP. At quid nunc de illis ſentiendum putas?

MIN. Planè ita nunc perſuaſum habeo Domine, dum te, gratiſſima oculorum cordis mei paſcua, amantibus oculis intueor, cruces illas acerrimas ac immanes, quibus me pro paterna benignitate tua probaſti & exercitaſti, (quarum tamen vel ſola conſideratio etiam non vulgares perterruit amicos tuos, dum me illis preſſum cernerent) non niſi dulcem quendam Veris florigeri rorem fuiſſe.

*Idem iſte Frater Dominicanus cum ſcribere cœpiſſet de afflictione, per viſum eodē, quo iam ante dictum eſt, modo duas illas perſonas ſupra memoratas, quæ tum cruce & mœrore laborauerant, coram ſe conſedere perſpexit, alteramq; ex eis petere, vt citharā ipſi caneret. Quòd cùm ille grauiter acciperet, diceretq; id à Religionis profeſſione abhorrere: reſponſum illi eſt, citharæ cantum quem ipſa peteret tam auide, non eſſe à religione alienum. Mox iuuenis quidam adſtitit citharam præparans, cuius cùm chordas tenderet, duas tranſuerſim duxit, ita vt crucis formam exprimerent: deditque illam fratri in manus, & de afflictione ſermonem inchoauit.

Nota viſionē mirabilem.

De ineffabili vsu ac vtilitate, ex Dominicæ passionis commemoratione nascente.

CAPVT XIV.

MIN. Quanta ex passione tua capi ac obtineri possint bona, quàm immensi ea fructus reperiri, Domine Deus, quis illi locum velit præbere & tempus, nulli ego omnino puto satis habere perspectum. Iter passionis qualis. quàm certa semita est iter passionis tuæ, ducens hominem per viam veritatis ad supremũ vsq; fastigium totius perfectionis. Rectè tu quidem sensisti beate Paule, inter cuncta cæli astra lumen eximium, quando tam sublimiter raptus atque in occulta nudæ Diuinitatis penetralia adeò profundè receptus, vt *verba arcana* audires, *quæ non licet homini loqui*, nihilominùs amantissimam Christi passionem super omnia tanto cordis affectu & suauitate complexus erat vt dicere non dubitâris: Nihil arbitratus sum *me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum* Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis Bernarde melliflue, cuius anima sempiterni verbi mirificè fuit illustrata splendoribus, qui mellito eloquio tuo ex cordis manante redundantia, humanitatis Christi passionem dulcissimè deprædicans & uehensq;, ita ais inter cætera: Ego Fratres ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum quę mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus &

2. Cor. 12.

1. Cor. 2.

S Bernardi laus.

Serm. 43. super Cantica Cant.

amari-

amaritudinibus Domini mei. Hæc meditari, dixi sapientiam: in his iustitiæ perfectionem mihi constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorũ. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suauis vnctio consolationis. Hęc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta cristiaq; vitæ præsentis via regia incedẽti, tutum præbent vtrobique ducatum, hincindè mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant Mundi iudicem, &c. Et paulo pòst. Hæc mea sublimior interim Philosophia, *scire Iesum, & hunc crucifixum.* Non requiro, sicut sponsa, *vbi cubet in meridie*, quem lætus amplector mea inter vbera cõmorantem. Non requiro *vbi pascat in meridie*, quem intueor Saluatorem in cruce. Illud sublimius, istud suauius vel paratius. Panis illud, hoc lac, &c. Meritò sanè, Pater sanctissime Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua passio adeò edulcârat. Atque vt ad te reuertar æterna Sapientia, equidem hinc facilè colligo, quisquis ingentia præmia, æternam salutem, eximiam scientiam, præcipuam sapientiam concupiscit, oratque inter aduersa & prospera animi quadam æquabilitate perfrui, & esse omninò tutus ac secur⁹ aduersus mala omnia, eum te crucifixum Dominum suum iugiter ob animi adspectum circumferre debere.

Philosophia sublimis quæ

1 Cor. 2. Cant. 1.

Crucem Iesu circumferre, quantum ferat cõmodi.

SAP. Quid id vtilitatis præstet, quid adferat præmij, non est sanè vt te putes plenè perspectum habere. Crede mihi, iugis ac sedula benignissimæ passionis meæ commemoratio ex

idiota efficit Doctorem præcipuum. Neque mirum: quãdo eadem ipsa passio mea est lib vitæ, in quo liceat reperire omnia. O terq; qu terque beatum illum, qui eam perpetim su ob oculos versat, eiq; studet. O quid ille sapie tiæ & gratiæ, quid consolationis & suauitat quantam vitiorum omnium profligationem perpetuamq; præsentiam meam emeretur. Ad

Paradigma. di huius exemplum quoddam: Ante annos cl plures quidam professione Dominicanus, i primo conuersionis suæ exordio acerbissim vexabatur inordinato animi mœrore, qui in tantum illi nõnunquam molestus erat, vt ne mo id possit assequi, qui non sit eundem expe tus. Cumq; sederet vice quadam in cubicul suo post absolutum prandium, adeò hæc eum tentatio occupauit, vt neque studere, neque o rare, neque quicquam omnino boni illi agen libêret: sedebatq; tristis in cubiculo suo, man bus in sinu complicatis, tãquam qui ad minu in laudem Domini sui vellet custodire cubicu lum suum: quandoquidem ad quæuis alia spi ritalia exercitia esset inhabilis ac inidoneus. I taque hunc in modum residens, omni consolatione destitutus, visus est sibi intus eiusce modi audire vocem: Quid hîc resides? Surgè & qu ego perpessus sim, ad animũ reuoca: ita fiet, vt tuæ afflictionis obliuione capiaris. Confestim ille exurgens, (neque enim aliter hanc accepit vocem, quàm quæ cælitùs delata esset) Domi ni IESV passionem meditari cœpit, atque in terim molestia illa sua adeò se sensit libera tum vt deinceps nunquam ea ratione illam ex periretur.

MIN. Tu quæ corda nôsti omnium dulcissima Sapientia, plane cognoscis nihil mihi esse optatius, quam vt acerbissima passio tua me præ cæteris hominibus quibuscunq; vehementius afficeret ac permoueret, adeò vt ex oculis meis fontem nocte ac die manantem tristium lachrymarum eliceret. At nunc doloris plena mihi apud te querimonia est, non me ita ex animo illa semper compungi, neque tam deotè eam me posse meditari, vt te longe amantissimo Domino meo dignum foret. Doce igitur me, quo me pacto gerere debeam.

Quō Christi reuoluenda Passio.

SAP. Commemoratio siue meditatio Passionis meæ non debet esse perfunctoria, vbi locus & tempus suppetunt: sed cum intimo cordis amore ac lamentabili consideratione coniuncta erit. Nanque alioquî nihilo magîs cor deuotione afficietur, quàm oris palatum cibo alioqui suaui, sed sine dentiū contritione hausto. Quòd si passionem meam ob ineffabilem angustiam & dolorem, quem ea mihi attulit, humescentibus oculis commemorare non potes, facias id nihilominus iucundo animo, ob bona immensa, quæ ex illa capis. At verò si nec hilariter, nec lachrymabundus eam cogitare potes, vel cum arido corde in mei laudem eam percurras, neq; hac re mihi minus gratum præstiteris obsequium, quam si præ lachrymis ac dulcedine tot° colliquesceres. Hac enim ratione virtutis opus efficis ex amore, nihil teipsum spectans. Atqui vt illà tibi magis cordi sit, (passionē meā dico) eiq; plus afficiaris, audi quæ dictur° sum: Exactissima iustitię meæ cēsura nullum omnino malum vel peccatum in tota rerū

natura,

natura, siue id magnum sit, siue perexiguum permittit inultum abscedere. Iam si peccator aliquis sit insignis, qui fortè plùs quàm sexcentis se peccatis mortiferis obstrinxerit, cui pro singulis eiusmodi peccatis iuxta canonum rigorem septennis esset agenda pœnitentia, si morte præuentus absque satisfactione hinc migrans, in ardenti sæuissimi Purgatorij fornace luere habeat pœnas, quas hîc non dissoluit: dic, quæso, quando tandem misera illa anima tot annorum pœnitentiâ absoluet? quando tam diuturnas expiabit pœnas? quando horius tam prolixi cruciatus finem capient? Quis non videat, quàm nimis illi longa sit faciendi in pœnis mora? Sed ecce quicquid illi luendum esset, id sub compendio expiare ac abolere potest immerita perpessione mea. Et reuera potuit illa præclarum meæ passionis thesaurum adeò ad se adiungere, sibique applicare, vt iamsi vel mille annis punienda sit in Purgatorij carnificina, breui tempore & culpam & pœnam omnem dissoluat, ita vt absq; Purgatorio libera commigret in cælum.

Quanta passionis Christi recognitandæ vtilitas.

MIN. Id quînam fieri possit, obsecro me edoceas Domine. Siquidem & ipse magnopere velim eo modo tuæ mihi passionis vsurpare thesaurum.

SAP. Debet hac ratione fieri, vt quis cordi contrito sæpè & grauiter immanium peccatorum suorum, quibus tam irreuerenter offendit oculos cœlestis Patris sui, multitudinem & magnitudinem expendat & ponderet, ac deinde propriæ satisfactionis opera paruipendat, vtpote quæ cum ipsis collata peccatis, non plus

fint quam gutta vna erga mare vniuersum, meæ verò satisfactionis immensitatem mirificè euehat ac extollat, quando vel minima pretiosi sanguinis ex toto corpore meo vndiqúe largiter nimis manantis gutta, etiam mille Mundorum peccatis delendis suffeciſſet: quanquam nihilominus satisfactionis huius meæ tantum quisque sibi applicet & ad se trahat, quantùm se mihi compatiendo conformat, atque quantenùs suæ satisfactionis exiguitatẽ in meæ expiationis infinitatem humiliter & obnixè demergit ac sustollit. Et vt in summam multa contraham, noueris nec Arithmeticos, nec Geometras, nec calculatores omnes enumerare posse bona ea immensa, quæ abdita latent in commemoratione perpetua passionis meæ.

Quõ sibi quis passionis Dominicæ fructum magis applicet.

MIN. Quod cùm ita sit, Domine, precor iam missa facias alia omnia, quibus lõgè hinc abductus sum, pergasqúe penitus me introducere in occultas amantissimæ Passionis tuæ gazas.

Quid Christus in cruce pertulerit. de Matris eius compassione, & vt illi crucifixo conformemur.

CAPVT XV.

MIN. Iam superius Domine ineffabiles mihi vtcunq; exposuisti angores, quib⁹ exterior homo tuus correptus erat, pẽdens sublimis à cruce: vt ille totus fuerit vulneribus confectus, ac miserandæ mortis nexibus implicatus ac circundatus. At nunc etiam id scire

id scire velim, quid sub cruce acciderit, vtrũ ne aliquis coram adfuerit, quem lamentabi mors tua animi dolore afficeret, atque vt temporis erga tristissimam matrem tuam gesseris.

SAP. Audi rem miserabilem, & compat mihi. Cum suspensus coram hostibus meis h rerem in cruce miserandum in modum mu tiuaria illa, sicut audisti, angustia & mortis d loribus circumseptus, stabant illi contra m scommatibus & sannis me afflictantes, meq irridentes, capitaque sua probrosè aduersu me agitãtes, denique suis in cordibus adeo m nihilipendentes, quasi extremæ sortis verm culus fuissem. At in his omnibus immotus ip perseuerabam, & pro eis Patrem meum atte tissime deprecabar. Et cum essem agnus inno centissimus, cum noxijs & sceleratis reputat fui: quorum alter me derisit, alter fidem me atque auxilium implorauit, quem absque mo ra benigne suscepi, condonatis illi peccatis o mnibus, ac cælestem illi paradisum patefeci Accipe rem omni lachrymarum fonte plangẽ dam. Huc atque illuc oculos circumferens, tũ ctorum me mortalium ope misere destitutum comperi: noti autem & amici mei qui me secu ti fuerant, procul stabant: discipuli mei charis simi aufugerant. Pendebam nudus, cunctis de spoliatus vestibus. Eram plane sine viribus, & quasi in hostium potestatem redactus. Tracta bant me crudeliter sine vlla misericordia. Sed interim vt ouis tacita, mansuetissimè me gere bam. Quocunque me vertissem, acerrimis cor dis doloribus & angoribus conficiebar. Iuxta

Marc. 15. Luc. 23.

Vti Christus in cruce pependerit.

crucem

crucem consistebat mœstissima genetrix mea, perferens medullitùs in materno corde suo, quicquid ipse in corpore patiebar: quæ res pijssimum cor meum vehementissime concutiebat. Siquidem vnus ego immanissimos cordis eius dolores funditus noueram. Cernens tristissimos gestus eius, & audiens voces lamentabiles, benignissimè eam consolabar iam iamq; morte ab ea separãdus, commendabamq; eam charissimo discipulo meo Ioanni, vt qua decet matrem fidelitate eam prosequeretur: itemque discipulum illius maternæ curæ ac fidelitati commendabam. Ioan. 19.

MIN. Quis hic à profundis gemitibus aut acerbis lachrymis sibi temperare queat Domine? Et qui tandem ô speciosissima Sapientia, ô agne mansuetissime ac placidissime, tam feroces ac immites in te esse potuerunt sæui illi leones ac lupi rabidi, vt tanta te indignitate tractarent? O si misero mihi ac indigno seruulo tuo illic adesse, licuisset & cunctorum ego Mortalium vicem explere, atque pro Domino meo mori potuissem, aut certe cum eodem vnicè mihi dilecto mortem acerbissimam excepissem: vel si me cum illo noluissent neci dare, saltem petram illam durissimam, cui fixa erat crux tua Domine Iesu, brachijs cordis mei cum dolore & lamentis essem complexus, vt quando illa scissa fuit præ compassione erga te, vtà miserum cor meum præ tui amore & condolentia crepuisset.

SAP. Ita nimirum ex omni æternitate à me decretum ac definitum erat, vt id tẽporis torcular calcarem solus, & amarissimæ passionis meæ

meæ calicem solus biberem pro hominibus
Isa. 63. niuersis. Tu verò & quicunq; alij mea vultis
ctari vestigia, & venire post me, abnegetis vo
psos, & tollatis crucem vestram, & sequam
Matth. 16. me. Quæ mihi vestrî mortificatio & abnega
non minus grata erit, quàm si tunc vna mecu
mortem crucis sustinuissetis.

MIN. Quæso mi Domine, doceas seruu
tuum, quo pacto tecum emori debeam, & q
sit crux mea mihi tollenda. Namq; reuera po
hac nequaquam mihijpsi viuam, cum tu m
causa mortuus sis.

Quomodo quis Christo quasi cōmoriatur.

SAP. Quando operam das, vt quoad cape
potes, semper id agas quod optimum sit, atq
alij idem in te cauillantur ac irrident, & erga
contumeliosè se gerunt, adeoq; suis in cord
te vilipendunt, vt tam miserum te putent, q
nec possis nec ausis te tueri ac defendere, atq
interim ipse non solum nihil moueris, sed e
iam patrem cęlestem ex animo pro illis roga
ac benigne eos apud illum excusas: quoties h
in modum ex amore moreris, toties mors m
in te reuirescit ac reflorescit. Itemque cum p
re ac innocenter viuis, & tamen rectè facta tu
in tantum deprimuntur, vt inter reos & noxi
os annumereris, idq; libenti animo accipis, ac
Qualiter quis cum Christo affixus sit cruci.
eo vt vbi illijpsi qui te affligunt, abs te venia
petunt, tam promptus ac paratus sis ex anim
illis ignoscere, quicquid vnquam molestiæ a
illis perpessus es, ac si penitus nihil passus ess
ac præter hoc etiam verbis & factis illis inser
uire & prodesse niteris, quo meam imiteris be
nignitatem, qua illis qui me crucifixerant, fa
cile remisi, iam reuera vna mecum pendes i
cruc

cruce. Quando etiam omnium hominum familiaritati, commodis & consolationi nuncium remittis, nisi quantum stricta & notabilis exigit necessitas, iam illa tui desolatio ac destitutio, erga me illorum omnium supplet vicem, qui me in cruce pendentem deseruerũt. Vbi verò mei amore cunctis amicis adeò valefacis, ac si nihil ad te pertineant, idque in omnibus illis, quæ aliquod inter te & me possint medium vel impedimentum obijcere, hoc ipso charissimum mihi exhibes discipulum & fratrem sub mea cruce consistentem, mihiq; compatientem. Dum cordis seruas expeditam ac absolutam ab omnibus libertatem, eadem ipsa meam tegis & ornas nuditatem. Quãdo in quibuslibet rebus aduersis tibi à quouis proximo illatis, mei causa ex amore nihil resistis, nihil te defendis, cunctorumq; furorem & excandescentiam, vndecunque ea accidat, & quanuis subita ac improuisa sit, quo iure quaue iniuria ea concitata sit, tanquam ouis obmutescens suauiter ac placidè accipis, adeò vt cordis tui lenitate, verborum mansuetudine, & vultus serenitate aliorum vincas asperitatem & malitiã, iam reuera similitudo mortis meæ in te perficitur. At verò vbi hanc mihi datur inuenire mortis meæ similitudinem, dici non possit, quantam illic capiam voluptatem: quantum id & mihi & Patri meo placeat. Denique si acerbissimam mortem meam affixam retinueris cordi tuo, & in precibus tuis cõmemoraueris, & factis expresseris ac imitatus eris, eo ipso cõformabis te doloribus & fidelitati integerrimæ Matris & amantissimi discipuli mei.

Similitudo mortis Christi in quo quâ perficiatur.

Vti se quis Mariæ compatienti conformet.

MIN. Obsecro Domine, vt pro voto ani
meæ similitudinem miserrimæ mortis
perficias & exprimas in corpore & anima
siue id velim ipse, siue nolim, idque in sum
tui laudem, iuxta gratissimam voluntatem
am. Peto etiam ex animo, vt paulò latiùs
clares & commemores immensos tristiss
Matris tuæ dolores, dicasq; vt se gesserit
cruce, cùm tu pro nobis patereris. SAP. Exi
id vt perconteris licet.

*Commendatio & encomium illustrissimæ Re-
ginæ cælorum.*

CAPVT XVI.

MIN. *O altitudo diuitiarum sapientiæ &
entiæ Dei, quam incomprehensibilia sun
dicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Qu
multis admodum incognitis ac minus vsit
vijs & modis miseras reducis animas ad te D
mine? Ecquid tibi in mentem venit, aut qui
men affectus eras in illa tua sempiterna inc
mutabilitate, & incommutabili æternit
cùm tam præclare conderes creaturarum o
nium purissimam, elegantissimam atque d
nissimam? Meritò sanè dicere tum poteras,
go cogito cogitationes pacis. Nimirum Dom
Deus, ex abysso essentialis bonitatis tuæ fec
ex ea nasci splendorem gloriæ tuæ vnigen
filium tuum, per quem creaturas perditas
suam originem reduxisti. Et quisnam pecca
obnoxius ad te Pater cælestis accedere audet
nisi amantissimum filium, æternam sapient
tuam

8 omn. 11.

1 rem 29.

tuam nobis ducem contulisses? Sed & te quoque ô increata sapientia, qua tãdem fronte peccator miser vnquam adire attentaret, & coram tanta puritate suam exhibere fœditatem, nisi Matrem misericordiæ sibi adhibeat patronam & aduocatam? Nam etsi frater meus es Domine IESV, at nihilo minùs idem ipse Dominus meus es: & quamuis verus sis homo, sed verus itidem Deus es, & iudex seueriſsimus ac vindex iniquitatis. Quando igitur miseros nos præmit & angit immensus cordis dolor, nec vllus vsquam patet effugiendi locus, hoc vnum nobis duntaxat reliquum est, vt oculos nostros ad te leuemus præstantissima Regina cælorum. Te ergo virgo sacratissima, quæ relucens es speculum splendoris æterni Solis, & thesaurus occultus inexhaustæ misericordiæ Dei, miser ergo hodiè tum meo, tum peccatorum omnium, sed pœnitentium, nomine saluto. O vos præcelsi spiritus & mundæ animæ, procedite in medium, & quantis potestis laudibus vehite ac celebrate amœnissimam paradisum omnigenæ voluptatis, Reginam illustrissimam, siquidem ego me ad id prorsus indignum agnosco, nisi pro sua benignitate id ipsa mihi permittat. O præcipua & singularis Dei amica, ô preclariſsimum diadema aureum æternæ Sapientiæ, da copiam misero mihi vitijs multis obnoxio, tecum nonnihil colloquendi. Anima mea prosternit se pedibus tuis corde pudibundo, demissis oculis, vultu verecundo. Quanquam Domina mea, Mater gratiæ, omnino sic sentio, mihique ita persuadeo, nescio vnde, quasi nec ego nec alius quisquam

Mariæ Deiparæ encomia.

Qualis mediatrix Maria.

peccatis implicitus, opus habeat vllo apud mediatore, nec vlla venia vel copia. Tu nam es hominum peccatorum omnium mediatr immediata apud filium. Inde est, vt quo qui magis se sentit peccatis pluribus irretitum, to iustius sibi videatur ad te accedere: & qua to est sceleratior, tanto maiori iure ad te pr perare se putet. Agè ergo anima mea prodi lariter. Nam tametsi meritò repulsam pate ob multa & magna demerita tua: at inuitat prouocat te Matris Dei incomprehensa be gnitas. Tu igitur vnicum reorum solamen, nicum peccatorum perfugium, ad quam resp ctant multorum humescentes oculi, cui sus rant complura saucia ac misera corda, plac ac benignam te præbe mediatricem & conc atricem inter me & æternam sapientiam. quæso memineris pijssima ac clementissim Imperatrix, dignitatem illam qua præditae ex nobis miseris peccatoribus tibi acces Quid enim te effecit Matrem DEI, & Arcam qua verum Manna, ipsa æterna Sapientia condita quiesceret, nisi nostra peccata? Quo cto Mater dici posses gratiæ & misericord nisi ex nostra miseria, qui tua gratia & mise cordia habemus opus? Nonnè inopia nostra ditauit? Nonnè vitia nostra te creaturis omn bus clariorem illustrioremque reddiderun Eià ergò illos tuos misericordes oculos, qu certè benignissimus animus tuus à nullo v quam peccatore, nec ab vllo misero & destit to ac desolato homine auertere potuit, ad m miserum conuerte. Accipe me in fidem & tu lam tuam. Siquidem consolatio & spes mea

Quî nostra Mariâ exultârint peccata.

tesita est. O quã innumeri peccatis dediti, iam DEVM deseruerant, omnemque cælestis patriæ cœtum, Deumq; ipsum abiurârant ac negârât, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant, atq; à Deo miserè separati erant, qui tamen tibi innitentes, atque ad te confugientes à te benignissime seruati sunt, donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur. Ecquis tam immanis vspiam peccator est, qui tot latrocinijs & flagitijs sese obstrinxerit, quot vllus vnquam, qui non idem tui reminiscens, animum & spem bonam conceperit? vnica, singularis, fidissima peccatorum cõsolatrix, te immensa DEI benignitas adeò fecit cunctis peccatoribus amabilem, vt superabundans pietas & beneuolentia tua non possit nos non afficere & recreare. Cùm igitur mecũ ipse diligenter perpendo & cogito, quænam tu sis virgo sacrata, animus erigitur, iustumq; mihi videtur, vt si modo fieri id posset, lachrymãtibus oculis cor ipsum præ exultatione ex ore prosiliret: adeò nomen tuum in anima mea ceu fauus mellis colliquescit. Reuera tu & es & diceris Mater & Regna Misericordiæ. Eià ergò Mater indulgentissima, Regina clementissima inexhaustæ Misericordiæ, salue. O nomen suauissimum. O qualis ea est re ipsa, cuius tam gratiosum nomen est. Nunquã sanè quãuis dulcis citharæ sonus tam suauiter affecit aures, quãtumlibet huic Mundo dediti hominis, quam nostra afficit corda mœrentia nomen sacratissimum intemeratæ Virginis MARIAE. Atq; meritò profectò in huius præcelsi honorem nominis, cuncti debebunt suas ceruices flectere

Peccatores qui quid debeant Mariæ.

& curuare genua. O quoties infestas dæmo
manus tu pia Mater à nobis profligasti & in
gam vertisti? O quoties tremendi iudicis se
ram iustitiam aut mitigâsti, aut auertisti
quoties apud filium tuum gratiam & consol
tionem nobis impetrâsti? Ecquid hîc dictu
sumus peccatores miseri? Quî tandem dign
tibi pro tanta benignitate grates laudesque
gamus, quâdo nec angelicæ linguæ omnes, n
cuncti beati spiritus & animę, nec cęlum & t
ra & quicquid his continetur, tuam dignita
tua gaudia, tuam clementiam & gratiam, tuu
denique præcipuum honorem, ita vt par e
laudare queunt? Quid ergo miseri nos facia
mus? Sed faciamus quod possumus, eamq; la
de & gratiarum actione prosequamur. Nam
pro sua admiranda humilitate non munera
nostrorum spectat paruitatem, sed voluntat
bonæ diuitias. O Regina suauissima, iureq
dem gratulari & gaudere potest in te sexus fe
mineus. Nam tametsi maledicta fuit priori
Eua, quòd fructum gustasset vetitum, sed ben
dicta sit altera Eua, quod nobis cælestem pro
tulit fructum, cumq; longè suauissimum. N
mo iam deinceps quæratur amissam parad
sum. Vnam quidem amisimus, sed duas recup
rauimus. An ne paradisus iure appellabitur,
quo ortus est fructus ligni vitalis, omne del
ctamentum & gaudium in se continens? An
est Paradisus meritò dicendus, & cunctus para
disis longè anteponendus, in quo mortui re
uiscunt, dum eius gustant fructum, ex cuiu
manibus & pedibus ac latere viui prorup
runt fontes terram omnem irrigantes, fonte

Maria quid fuerit peccatoribus.

Maria laude ineffabili merito celebrāda.

Cur sexui fœmineo præcipuè in Maria gaudendum.

Paradisus quin bis duplex dongent.

inquam

inquam, inexhaustæ misericordiæ, infinitæ sapientiæ, exuberantissimæ suauitatis, ardentissimæ charitatis, & ipse denique fons æternæ vitæ? Hunc profectò Domine quisquis gustauit fructum, & ex his fontibus potauit, satis ille compertum habet, geminam hanc paradisum multo esse præstantiorem terrestri illa, ex qua erecti sumus, paradiso? Verumenimuerò Domina nostra, Imperatrix illustrissima, semper virgo MARIA, etiam ianua gratiæ tu es, & porta misericordiæ nulli vnquam precluſa. Immò verò citiùs cælum cum terra perierit, quam tu aliquem seriò te implorantem tua ope destituas. Eam ob rem & cum surgo manè, ad te primam respicit anima mea: & cùm serò dormitum abeo, te postremam contemplatur: certa videlicet, quicquid purissimis manibus tuis oblatum & commendatum fuerit, gratum & acceptum reddi apud Deum, etiamsi in seipso vile & exiguum sit, idque tuam DEO id exhibentis dignitatem. Neque enim reijci vllo modo potest aut respui, quicquid ipsa, vtpote purissima, charissimo filio tuo præsentaueris. Accipe igitur Domina benignissima exigua opera mea, & ea offer ac repræsenta DEO omnipotenti, vt vel hoc ipso illi placeant, quod tuis sanctissimis manibus exhibentur. Tu nanque es vas illud ex auro mundissimo confectum, gratia perfusum, smaragdis & sapphiris omnigenisque virtutum preclarissimis obductum & ornatum gemmis, cuius vnicus adspectus cælestis illius regis oculos longè dulciùs afficit, quam vel omnium rerum creatarum. O singularis & præcipua Dei amica,

si rex Assuerus captus fuit pulchritudine fe
mosissimæ Hester, eiusque illa cordi sedit p
Hester. 2. cunctis fœminis, atque præ illis omnibus tu
tum apud eum gratiæ locum consecuta est,
illius precibus nusquã rex deesset, faceret qu
quid ipsa voluisset: quis vel explicare, vel
pere possit ô rubentium rosarum & candi
rum liliorum eximium decus, quanto oper
ille immortalis & omnipotens illectus fue
purissima virginitate, & mansuetissima hum
litate tua, ac fragrantissima virtutum omniu
& charismatum, quibus referta eras, apothe
Quis verò cepit insuperabilem vnicornem
lum, nisi tu virgo integerrima? O quantu
placuit oculis eius præ mortalium omniũ d
core, amabilis illa & incomparabilis venust
tua, cui si conferatur quælibet alia pulchri
do, haud secus obscuratur & flacescit, qui
nitedula vel cicindula ad Solis splendorem.
Luc. 1. quàm exuberãtem *inueniſti gratiam apud* Deu
tum pro te ipsa, tum pro miseris nobis omn
gratia destitutis? Ecquid igitur negare tibi po
terit rex ille omnipotens? Dicere nimirùm po
Cant. 2. tes ex sententia: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* N
tu tota es Dei, & ille totus tuus, & inter vos per
ennis ac incomprahẽsibilis agitur amoris fo
dus, quem nulla vnquam poterit diuersitas f
parare vel interrumpere. Sed interim tame
noli pia MATER nostrî obliuisci, qui tam m
seri, tam inopes sumus, & in hoc periculoso
silio tam miserè fluctuamus. Eià exurge nun
Domina cæli & terræ, exurge, & mediatricem
conciliatricemq; te exhibe pro nobis apud dul
cissimum filium tuum, ipsam æternam Sapien
tiam.

tiam. Quid tamen negare nunc mihi poteris ę-
terna Sapientia, quandoquidem ſicut apud
Deum Patrem te propono & medium conſti-
tuo, ita integerrimam tibiq; amantiſſimam
Matrem tuis nunc oculis longe pijſſimis obij-
cio, & mediam interpono? Agè iam benigniſſi-
me Ieſu, reſpice Matrem tuam, contemplare o-
culos gratiſſimos, qui in te toties tam ſanctè ac
diuinè intenti fuêre: agnoſce genas roſeas, quas
tam crebrò, tamque amanter infantili tuo affi-
xit vultui. Vide os ſacratum, quod toties dul-
cia tibi impreſſit oſcula. Cerne manus puriſſi-
mas, quę tibi tam crebrò miniſtrârunt. Ecquid
tandem Ieſu pijſſime, immò Pietas ipſa, nega-
re illi poteris, quæ ſuo te lactauit vbere virgi-
neo, ſuis geſtauit vlnis, repoſuit ac leuauit, &
ſumma cura fouit ac educauit? Admoneo te hîc
Domine Ieſu omnium officiorum, & quicquid
tibi infanti ac puero ab illa impenſum eſt ob-
ſequij, cum in eius ſinu materno reſidens, blan-
diſſimos ac tenerrimos ocellos tuos in eam
conijceres & infantilibus ac delicatis brachio-
lis eius colla virginea ſtringeres ſummo cum
amore, quo eam vltra creaturas omnes pro-
ſequebaris. Simul etiam admoneo te immenſi
illius doloris, quo illius maternum pectus cõ-
fixum fuit, quando ſola tecum ſub cruce patie-
batur, & præ nimia calamitate, anguſtia ac cõ-
paſſione crebrò tecum moriebatur corde & a-
nima, videns te mortis angoribus correptum.
Atque hæc omnia oro & obſecro te Domine
IESV, vt ob gratiam illius præſtes mihi depo-
nere & abrumpere media ac impedimenta o-

An ſuæ quid Matri neget Ieſus.

mnia, tuam adipisci ac mereri gratiã, nec eam amittere vnquàm.

De Matris Dei ineffabili dolore & compassione.

CAPVT XVII.

QVis tribuat oculis meis tot lachrymarũ guttas, quot erunt scribendæ literæ, v non nisi perspicuis lachrymarum vndi conscribere ac commemorare possim lachrymas miserabiles ex immenso cordis dolor Virginis sacratissimæ profectas? Quæso te Domina intemerata, Regina præstantissima cæli ac terræ, tange cor meum saxeum vel vnica feruentium lachrymarum tuarum guttula, quas sub cruce fudisti largiter ob angustias inexplicabiles vnigeniti filij tui, vt tamen emolescat, & tuum possit vtcunque sentire dolorẽ. Est enim ea intenti doloris natura, vt nemini is satis perspectus sit, nisi qui eum experiatur. Tu igitur Domina mea suauissima, tange cor meum mœstissimis sermonibus tuis, & duntaxat admonitionis & recordationis causa expone seruulo tuo, quid animi habueris, vtque gesseris sub cruce, quando amantissimum filiũ tuum, æternam ac præclarissimam Sapientiam vidisti tam miseram obire mortem. VIRGO MARIA RESPONDET: Id nunc audies nõ absque lamentis & animi dolore. Nam licet in præsentiarũ omnis miseriæ ac doloris expers sum, at tum temporis longe aliter affecta erã. Et priùs quidem, quàm sub cruce consisterem, multos

Qui se Maria, pãtiẽte Christo gesserit.

multos iam, eosq; ingentes & ineffabiles animi cruciatus exceperam, ab eo præsertim loco, vbi primum conspexi filium meum protrudi, cædi, percuti, malè tractari: quibus visis, plenè fui viribus destituta, donec eum subsecuta essem ad ipsam vsque crucem. Vbi quid senserim, aut quî affecta fuerim, quod tu percontatus es, vtque me habuerim, audies quidem partim ex me, sed quatenus id sciri aut comprehendi potest. Neque enim quisquam vnquam hominum editus est in hanc lucem, qui id posset perfectè perscrutari. nam quàm nihil est guttula vna aquæ ad vastissimũ Oceanum, tam non possint comparari dolores omnes cuiuslibet hominis immensis illis animi mei angustijs & cruciamentis, quibus tum maternum pectus meum confecta fuit. Quod poteris hinc animaduertere. Quanto quispiam alicui charior, amabilior, suauior est, cò illius mors & amissio est intolerabilior ac acerbior. Quis verò vnquam in terris natus est amabilior, quis vspiam extitit suauior, quam ille meus vnigenitus, vnicus dilectus cordis mei, in quo mihi planè suppetebat quicquid posset totus præstare Mundus? cui vni viuebam, & mihipsi eram mortua? Quem cùm extinctum cernerem, ipsa quoque pariter defeci. Et sicut ille singularis ac vnicus dilectus meus mihi præ cæteris omnibus singulariter ac vnice charus fuit: ita etiam vnicus dolor meus, singularis & immanus fuit præ quolibet alio, quem quis vnquam perpessus sit, dolore. Enimuerò amicabilis & gratiosa humanitas eius adspectum meum mirificè oblectabat.

Quanta Iesu in carne adhuc mortali amabilitas.

Præ-

Præcelsa diuinitas eius, interni animi mei o
tutibus suauissimam præbebat contemplat
nem. De illo cogitare, summum erat cor
mei gaudium: de illo habere sermonem, n
magnoperè recreabat. Eius dicta ausculta
verè mellita, animum meum plùs quàm vl
organa musica demulcebat. Ille cordis mei sp
culum, ille animæ gaudium erat. Cælum
terram & quicquid horum ambitu continetu
mihi illius præsentia exhibebat. Cùm igit
illum talem amicum, illum vnigenitũ filiu
meum coram me cernerem in cruce pendẽ
& cum mortis angoribus compugnãtem, qu
putas ille mihi adspectus doloris ac mœror
attulit? ô adspectum illum verè miserabilem
vndè totum emarcuit cor meum, totus ela
guit ac emortuus fuit animus, tota viribus fu
destituta, & à sensibus alienata. Iam quidẽ sur
sum respiciebam, nec quicquam opis adfer
potui dilecto illi filio meo. Adspiciebam deor
sum, & ecce coram intuebar sceleſtos illos, qu
meum tam crudeliter affligebant filium. O
quàm mihi tum angustus erat totus hic orbis
terrarum. Corde ac animo defecerã, vox inter
ciderat, nec erat quicquam in me virium. Atta
men vbi ad me redij, voce rauca ac lamentabi
li ita compellabam IESVM filium meum, hi
inter cætera verbis vtens: Eheu Fili mi, Eheu
cordis mei iucundissimum speculum in quo
sæpe meos oblectaui obtutus, quam miserandũ
in modum hîc te sub oculis meis pendere con
spicio. Eheu te vnicum thesaurum meum, qui
toto hoc Mundo mihi charior es, qui mihi Pa
ter & Mater, & totum cordis mei gaudium es &

Mariæ, suffixo in cruce filio dolor quantus.

Mariæ lamẽtabilis ad Christum filium appellatio.

virtus

virtus: quęso te Fili mi, patiaris me tecum migrare ex hac luce. Cur enim relicturus es post te Matrem istam tuam desolatam ac miserabilem? Eheu Fili mi, quis mihi det vt ego moriar pro te? vt hunc amarum mortis calicem pro te ipsa bibam? Eheu calamitatem & angustias Matris, vnico suo filio orbatæ. Heu me miseram, vt omni sum gaudio, & consolatione destituta? Cur parcis mihi tantopere desiderata mors? Tolle, aufer, rape me miseram vna cum charissimo filio meo: quandoquidem vita ipsa quauis morte mihi acerbior est: vtpotè quæ meis conspicio oculis tolli è medio filium meum, quem vnice amat anima mea. Eheu fili mi, eheu fili dulcissime. Cum igitur hunc in modũ affligerer, & ita me haberem, benignè me consolabatur Filius meus, atque inter alia sic ait: Genus humanum aliter redimi non potest. Attamen die tertia resurgam, & tibi atque Discipulis rediuiuus apparebo. Noli flere mulier. cessa à lachrymis mea Mater: namque te nunquam derelinquam. Hac dum me Filius consolatione leniret, & charo discipulo commendaret, stanti itidem iuxta crucem ac dolore vehementi occupato, verba illa filij mei tantis cũ lamentis & gemitibus per cordis mei medullas ferebantur, vt velut mucro quidam acutissim⁹ ipsum cor atque animam meam transfigerent, & saxea illa pectora ingenti erga me commiseratione afficerentur. Tollebam tum in sublime manus præ animi cruciatũ, cupiens amplecti filium meum, sed obtinere non potui. Interim aliquoties, præ nimio doloris excessu sub cruce viribus destituta collabebar, ita vt verbum

2. Reg. 18.

Quõ Christus Matrem sit iuxta crucem adstantẽ consolatus. Ioan. 19.

bum vllum proloqui non posſem. Deinde me reuersa, vbi aliud non potui, deosculabar sanguinem ex Filij vulneribus defluentem, eò vt inde pallidum os & genæ meæ omnino cruentæ redderentur.

MIN. O pietas immensa, qualis hic dolor & cruciatus, quales hi angores fuêre? quò me vertam? aut in quem oculos referam meos? Enimuerò si in speciosum *forma præ filijs hominum* eos intendam, eheu tantas cerno angustias & calamitates, vnde meritò possit mihi tabescere cor meum. En foris eduntur ineuntes clamores ac voces terribiles: intus cum ipsa morte colluctatur. Venæ eius omnes distentæ sunt, sanguis totus ex corpore dimanat, denique dolore plenus est & moritur totus desolatus, nec est qui curet vulnera eius. Si verò ad matrem illam tristissimam meos velim deflectere obtutus, pijssimum pectus illius cum mille gladijs confossum adspicio, animamque eius sanctissimam immenso dolore correptam & discruciatam. Nunquam quisquam visus est specie tam miserabili, nec vnquam auditi sunt gemitus tam lamentabiles. Aegrum illius corpusculum præ dolore humi collabebatur, speciosissimus vultus eius emortuo filij sanguine tinctus erat. Ita vtrobique miseria & angustia erat incomparabilis. Cruciat filium piæ Matris vehemens ægritudo & dolor. Mœstissima Mater amantissimi filij immerita morte torquetur, vtpote quæ illi multo fuit acerbior, quam fuisset mors sua. Respicit filius Matrem, & piè consolatur: Mater erectis ad filium manibus, optat miseram pro ipso mortem perpeti. Quas

Psal. 44.

ti. Quis hîc iam acriùs affligitur? quis vehementiori angustia premitur? Vterque sanè tã immenso est dolore obrutus, vt nullus huic possit aliqua ex parte æquiparari. O pectus maternum, ô animum multò pijssimum. Quî tandem ferre potuit cor tuum tenerrimùm Mater reuerenda tantos hos angores & cruciatus? Benedictum sit illud mœstissimum cor tuum, cuius dolori si vllus alius conferatur dolor, perindè erit ac si somnium cum re ipsa componatur. Benedicta sis tu aurora consurgens præ creaturis omnibus: & benedictus sit roseus elegantissimi vultus tui adspectus, æternæ sapientiæ purpureo ornatus sanguine ceu gemma preciosissima. Eheu faciesprælara & gratiosa æternæ sapientiæ, vt mortis lurido palleseis colore. O corpus speciosissimum, vt hîc pendes è cruce? Hei mihi sanguis preciosissime, quàm calidus decurris in matrem, vnde sumpsisti originem? Quæso Matres omnes, lamentis & lachrymis has Dei genitricis angustias prosequimini. Quotquot estis mundis cordibus præditi, pia vos commiseratione afficiat sanguis ille purpureus atque purissimus, qui Virginem Matrem vsque adeo perfudit. Quicunque vllos vnquam animi cruciatus perpessi estis, animaduertite quæso & videte, vt nullus possit dolor cordis hisce doloribus Filij & Matris comparari. Nihil sanè mirum fuerit, si his consideratis, animo prorsus colliquescamus ac deficiamus præ dolore & commiseratione, quando in tantùm ille excreuêre Christo in cruce pendente, vt saxa crepuerint, terra concussa sit, sol deni-

Iesu & Mariæ dolor quantus.

denique radios retraxerit suos, vt suo conderexstiter
lerent creatori.

Vt id temporis Dominus secundum interiorem hominem affectus fuerit.

CAPVT XVIII.

MIN. Quanto quis penitiùs tuam nitiss
perscrutari passionem Domine Iesu
tanto illa apparet impenetrabilior
Multa quidem tibi angustia accidit ante crucis
supplicium, sed multo maiorem ipsa crucis
pœna intulit secundum sensus & vires corpo
reas externas, quæ tum præsentem mortis a
cerbitatem experiebantur. Sed quid quæso
Domine eodem tempore sentiebat homo in
terior, anima videlicet tua longe nobilissima
Eratne illa tum consolatione quadam ac suauitate perfusa, vt de quibusdam Martyribus
tuis memoriæ proditum est, quæ immanissimos passionis tuæ cruciatus deliniret efficeretque tolerabiliores? aut quando tandem finem
habuit tantus dolor tuus?

SAP. Etsi audieris sæpè tristia multa, sed nihil vnquam tristius ac calamitosius eo ipso
quod iam relaturus sum. Anima quidem mea
secundum vires supremas diuinam tum hactenus, atque modo, contemplabatur cognoscebatq; essentiam: at vires infimæ interioris exterioris q; hominis, in desolata penitus & omnis consolationis experte afflictione vsque adeò erant relictæ sibijpsis ad extremum vsq; infinitę acerbitatis articulum, vt nullus vnquam

Christi crucifixi dolor quantus.

exsti

exstiterit huic similis cruciatus. Cumque ita plenè omni ope destitutus ac vndique derelictus penderem à cruce, cum distillantibus vulneribus, lachrymantibus oculis, distentis brachijs, ac distractis & diductis membrorum omnium venis, mortis angoribus correptus, voce lamentabili ac miserabili clamaui ad Patrem meum. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Interim nihilominùs voluntas mea cum sempiterno voluntatis eius decreto & placito omninò consentiebat atque vnita erat. Porrò sanguine meo sic prorsus omni effuso, fractisq; viribus, præ mortis angustia inuasit me sitis acerrima: sed multò vehementior me obtinuit sitis salutis Mortalium omnium. Atque eccè dum sic laborarem siti intolerabili, fel & acetum ori meo obtulerunt. Deinde peractis illis, quæ ad hominum instaurandam salutem pertinerent, in hæc verba prorupi: *Consummatum est.* Ita Patri meo perfectam præstiti obedientiam ad mortem vsque. Cumque dixissem, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Præclarissima anima mea ex Diuino migrauit corpore, ita tamen, vt nec ab illa Diuinitas separaretur. Post hæc lancea foderunt dextrum latus meum, vnde continuò exiuit precioſi sanguinis riuulus, simulq; fons aquæ viuæ. Ecce fili mi, huiusmodi labore ac dolore, teq; & electos omnes reparaui, & innoxij sanguinis mei vitali sacrificio ab æterna morte redemi.

Matth 27. Marc. 15.

Quæ sitis Iesum maximè afflixerit.

Ioan. 19.

Luc. 23.

Quo labore reparati simus.

MIN. Reuera Domine Iesu amator præcipuè ac integerrime, miserabili me ratione reparâsti. O quantopere dilexisti me, quàm benignè in libertatem me vindicâsti, Quî tandem

Iesu redemptori nos omnia debere.

suauissima Sapientia pro tanto amore, tam cerba passione gratias tibi agere potero? P fectò, si mihi inessent Samsonis vires, Absol nis pulchritudo, sapientia Salomonis, cunc rum Regum opes ac dignitates, has ego om in tui laudem perquàm libenter in tuo cult famulatu consumerem. Atqui Dominen sum, nihil possum. Et quo tamen pacto gra tibi esse potero?

SAP. Si vel angelorum omnium linguis ses præditus, & Mortalium omnium bon pera solus peregisses, atque creaturarum o nium bona opera solus peregisses, atque cr turarum omnium vires haberes, nec sicq dem dignas mihi posses gratias agere vel p minima, quàm ex amore tui causa perpe sim, afflictione.

Christo passo qui condigne gratiæ reddantur.

MIN. Præsta igitur mihi Domine, & do me, vt ex tua gratia tibi placeam & charus fi quando nemo potest tuæ charitati vicem pendere.

SAP. Crucem meam omnis expertem sol tij tuos ob oculos crebrò versabis, diriſſimo cruciatus meos cum ingenti condolentia a affiges animo, & quicquid tibi patiendum o currerit, ad meæ passionis similitudinē quan dam adduces. Vbi afflictus fueris, nec tam vllam tibi præstitero consolationem, sed mentis ariditate tabescere, ac sine alicuius su uitatis infusione exarescere te permisero, qu admodum me pater meus dereliquit, non a cupaberis peregrinas consolatiunculas: sed lu mentabiles dabis gemitus ad Patrem cælest cum abnegatione tui, quod ad delectationē attine-

Aridis qui sua crux ferenda.

attinet, pro illius Paterna voluntate. Tum verò quanto externa crux tua fuerit acerbior, & intus ipse magis derelictus fueris, magisq; resignatus, tanto propius ad meam accedes similitudinem, & æterno Patri eris charior. Siquidē hac ratione præcipui Dei amici potissimum probantur. Cùm te vehemens tenebit desiderium, aliquam in re quapiam multum delectabili aucupandi & capiendi voluptatem, ex amore id respues & mortificabis: atq; eo ipso sitibundum os tuum, sicut & meum, amara potione cruciabitur. Cunctorum hominum salutem summopere sities. Rectè facta siue bona opera tua ad perfectam capessendam vitam dirigies, & ad mortem vsque exequēris. Subditam geres voluntatem, promptaq; morigerā ac obtemperantem superioribus tuis, animamq; omni proprietate nudam, prorsusq; resignatā in omnipotentis Patris manus, atq; etiam spiritum ex vita hac temporaria in illam æternā commigrantē, pro quadam similitudine extremæ illius decessionis de huius vitæ curriculo. Ita fiet, vt crux tua miserabili cruci meæ nōnihil conformis sit, atq; in ipsa præclarè perficiatur. In patulo lateris mei vulnere, in ipso amoris vulnere affecto corde meo suauiter te includes, ibiq; morari & permanere disces, atque ita vitali illa aqua te expiabo, & purpurei sanguinis mei roseo colore mirificè decorabo. Deniq; me tibi fortiter adstringam & obligabo, teque mihi perenni vnione coniungam.

Crux nostra vt Christi crucī conformetur.

MIN. Nullus vnquam Adamas tanta vi ferrum ad se rapuit, Domine Iesu, quanta acerbissimæ passionis tuæ exemplum efficacissimum

Adamas & passio Christi quomodo conferatur.

corda omnium sibi copulare & vnire queat. I
raque mi Domine deinceps periucunda & to
stia me à toto hoc Mundo abstractum, ad
pertrahe in crucem tuam, eiusque propinqui
simam similitudinem in me exprime & absc
ue, quô anima mea quandoque te fruanturi
præcipua claritate tua.

De absolutione Domini Iesu à cruce.

CAPVT XIX.

MIN. Tu quoque Mater pijssima, Do
mina reuerenda, seruo tuo explices vt
lim, vt ingens & acerrimus animi m
cruciatus ex filij passione susceptus, finem acc
perit. VIRGO MARIA RESPONDET
Faciam quod petis: sed verba mea non sine le
mentis & commiseratione auscultare te dece
Quî se mortuo iam iam Iesu Maria habuerit.
Posteaquam filius ille meus vnicus & charis
mus spiritum reddiderat, & coram me pend
bat emortuus, mihique vires omnes cordis &
sensuum defecissent, quia aliud non potui, o
culos in eum sæpe conijciebam modò sanè mi
serabili. At vbi adueniſſe sensi, qui eum de cru
ce deponerent, videbar mihi velut à morte ex
citari. Tum verò quanta Materni animi pieta
te & affectu eius emortua brachia exceperim
quantaque fidelitate eadem sanguinolentis ap
presserim genis meis: quanto etiam amore &
desiderio ipsum de cruce mihi redditum ma
terno pectori meo brachijs meis circumple
xum adstrinxerim, recentesq; & cruentas pla
gas extincti vultûs eius deosculata fuerim: at
qu

que in quãtam denique commutata fuerit miseriam ac deformitatẽ illa inæstimabilis pulchritudo, in quam angeli omnes summo cum gaudio desiderant prospicere, non possent sanè corda omnia compræhendere. Equidem illum dulcissimum filium meum receptum in sinum meum, diligenter contemplabar: & ecce erat mortuus: iterum atque iterum in illum intendebam, & neque vox, neque sensus illic erat. Ibi rursus extabuit ac defecit cor meum: & reuerà poterat præ mortiferis illis, quibus tum conficiebatur vulneribus, vel in mille crepuisse partes. Dabat autem crebros ac innumeros gemitus. Oculi plures fundebant miserabiles ac incompræhensibiles lachrymas. Erat tũc species vultûs mei longè tristissima. Si loqui voluissem, vbi iam in primoribus labris verba versabantur, vocem dolor repressit, nec me sinebat perfectè proloqui. Vtebar tamen id genus verborum: Eheu, Eheu, quis vnquam tam crudeliter tractatus est, vt hic innocens & amãtissimus filius meus? Eheu fili mi, solamen meum, vnicum gaudium meum, vt me dereliquisti? vt mihi totus es versus in amaritudinem? Vbi nunc est gaudium, quod tua mihi attulit Natiuitas? Vbi mira animi voluptas, quam ex tua cepi dulcissima infantia? Vbi honor, vbi dignitas, quæ mihi ex tua præsentia accessit? Vbi denique omnia illa, quæ meum vnquam potuerint exhilerare animum? O dolor, ô acerbitas, ô angustia: cuncta illa iam in immensos abiêre cruciatus, & dolores mortiferos. Eheu Fili mi, Eheu mi Fili, quam misera ego in præsentiarum omni gaudio destituta sum? quàm

1. Petr. 1.

Planctûs Matię descriptio

nihil mihi vspiam consolationis reliqu
est? Hæc atque eius generis alia multa dolo
plena, super defuncto filio meo tristis di
bam.

MIN. Liceat mihi, obsecro Mater intem
rata & venerabilis, cum bona venia tua paul
per adhuc cum dulcissimo filio tuo, Domi
meo, ipsa æterna Sapientia tam miserè affec
recreare ac oblectare animum meum, anteq
sepulturæ tradenda auferatur à nobis. Equi
sanctissima Mater, quamuis non ambigam
æstimabiles te tulisse cordis dolores, meri
que cunctos illis medullitùs permoueri de
re, tamen mihi persuadeo non potuisse te
aliqua animi voluptate, licèt extinctum, fi
tui corpus amplecti. Obsecro igitur Mater p
rissima, vt filium tuum ita miserè vita defu
ctum in animæ meæ sinum reponas, vt mih
pro modulo meo fiat spiritualiter ac sub m
ditatione quadam, quod tibi tum corporali
euenit. Ecce Domine Iesu, oculos ad te me
aduerto cum gaudio iucundissimo, & feruen
tissimo ac intimo amore, quo quis vnquam f
bi charissimum est amicum intuitus. En D
mine Iesu totum se cor meum aperit, vt te in
recipiat: quemadmodum vernantes rosæ erg
micantes Solis radios sese explicant. Anim
mea suauissime Iesu, infiniti affectûs seu de
derij sui vlnas erga te latissimè expandit ac d
ducit. Ecce mi Domine ex ardentissimo des
derio cum laude & gratiarum actione te hod
circumplector, atque in ipsa cordis & anim
meæ viscera te imprimo & adstringo, simu
que commonefacio te horæ illius, qua nimi

Doloríne an voluptati fuerit Mariæ, Christum ex animem tractare.

vict

victus amore, pro me non dubitâsti mortis dolores perpeti: orans & obsecrans, ne vnquam finas in me perire eandem acerbissimam mortem tuam: & ne vlla vnquam neque læta neque tristia, neque vita neque mors, te à me diuellãt ac seperent. En oculi mei perspiciunt emortuũ vultum tuum: anima mea exosculatur cuncta cruenta vulnera tua: omnes sensus mei reficiũtur ac cibantur hoc fructu suauissimo sub hac vitali crucis arbore, idque iure sanè. Alij quidem Domine Iesu consolantur sese vitæ suæ innocentia: alij magnis exercitijs & aspera viuendi ratione: alij item atque alij alijs & alijs studijs suis vel meritis nituntur. At ego Domine spem omnem & consolationem potissimum collocatam ac repositam habeo in tua passione, in tua satisfactione & expiatione, & in tuis meritis. Atque ea re perpetim meo in pectore, quæ pro me perpessus es, fixa retinebo, idq; hilariter ac cupidè, tuumq; exemplar verbis & factis, quoad potero, foris exprimam ac imitebor. O splendor admirabilis lucis æternæ, quã prorsus extinctus es mea causa: quæso flammas vitiorum omnium & malarum cupiditatum ardorem in me penitùs restingue. O speculum sine macula Diuinæ Maiestatis, quàm miserè es contaminatum & conspurcatum: expurga obsecro, sordes & maculas grandes vitiorum meorum. O imago pulcherrima paternæ benignitatis, quàm turpiter defœdata ac deformata es: reforma ac redintegra deprauatam ac luridam animæ meæ faciem siue speciem: O Agne innocentissime, quàm crudeliter ac inhumaniter diuexatus es: satisfac oro,

Quis potissimus studiosorum omnium scopus.

&expia ream vitijsq; obnoxiam vitam mea
O Rex regum & Domine dominorum, qua
miserandum in modum animæ meæ obtu
bus hîc te extinctum iacere conspicio? pra
mihi, vt sicut nũc anima mea te abiectum c
dolore & lamentis amplectitur: ita tu eam
tua æternitate cum gaudio amplexeris.

De recessu à sepulchro.

CAPVT XX.

MIn Obsecro Domina Mater, benigni
sima virgo Maria, iam nunc finem im
ponas dolori tuo & tristi huic sermon
pauciſque referas, quo modo discesseris à dil
ctissimo filio tuo. VIRGO MARIA RE
PONDET: Id sane videre & audire, miser
erat. Tolerabilia tamen erant omnia, quam
diu licebat filij præsentia perfrui. At vbi illum
mortuum à præmortuo pectore meo atque e
vlnis meis appressum vultui meo abstraxeru
ac supulturæ tradiderunt, credi vix possit, quàm
lamentabiles tum gemitus dederim, & quàm
miserè me habuerim, quid item calamitatis d
angustiæ persenserim, atque alij etiam in m
perspexerint, cum ab illo esset discedendum. E
nimuerò separatio illa, qua ab vnigenito me
iam sepulto diuellebar, non aliter quàm mor
ipsa meum cruciabat animum. Ibam intere
rum manus, qui me deducebant, modo mise
rabili: quippe quæ omni eram consolatione
priuata. Animus meus miro dilecti filij cruciabatur desiderio: tota spes mea in illo vno col-

Christi & Mariæ separatio qualis.

locata

locata erat. Denique donec esset in monumento reconditus, sola ego inter mortales omnes integram illi fidem & synceram amicitiam præstiti.

MIN. Iure igitur Domina Mater, virgo sacratissima, te salutant corda omnia, & linguæ omnes laudibus vehunt: quandoquidem quicquid in nos beneficij conferre voluit benignitas DEI, per tuas in nos manus deriuatum est. Tu post Filium initium es & medium, tu quoque finis eris. Ecce Domina mea dulcissima, admoneo te hodie tristissimæ illius separationis, quando à filio tuo vnicè tibi charo, discedere compulsa es: precorque, tuam mihi feras opẽ, vt neque à te, neque ab eius gratissimo adspectu vnquam disiungar: & sicut nunc anima mea cum pia commiseratione & condolentia tibi assistit, teque intimo affectu suscipiens, in sua meditatione cum laude & gratiarum actione cupidè admodum à sepulchro filij per portas Ierusalem domum reducit: ita tu eandem animam meam in eius extrema è corpore emigratione ad illius patriam reducas, & in æterna colloces beatitudine, quæ es integerrima Mater mea, & suprema post DEVM consolatio mea. Amen.

Quanta Mariæ authoritas.

Vt sit discendum mori: & quæ sit species mortis improuisæ.

CAPVT XXI.

MIN. Si mihi totius orbis imperium ac dominium collatum esset, Domine IESV,

non me id tanta afficeret animi voluptate, q
ea veritas & vtilitas, quam ex tua cæpi suaui
ma institutione. Vndè etiamnum vehemen
aueo plura ex te discere, latiusq; edoceri. It
exponas velim, quidnam potissimum con
niat congruatq; æternæ Sapientiæ, quæ tui
es, Ministro, tibi vni viuere appetenti. Equ
dem ex te audire percuperem de vnione nud
ac simplicis intelligentię cum sacrosancta Tr
nitate, vbi eadem in verbi nascentis in ipsa, d
renascentis spiritûs sui vera irradiatione, re
pitur extra sese, & medijs omnibus absoluta
ac nudatur.

An cuiquam maiora se quærenda.

SAP. Non decet percunctari eum de his, qu
sunt summæ ac absolutæ sapientiæ, qui etiam
nùm circa infimos bonæ vitæ gradus versetur
His igitur prætermissis, docebo te quæ sint sa
luti tuæ conducibiliora ac oportuniora.

MIN. Ecquid me docere vis Domine IESV

SAP. Mori videlicet & viuere: itemq; vtra
deuotè ac amanter accipere in venerabili Sa
cramento, meq; dignè laudare debeas. Ista mi
mirum propriè ad te pertinent.

MIN. Si mihi planè quiduis eligendi optio
daretur, IESV dulcissime, nihil profectò pot
optarem, quàm vt mihijpsi & rebus omnibus
scirem emori, ac tibi soli viuere: Te quoque to
to corde amare, & ex amore suscipere in Eu
charistia, atque digne te laudare. O terq; quat
terq; beatum illum, qui ista hæc probè nôrit, at
que in his totam exigit traducitq; vitam suam.
Quanquàm obscure mihi est Domine, vtrùm
hîc intelligi velis spiritalem mortem, quàm a
cerbissima & miserabilis mors tua tam beni
gnè

gnè & amicè mihi commendauit ac declarauit, an potius mortem corporis.

SAP. De vtraque dixisse me puta.

MIN. Sed quid attinet Domine de corporis morte instituí, quando illa dum adest præ foribus, seipsam satis docet? Quomodo aut quando mori discendum.

SAP. Quisquis tum demùm moriendi artẽ discere molitur, cùm iam excedendum est è viuis, delusum se sentiet.

MIN. Fateor Domine etiamdũ nõnihil molesta & iniucunda mihi est mortis commemoratio, siue de morte instituta narratio.

SAP. Sed consideres velim, quantoperè nũc grassetur tum in cœnobijs, tum vrbibus repentina ac improuisa mors, qua plurimi subitò tolluntur è medio. Atque eadem te quoque occultè ac insidiosè suis iam implicuerat nexibus, & parùm aberat, quin te extingueret, sicuti innumeros alios, ex quorum grege vnius iam tibi exemplum proponam. Agè igitur internos aperis obtutus & aures, & horrendæ mortis specimen in tuo proximo contemplare, eiusque voces & gemitus lamentabiles diligenter ausculta.

MIN. Intereà mentis auribus hominis repentina morte iam iamq; perituri horrendos ac miserandos hausit clamores, vocesq; miserabiles ac lugubres eiusmodi: Heu mihi Domine Deus, vnquam me editum esse in hanc lucem. Prima nascendi initia à lachrymis cœpere: itemq; supremam diem lachrymæ tristes & acerbè accipiunt, *heu circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me.* O mors. O sæua ac horrenda mors, quàm es hospes inuisa Sap. 7. Psal. 17. & 114.

inuisa iucundæ ac florenti adolescentiæ m
Eiulatio subitò morientis. Equidem nihil minùs quam te prospexera
At nunc nec opinata in me irruisti: præoccu
sti imparatum. Heu tuis me strictum vinc
abducis, haud aliter quàm qui neci destina
ad extremi supplicij locum vinctum dedu
Eheu manus super caput complodo, eas
doloris acerbitate complico. Siquidem pr
sens discrimen libens effugerem. Oculos lo
ge lateq; circumfero, si quis forte existat, q
me ex his malis possit extrahere, nec vlla
tenuis affulget spes. Iam aures cordis mei hi
horrificis mortis circonsonant, vocibus: nec
mici, nec opes, neq; scientia, neq; industria vl
poterunt te ex meis eripere manibus. Fato
concedas oportet. Itáne ergo prorsus mori
dum est? Itáne Deus ex corpore migrandu
est? Ergò planè discedendum est? Heu mem
serum, cui vnquam nasci contigerit. O mors
sæua mors, quid me factura es?

MIN. Quæso charissime, quamobrem ta
malè te habes? Lex ea omnibus ex æquo consti
tuta est, & pauperi, & locupleti, iuueni & sen
Atq; plures sanè immatura quàm matura mor
te obiêrunt. Putásne te solum mortis lege ab
solutum iri? Sed ea ingens stoliditas est & amé
Amentes potissimum qui tia. HOMO IMPROVISE MORITVRVS
RESPONDET: Molesta & acerba est istha
consolatio. Non sum mentis inops. Reuerà qu
sic non vixerunt, vt mori parati sint, nec tami
emigraturi timent mortem, ij amentes & cæ
sunt, & vt pecudes moriuntur, nescij quantis in
periculis versentur. Nõ ego iam deploro quo
moriturus sim, sed quod moriar imparatus

Mori-

Moriendi adest necessitas, & tamen eo loco res sitæ sunt, vt mihi mori non expediat. Neque vitæ duntaxat occasum plango, sed etiam iucundos illos dies, quos tamen malè perdidi, & absque vllo animę fructu exegi. Nihil iam differo ab abortiuo, & à flore deciduo verni temporis. Dies mei velociùs transierunt, quam sagitta aërem penetrat: obliuioni traditus sum quasi qui nunquam fuerim, & vt semita volucris per aëra volitãtis, quæ statim ita in se reuoluitur, vt nullus eam possit habere perspectam. Quamobrem *sermo meus in amaritudine est, & verba mea dolore sunt plena.* Vę, vę, quis tribuat misero mihi, vt sim secundum dies pristinos, vt tempus precio sum ob oculos propositum habeam, sciamq; ea, quæ modò heu serò noui. Heu me qui tempus mihi datum, dum præsens aderat, paruipendi, futiliterq; ac stolidè illud prętерlabi passus sum. Itaque nunc effluxit, nec vnquam reuocare, nũquam assequi licet. Nulla, quamuis breuis, mihi hora præterijt, quàm non maiori in precio habere, maioriq; cũ gratitudine amplecti debuerim, quam si cui inopi ac misero regni totius imperium deferretur. Nunc igitur profusos lachrymarum imbres fundunt oculi mei, quod non liceat transactas recuperare horas. Heu mihi Domine Deus, q. tam multos sæpe dies inaniter transmisi, quod tamen iam prorsus nihil mihi prodest. Ah, ah, cur non didici potiùs toto illo tempore bene mori? O quotquot estis vernantes rosæ, homines ætate floridi, quibus necdum consumpta est ætas, sed in ipso iuuentutis flore versamini, ad me respicite, & ex periculis meis discite, dum

Iob. 23 & 6.

Viuis quid agendum, antequam morte præoccupentur.

dum licet, sapere. Totos vos quamprimùm Deum conuertite, cum illo solo annos ves transigite, ne vos similis quandoq; calami compræhendat. Heu heu, quam malè dēr primos ætatis annos atq; adolescētiam mea Obsecro Domine Deus, huius te miserescat. ser ego nemini tum fidem commodare vol rectè momenti. Animus meus nimis dissol nemini auscultare aut obtemperare vol Atq; eccè nunc in ipsam mortis decipulam curri. Tempus abijt: iuuentus euanuit. Sat quidem fuisset, si matris vterus sepulchrū hi præbuisset, ne preciosissimum tempus perditè consumerem.

Sera pœnitētia quam periculosa.

MIN. Ad DEVM te conuertas Frater, & peccâsse doleas. Si finis bonus fuerit, saluae omnia, HOMO MORIBVNDVS: Absur prorsus loqueris. Modóne pœnitētiam agan modóne ad Deum me conuertam, quando tus terrore concutior, atque innumeris su correptus angustijs? Perinde mihi accidit, auiculæ, rapacis ac sæui cuiusdam milui co præhensæ vnguibus, atq; præ mortis angor sensibus destitutæ. Nihil planè aliud nunc po sum, quam quòd libentissimè, si qua liceret, uaderem: at fugere non datur. Iam mors ip

Pœnitentia optima quæ.

me premit & amara animi à corpore separa tio. O vera pœnitentia & libera ad DEV conuersio hominis adhuc rectè valentis, qui certum & securum efficis hominem? Qui negligit, nihil mirum si quandoque negligi tur & ipse. Eheu diuturna illa vitæ in melius commutandæ procrastinatio, quàm miserè perniciosè producta es. Bona voluntas sin

opera

opere, pulchra promissa absque executione euerterunt. Diem extraxi, semperque inducias impetrare conatus sum à DEO, donec in ipsam mortis noctem incidi. Hæc verò omnium mihi atrocissima calamitas & dolor est, nec potest me non vehementer excruciare, quòd omnem vitam meam, totos xxx. annos tam infeliciter perdidi, vt nesciam si vel vnum diem pro DEI voluntate ita vt oportuit, expenderim: aut si vllum vnquam Deo gratum præstiterim obsequium ac famulatum. Id reuerà non aliter quàm mucro sæuissimus ipsa cordis mei viscera configit. Eheu Domine, quàm turpiter confusus, quàm multiplici ignominia notatus adstabo coram tremenda Maiestate tua & tota cælestis exercitus frequentia. En hac ipsa hora, qua spiritum reddo, si vel vnam possem angelicam salutationem pio ac deuoto proferre animo, longè id cumulatiori me afficeret gaudio, quàm si quis vel mille auri talenta dono mihi daret. Ah ah Domine Deus, quot bona neglexi, quibus æternum carere oportebit? O quantis ipse me malis affeci, dum te attendere nolui, cùm adhuc liceret? O quoteiusmodi mihi horæ præterlapsæ sunt. Ah quoties præ rebus nihili ac futilibus, meritoque paruipendendis multam neglexi magnamque animæ salutem. Profectò inpræsentiarum gratius mihi foret, atque vberiorem æternæ vitæ mercedem conciliaret, si vel semel ob amorem Dei oculos retraxissem meos ab alicuius amici illicito adspectu, quã si illevel totos modo triginta annos flexis genibus mihi apud Deum præmium imptrare velit. Atque

obsecro

obsecro vos Mortales omnes, rem miseram ac lamentabilem audite: Ecce miser ego, qui tempus me defeciſſe cernam, longè lateque cumiens, exiguas emendicare volo eleemosynas meritorum, quæ ſibi comparârunt homines pij, vt ea cedant in expiationem maleſactorum meorum, & vbique repulſam patiar. Siquidem ſinguli verentur, ne non ipſi ſatis habeant olei pro lampadibus ſuis. Quæſo Domine Deus pia te miſeratione afficiat, quod tam ingentia ipſe mihi ſano adhuc & incolumi corpore emereri præmia, immenſaſque conflare opes potuerim multis illis diebus quibus otio ac deſidiæ deditus eram, iam non paruas liceat Eleemoſynas conſequi, quæ tamen non niſi in qualemcunque proficerent ſatisfactionem, non autem vel præmium, vel gratiam mihi conciliarent. Id vos etiam atque etiam perpendite, veſtrisq; animis affigite cum ſenes, tum iuuenes, & dum adeſt facultas, in hac vita vobis merita coaceruate: ne vbi ad extrema perducti eritis, dum demum mendicare velitis, & tamen nuſquam quicquam impetrare queatis.

Medicus miſerrimus quis.

Matth. 25.

MIN. Anguſtiæ tuæ, mi frater, animum meum cruciant. Adiuro te per DEVM viuum, vt tuo me conſilio inſtituas, quid facto opus ſit, ne me eadem quandoque pericula inuoluant.

HOMO MORITVRVS: Saluberrimum inprimis conſilium ac præſentiſſimum remedium, ſummaque ſapientia & prudentia, qui quis præditus ſit in hac vita, ea eſt, vt per integram eorum omnium, quorum malè tibi cõſcius

Securè mõriturus quomodo viuendum.

scius es, confessionem tete præpares, ac deinceps ita perpetuò te geras, ac si eadem die, aut ad summum illa hebdomada sis moriturus. Persuadeas tibi animam tuam in igne Purgatorio pro suis erratis toto decennio cruciandam, modò detineri, atque non nisi vnum hunc annum præstitum tibi, quo illi, si velis, possis opitulari. Interim crebrò ad illam respicias, audiasque voces illius miserabiles, quibus te cõpellat: Amice, inquiens, chariſſime ac fidiſſime, porrige miseræ mihi manum, misereſcat tei, adiuua me quo citius ex hac immani carnificina & flammis sæuiſſimis extrahar. Tota enim desolata & inops sum, nec quisquã ex animo fidum se mihi adiutorem præbet, præter te vnum. Totus mei Mundus oblitus est: quandoquidem *omnes quæ sua sunt quærunt.* Philip.2.

MIN. Non potest vllam habere dubitationem, quin isthæc institutio præclara sit ac minimè vulgaris, si modò ea quis reipsa experiretur, quæ tu in præsens sentis. At quamuis efficaces & instar mucronis penetrabiles sint sermones tui, plerique tamen omnes hîc residentes, nullius eos pensi habent. Aures habent & non audiunt: oculos, & non vident. Nemo ferè mori vult, donec anima abscedat è corpore. HOMO MORITVRVS: Iure igitur etiam ipsi mortis acerbę hamo capti, quantumuis lamentabiles dederint gemitus, non exaudientur. Crede mihi, eò iam res redijt, vt ſicut ex his qui Monasticum gerunt habitum, vt de cæteris taceam, vix centesimus quisque ex verbis meis ad sui emendationem & cõuersionem permo-

Quanta sui finis negligentia laborent omnes.

netur, ita è centum vix vnum comperias, q
benè præparatus moriatur: adeò ferè om
vt ego, minimè prouisi in mortis laqueo
currunt. Quod etiam illis nonnunquam
nire solet, qui non planè impœnitentes &
ratione moriuntur. Enimuerò vanæ glo
studium, commoda & oblectamenta corpo
rerum labentium amor, & rerum sustenta
corpori necessariũ auara & importuna inc
sitio plerosq; excæcant. Tu verò si cum pa
mortis improuisę angustias & calamitates
munis optas euadere, obtempera dictis m
Perpetua mortis consideratio, & fidele subs
um, quod cogitare debes, miseram animam
am tanquam pœnis Purgatorijs subditam,
te lamentabiliter flagitare, celeriter eò te
ducent ac prouehent, vt mortem non solu
non extimescas aut horreas, sed etiam toto
nimi desiderio expectes. Tantùm fac quotid
na cogitatione in his verseris, non perfunc
riè, sed crebrò & ex animo: dictaq́e mea ip
cordis tui viscerib⁹ inscribas. Ex hac dira, q
me nunc inuasit necessitate & calamitate m
disce quid tibi propediem euenire possit. C
ne cuiusmodi ista mihi nox sit. Benedictus
à Domino, felixq; nimis, qui ad hanc hora
benè paratus peruenit. Is enim securus hinc
it, quamlibet amaram experiatur mortem
Tuentur nanque eum & vndique cinguntan
geli lucis, sancti eum deducunt, & in cæli pal
tia recipitur. Suprema eius ex hac vita em
gratio, nihil est aliud, nisi in patriam sempi
ternam commigratio & introitus. At ver
DEVS pijssime, quo tamen misera mea an

Angustias improuisæ mortis euadere volendi quid agendũ.

Quis hinc felicissimè emigret.

mà hac ipsa adhuc noctu vtetur hospitio in regione illa ignota & peregrina? Eheu quàm planè destitutus ac desolatus modò sum? Ah Deus benignissime, quam misera & exul fit anima mea inter cæteras exules & calamitosas animas, quas Purgatorius ignis absorbuit? Quisnam illi toto animo, ac integra fidelitate opitulabitur? Sed hîc iam finis esto lamentabilis querimoniæ meæ. Hora ipsa ecce adest. Heu heu cerno abeundum esse, nec licet vltra moras nectere. En manus iam præmortuæ sunt, vultus palleſcit, oculi deficiunt, mortis horrendæ aculei cor ipsum appetunt, spiritum ægrè traho eximo pectore, lux Mundi huius mihî occidit, futurum iam intueor seculum. O qualis est hic adspectus? Confertim aduolant & conglomerantur teterrimæ species Tartaricorum Aethiopum, bestiæ illæ infernales me cingunt vndique, omnemque mouent lapidem, vt miseram animam in suam possint ditionem redigere. O Iudex æquissime, quàm exacta & seuera sunt iudicia tua. O quàm grauiter ponderas etiam minima quæque, quæ ob sui paruitatem omnes paruipendunt. Eheu frigidus mortis sudor præ angore toto erumpit corpore. O vultum terrificum æquissimi iudicis. O quàm districta sunt iudicia tua DEVS. Verto nunc animum ad futurum illud seculum, quò iam iamque rapiendus sum, adspicioque Purgatorij carnificinam, vbi profectò inexplicabiles intueor angustias, miserias, calamitates. En flammæ crudeles nimisque feruentes, admodum in sublime feruntur, & supra miserorum capita complicantur & confluunt,

Hominis immiam moriturí angustiæ quæ.

Purgatorij depictio.

animæque in ijsdem atris ac obscuris flamm
haud aliter quàm scintillæ in igni sursum d
orsum impinguntur, ac agitantur. Voxibi
mnium vna est, Heu heu, Væ væ: O diram c
lamitatem nostram: nec mortales omnes po
sint miseriarum, angustiarum, pœnarum m
strarum multitudinem, varietatem, acerbi
tem comprehendere. Audire illic est multi
ges easdemq; plùs satis lamentabiles, voces p
cantium atque dicentium: Succurite misen
Ferte opem desolatis. Eheu vbi nunc sunt fi
amicorum suffragia? Vbi promissa fallacia
què fallacium amicorum nostrorum? Ah q
miserè ab illis derelicti sumus? quàm prorsi
nostrî obliti sunt? Miseremini nostrî, Misen
mini nostrî saltem vos amici nostri charis
mi, quibus sæpè tantoperè obsequuti & grati
cati sumus. Eheu quales amauimus, quid pr
mij reportamus? O amicos infidos, qui nost
immemores, permittitis nos in hac æstuanti
sima fornace torreri. Ah.ah, quòd non meli
nobis ipsi prospeximus, nec hæc mala anteue
timus, cum tamen facilè id licuisset. Minim
huius loci cruciatus vincit immanissimo
quos vllus vnquam Martyr in terris persens
rit dolores. Vna hora hîc prolixior esse vid
tur, quàm centum anni in terris. Heu, heu, e
coquimur, assamur, vociferamur, opemq; po
scimus, sed maxime omnium id dolet, quòd
diuini vultûs iucundissima contẽplatione tan
diu distinemur. Id planè animum, cor, sensus
pondere premit intolirabili. Sed cum his eg
nunc migro è corpore.

Purgatoria-norum que-relæ & expo-stulationes.

Iob 19.

Purgatorij pœna maxi-ma quæ.

MIN. Num dereliquisti me benignissim

Sapien-

Sapientia? Ah Domine Deus, quam præsens me inuasit mortis imago? Nescio si adhuc anima in meo degat corpore, aut si vita mihi reliqua sit. Laudo te Domine Iesu, & vitam in melius cõmutare omninò firmus statuo, dum spiritus hos reget artus. Eheu quantus me terror occupat: nescio si vnquam tanto in mortis discrimine versatus sim. Erit sanè Domine hominis istius ita morientis consideratio mihi vtilissima. Equidem nullum vnquam prætermittam diem, quo non mortis vbique nobis insidias tendentis laqueos prospiciam, curemq; ne me illa anteuertat. Discam sano corpore mori. Animum meum ad futurum seculum referam: siquidem reipsa animaduerto, nihil esse sub sole diuturnum. Nolo differre pœnitentiam & emendationem ad vltimum vitæ occasum. Adeò me visio hominis iam mortui exterruit, vt vehementer admirari non desinam vllum mihi superesse spiritum. Faceſſat nunc molle stratum, prolixus somnus, delicatus cibus & potus, honor caducus, voluptas & oblectamenta corporis. Si perexigua afflictio vsqueadeò mihi dolet in hac vita, quî tandem immensos illos Purgatorij cruciatus tolerare potero? Quid si iam mori me contingeret, & necdum expiatum hinc excedere, quid tandem me futurum esset? Siquidem multis etiamnum peccatis onustus sum. Planè ab hac ipsa die miseræ animæ meæ fidum me præbebo adiutorem Domine, & omnium amicorum destitutæ opem ipse ego benignè faciam, ac pro viribus gratificabor.

Morientem considerare hominem quam vtile.

Quomodo mori discendum.

SAP. Ita fili iugiter debes ob oculos versare

tuos quæ audisti & vidisti, dum adhuc iuue
es, dum adhuc viget & floret ætas, & potes co
modè tuæ saluti prospicere ac mederi. Vbi a
tem ad hanc mortis horam deductus eris, n
ipse tibi iam adminiculari poteris, nihil o
ninò ex his quæ in terris sunt, nisi meam de
taxat mortem & infinitam misericordiam c
siderabis, ne à spe tua decidas, sed integra er
me spes tua & fiducia perseueret.

MIN. Eccè Domine IESV, tuis me adu
uo pedibus plorans & eiulans, obsecransqu
vt in hac vita castiges & purges me, quantu
voles: tantum ne me illis horrendis serues cr
ciamentis loci Purgatorij, quorum asperita
nemo possit compræhendere. Vndè iam adm
ror & stupeo insaniam atque amẽtiam mea
qui hucusque supplicia tam paruipenderim
quasi pro nihilo habuerim, quæ iam reuerà
animo reformido ac horreo.

SAP. Bono sis animo fili. Timor iste sapien-
Psal. 110. tiæ initium est, & aditus ad beatitudinem. Nu
oblitus es quantoperè scriptura omnis com
mendet ac prædicet eos tanquam verè sapien
tes, qui in assidua mortis meditatione versen
tur, & semper pauidi sint? Iure tu quidem per
petim me laudare debebis, quòd tibi ist
planiùs & certiùs innotuerint, quàm vel v
ex centum millibus. Et quod audire miser
est, audiũt quidem hinc dici multa, nec possu
se horum ignorantia tueri, certique sunt ha
sibi imminere, nisi resipiscant: & tamen ne
gligunt ac dissimulant, immò etiam flocc
pendunt, donec prohdolor in ipsam pœnar
voraginem demergantur. Tum verò clami
tant

tant, vociferantur & plorant, sed serò sapiunt Phryges. Quæso aperi oculos, & ad digitos recense eos, si potes, qui tua memoria apud te mortui sunt. Vtere nũc illorum familiari colloquio non oris, sed spiritûs: fac interim quasi mortuum esse corpus tuum, & spiritu illis iungere, eosq; omnes, vt habeant, percontare. Ausculta quàm altis cum suspirijs & acerbo eiulatu iam dicant: Felix nimium, quisquis ille est, qui sano obtemperans consilio, didicit ex alienis calamitatibus suæ saluti consulere. Tu si sapis, ita tibi persuade, propediem te ex corpore abiturum. Reuerà nanque vita tua est instar auiculę sedẽtis in arboris ramusculo, mox ab accipitre deuorandæ: & vt hominis in fluminis ripa assidentis, nauemq; magna celeritate prętернauigantem pręstolantis, in quam recipiendus sit, & in solas terras deportandus, vndè nunquam liceat reuerti ad patriam. Ita ergò vitam tuam instituas, paratus semper ad mortis occursum, vt vbi illa irruperit, bene sis communitus & aditer instructus, lætusq; hinc abscedas.

Alieno malo sapiendum esse.

vita humana qualis.

Quemadmodum internæ vitæ nauanda sit opera.

CAPVT XXII.

MIN. Multifaria sunt exercitia Domine viuendi instituta diuersa sunt, & alij atque alij alios & alios bene viuendi modos sectantur. Scripta quoque Diuina impenetrabilia sunt, nec ea quisquam perscrutari

potest: denique institutiones & præceptio
sunt innumerabiles. Obsecro igitur æter
Sapientia, sub compendio me doceas horu
omnium summam quandam & Methodu
quid potissimum sectari & colere debeam i
veræ vitæ itinere.

SAP. Verissima, vtilissima, & compendi
fissima, quàm ex vniuersis queas scriptis colli
gere, quæque paucis verbis veritatem omne
quatenus ad supremam sanctæ & immaculat
vitæ perfectionem attinet, te edoceat institut
hæc est. Viue separatus & abstructus à cunct
hominibus. A quibuscunque introreceptis
maginibus mundum & liberum te conseru
Expedi teipsum ab omnibus, quæ tibi accide
tia, affectûs adhæsionem, & curas ac solicitud
nem aduehere queant. Animum tuum iugit
sursum erige in seriem quandam, occultam, a
Diuinam contemplationem, in qua me conti
nenter ob oculos fixum retineas, ceu obiectu
quoddam vel scopum perpetuum, à quo ne a
momentum vnquam oculos deflectas tuos
Quicquid autem aliarum inferioris notæ el
exercitationum, vt est, studium paupertatis, je
iunia, vigiliæ, & quæuis aliæ corporis castiga
tiones, eas omnes huc tanquam ad finem suum
refer ac dirige: tantumq; ex illis assume, quan
tum hac in parte tibi adminiculentur, eoque
promouent. Hac ratione ad summam euola
bis perfectionem, quam alioqui ex mille vix
vnus apprehendit, eò quòd finem suum in alij
exercitijs externis constituãt, atque ea re mul
tis annis per longas ambages circumacti, sem
per

Certiss. ad perfectionẽ methodus quæ.

Summam in hac vita perfectionem cur pauci cõprehendant.

per maneãt similes suî, à vera perfectione multum remoti.

MIN. Quis tandem possit Domine tam fixa ac immota acie in tuam semper diuinitatem intendere, atq; in huiusmodi irremissa animi contemplatione perseuerare? Nũ quis semper cælestibus intentus esse queat.

SAP. Nemo sanè mortali pressus corpore id potest: sed dicta sunt hæc, vt noueris quo conniti ac adspirare debeas, atque vbi sit finis omnium exercitiorum tibi constituendus, quò itẽ cor animum q; referre ac accommodare oporteat. Vbi verò ab hoc scopo & contemplatione te abductum senseris, ipsa te beatitudine sempiterna priuatum arbitraberis: atque euestigiò rursus eò te referes & adiunges, vt possis recuperare vnde deflexisti: ages q; tuî curam perui-gilem. Nam quoties hinc aberras, non secus tecum agitur, quam cum nauclero, qui in seua tẽpestate remos & clauum perdiderit, nesciatque quà tendendum sit. Quòd si stabilis huic inhærere non potes, toties te iterum atque iterum intrò recipies, huicque studio operam dabis, vt ipsa introuersionum crebra ac identidem instaurata assiduitas & frequentia, qua te quoties aberrâsti, rursus colligis & reuerteris in idipsum, tandem firmum ac stabilem te efficiat, quatenus fieri poterit in hac vita. Audi igitur fili mi fidissimam amantissimi Patris tui adhortationem & doctrinam, eam q; ipsis cordis tui visceribus inscribe, neque negligas vllo modo, sed obserua diligenter: cogita quis sit, qui hanc tibi tradit, & quanta id faciat fide, amore, ac beneuolentia. Si vnquam velis progredi in virtutibus, sint hæc verba mea tuis Perfectionẽ meditanti quid agendum.

semper oculis obuia, atq; vbicunq; vel sederis vel substiteris, vel ambulaueris, putes te coràm à me admoneri & compellari his verbis: Fili mi, da operam, vt sis perpetuus interioris hominis tui cultor & habitator: sis purus, sis ab occupationibus non necessarijs expeditus, sis denique sursum erectus & in superna suspensus. Ita fiet vt propediem capias verba mea, agnoscasq; & perspicias bonum illud summum & immensum, cuius etiamdùm admodum rudis es & imperitus.

Qualia sibi quisque assiduè dici putabit.

MIN. Grates laudesq́ue sempiternas agoti bi benignissima Sapientia, quandoquidem tanta inest gratia, suauitas, & beneuolentiæ ac amoris significatio in sermonibus tuis, vt ab aliũde moueri non possem neque vellem, vel illi soli abundè compellerent me obtemperare institutioni tuæ. Itaque omninò statutum & deliberatum mihi est Domine, omnem adhibere conatum tuis exequendis monitis & consilijs.

Vt Christus deuotè sit accipiendus in venerabili Eucharistiæ sacramento.

CAPVT XXIII.

MIN. O si daretur animæ meæ, pissima Sapientia, aditus in sacratissimum Diuinorum Mysteriorum tuorum conclaue: liberet mihi plus aliquid de amore tuo percontari. Atque eiusmodi ferè quæstionem proponerem, quandoquidem immensæ erga nos charitatis tuæ abyssum in acerbissima passione

sione tua vsque adeò nobis declarâsti ac prodidisti, vt nemo satis mirari queat, vtrum ne præterea alia possis amoris erga nos tui indicia & argumenta proferre.

SAP. Quidni possim? Immò verò quàm non potest certus iniri numerus stellarum cælestium, ita inexhaustæ dilectionis meæ signa & documenta non possunt numero comprehendi.

MIN. O IESV amor meus dulcissime, O pijssime Domine, cerne obsecro, vt anima mea langueat amore tui. Conuerte ad me miserum faciem tuam longè gratissimam. Adspice vt in me extincta sint ac euanescant omnia præter vnicum flagrantissimæ charitatis tuæ thesaurum. Itaque perge, quæso, de hoc præclaro occultoque thesauro sermonem latius texere. Nôsti siquidem Domine, id esse amoris proprium, vt non possit exatiari dilecto: sed quanto plus illius percipiat, tanto cupiat plura consequi, quantumuis alioqui se indignum agnoscat. Id nanque summa vis amoris efficit ac operatur. Dic ergo mihi præclarissima Sapientia, ecquid sit præcipuum & benignissimum, quod vnquam in suscepto homine præstiteris, amoris signum, præter incomprehensibile illud immensæ charitatis tuæ argumentum, quod nobis tua passione & morte exhibuisti.

Dei erga nos dilectio an comprehensibilis.

Amori quid maximè proprium.

SAP. Respondead id, quod ex te scisciter. Quid nam inter ea omnia, quæ possint esse jucunda, grata & amabilia, præcipue charum & optatum esse arbitraris amanti, quodq; is potissimum sibi à dilecto præstari velit?

Quid inter chara omnia charissimum.

MIN.

MIN. Quantum equidem capio Domine nihil potest amãti esse suauis, quàm ipsius dilecti præsentia, atque ipsomet dilecto perfrui.

SAP. Ita est, vt asseris. Atque eam ob rem, quid ex his, quæ ad verum amorem pertinent deesset me amantibus, compulit mea immensa charitas mea, (quandoquidem probè nouerat quanto mei desiderio crucianda essent multorum me amantium pectora) vt per mortem migraturus è Mundo ad Patrem memetipsum gratissimamq; mei præsentiam in cœna illa suprema discipulis meis præberem, atque in hunc vsque diem & in finem seculi præberem desinam electis meis.

Quàm præsens nobis in sacramento Christus.

MIN. Numne tu ipse pijssime Domine illic reuerà ades?

SAP. In Sacramento illo tam tibi præsens adsum, & coram te positus sum Deus & homo cum corpore & anima, carne & sanguine, qui me præsentem suis olim gestauit vlnis beatissima Mater mea, atque vt reipsa sum in cælis in perfecta gloria & claritate mea.

MIN. Voluitur quiddam mi Domine meo in pectore, quod haud scio num tibi edicere ausim cum bona venia tua. Neque id tamen ex vlla proficiscitur diffidentia vel infidelitate (credo enim posse te quicquid velis) sed vehementer admiror, si id mihi dicere liceat, vt corpus tuum glorioſum ac beatum sub exili illa panis specie, quæ tam longè impar est humani corporis magnitudini, totum ac integrum sese occultare queat. Ne quæso, indignè feras quod proposui mi Domine, siquidem ex sacrato ore tuo, qui mihi es immensa ac dulcissima Sapien-

tia,

tia, velim per gratiam tuam quippiam hinc percipere.

SAP. Nulla potest effari lingua, vt corpus & anima mea integrè ac reuerà fit in Sacramẽto? Neque enim id vllus potest sensus compræhendere: quandoquidem opus est immensæ virtutis ac omnipotentiæ meæ. Debes igitur simplicem hîc accommodare fidem, nec magnoperè perscrutari ac inuestigare velle. Interim nihilominùs vel paucis tecum hinc agam, efficiamq; vt alijs propositis admiratione dignis omnem à te ambiguitatem excludam. Dic, quæso, quo tandem naturæ ordine fieri possit, vt ingens domus in exiguo reluceat speculo, vel etiam in qualibet eius parte, si contritum sit? Aut qua ratione potest contingere, vt amplissima cæli moles oculo suam imprimat speciem, cum tamen vsqueadeò inter se differant magnitudine?

Fide vbi potissimũ opus, non inquisitione.

MIN. Equidem mi Domine, quo id pacto fiat, peruestigare non possum. Est hoc planè stupendum & admirabile, quando oculus cælo comparatus, vix puncti obtinet quantitatem.

Naturã multa facere, intellectu incompræhensibilia.

SAP. Cum ergo tam istud, quam si quid aliud eiusmodi est in rerum natura, tamen natura ipsa possit efficere, quidni multo his maiora præstare queam supernaturaliter ipse qui naturæ author sum? Sed etiam hoc mihi explices velim, plùsne admirationis habeat, cælum, terram & res omnes condidisse ex nihilo, quam panem inuisibiliter in corpus transferre meum?

MIN. Nihil prorsus ambigo Domine, eadẽ te

te facilitate posse mutare quippiam in alia qua aliquid ex nihilo producis.

Ioan.6. SAP. Cur ergo illud miraris, istud mini? Credis tamē quinque hominum millia qu que panibus me refeciſſe. Dic ergo, vbinam dita latebat materia illa, quæ meo ſeruie verbo?

MIN. Neſcio mi Domine. SAP. Non du tas animā te habere, ſed credis firmiter. Mi Nō id credo Domine, ſed certò noui: aliâs nimè eſſem vita præditus.

SAP. Nec potes tamen animam oculis tu corporeis. Num propterea ſentis nihil eſſe rum, niſi quę ſub oculorum atque auriumſe ſum cadant?

MIN. Omninò perſuaſum habeo Domin plures eſſe res inuiſibiles, & ab omni adſpe corporeo planè remotas, quàm quas cern liceat.

Quanta quotundam ruditas. SAP. Interea nihilo ſecùs perplures reperi eſt tam pingui Minerua & obeſis narib⁹, vt perſuaderi illius poſſit eſſe aliquid præter quæ ſenſibus corporis compræhenduntur. illi qui benè ſunt eruditi, nôrunt rem aliter ſe habere. Eodem modo hîc ſe habet captus h manus erga cognitionem Diuinam. Ita ergò percontatus ex te eſſem, qui ſint aditus abyſſ aut cuiuſmodi ſint aquæ ſuperçeleſtes, reſpo diſſes forſitan, altiora hæc eſſe, quàm quæ plorata habere queas, nec te abyſſum penetrā ſe, aut vltra cælos conſcendiſſe. At nunc de terrenis ſciſcitatus ſum, quas oculis & auribu capeſſis, nec tamen potes compræhendere: qu igitur pacto id te aſſecuturum ſperas, aut inue

ſtiga

fligaturum, quod cęlos omnes, terramq; & sensus cunctos superat? Huiusce modi igitur admirationes, incidentesq; cognitiones ex sensuum crassitudine proficiscuntur, res videlicet. Diuinas & supernaturales ex terrenis & naturalib⁹ metientes: quod tamen fieri non debet. Si qua mulier in turrim obscuram coniecta, inibi filium pareret, ac educaret, eidemq; multa de Sole & stellis referret, summa hæc eum admiratione afficerent, putaretq; falsa & incredibilia, quæ tamen matri essent certissima.

Venusta collatio.

MIN. Nihil habeo mi Domine, quod dicã. Adeò namque fidem illustrâsti meam, vt non ausim vnquam deinceps isthęc admirari. Quid verò me summa perquirere attinet, quãdo nec infima capio? Tu veritas es, quæ mentiri non potest. Tu summa es sapientia, quæ nouit omnia. Tu es omnipotens virtus, cui nihil nõ possibile est. Atqui mi Domine sæpè me incessit vehemens cupido te cum S. Simeone corporaliter in vlnas recipiendi meas in templo, atq; in pectus animamqúe te imprimendi meam, & ita corporalis præsentiæ tuę osculo reuerà perfruendi, sicut & ille venerabilis senex. Atque ecce dum rem propi⁹ intueor, video me nihilo minus te accipere, quam ille te acceperit, immò sanè etiam excellẽtiùs, quod corpus tuum iam sit glorioſum & impassibile, quod tũ mortale adhuc erat. Quamobrem si cordi meo tãtus inesset amor, quantus creaturis omnibus: si conscientia mea tãta niteret puritate, quãta angeli oés: si denicq; anima mea cũctarũ esset animarum pulchritudine decorata, si tamen id ego ex

Luc. 2.

Quid obsit cur minùs fructuosè Deo in Eucharistia veniamus.

tua

tua gratia dignus essem consequi, equidem
Domine Iesu tam amanter & ardenter hac
die te susciperem, & in intima cordis & ani
meæ penetralia te reconderem ac demerge
vt neque mors, neque vita me posset vnquam
te separare. Sanè mi Domine, si non nisi a
lum vnum ad me delegâsses, nescirem quo
pacto dignum possem exhibere honorem &
uerentiam. Qualem igitur erga illum me
Luc 10. congruit, quê ita medullitùs amat anima me
Tu nimirùm vnicum illud vnum es, in quo
bundè continetur, quicquid tum in tempo
ria, tum æterna vita queam concupiscere:
quicquam est, quod anima meâ tecum appet
quod tuipse non sis: tantùm abest, vt aliqu
desideret quod sit tibi aduersum, aut à te al
num. Id enim mihi perquàm molestum for
Tu adspectui formosissimus, palato suauissi
tactui delicatissimus, cordi amabilissimus
Nihil mi Domine neque oculis neque auri
capio, nihil vspiam inuenio in tota rerum
niuersitate, quo non vel millecuplo iucundi
optatius, amabilius in te suauissimo DEO
Domino meo reperiam. Quînam erga te
geram dulcissime Domine præ nimia lætitia
admiratione? Accendit me præsentia tua, se
Ioan. 10. terret Maiestas tua. Ratio mea vult honore
habere Domino suo: at cor amare vult & du
citer amplecti dilectum suum. Tu Domin
meus es, tu Deus meus, tu frater meus, & si di
cere ausim, tu charissimus sponsus meus.
DEVS meus, qualem vitam, quid gaudij, qui
exultationis, quid dignitatis ex te vno capio
Omninò sic sentio Domine IESV, si mihi
ab

abs te præstitũ esset beneficij, vt ex patulo cordis tui vulnere vel vnicam duntaxat pretiosi sanguinis tui guttulam ore meo percipere liceret, habere me pro votis omnia. Atq; ecce rem mirandam planeq; stupendam, nedùm ex corde, vel manibus, vel pedibus, vel cunctis vulneribus tuis vnam siue alteram sum adeptus guttulam, sed totum tuum sanguinem pretiosum per os in cordis ac animæ viscera recepi. Nónne hoc ingens est beneficium? An non pro maximo habendum est, quod cuncti illi præcelsi Angelicorum ordinum spiritus in magno habent precio? Quid potest maiorem præ se ferre charitatem ac beneuolentiam? Vtinam mi Domine cuncta membra mea, totus ego in inexhaustum vertar amorem, vt qualemcunque tantæ charitatis tuæ significationi vicem possim rependere. Ecquid totus hic habet orbis Domine, quod possit gaudio me afficere vel sui desiderio, quando tu ipse Deus meus tam benignè ac liberaliter te mihi fruendum ac amandum exhibes? Iure profectò Sacramentum hoc Amoris dicitur. Quid enim vnquam vsquam vel videre vel audire contigit tantùm præ se ferens amorem ac benignitatem, quam charitatem ipsam reuerà suscipere, & in eandem per gratiam transformari? Nihil sanè hic discriminis comperio inter S. Simeonem te corporaliter complectentem, & me spiritualiter te suscipientem, nisi quod ille te visibilem, ego inuisibilem accipio. Sed quam non possunt modò contueri oculi corporis mei humanitatẽ tuam in Sacramento verè præsentem, tam non potebant tum illius oculi conspicere Diuinitatem

Amoris sacramentum quod cur meritò ita dicatur Luc. 2.

Simeonis & animæ fidelis cõparatio.

tuam præterquam in fide, ſicut & ego te
intueor. Neque verò magnoperè curandu
adſpectus corporeus. Qui nanque cordis h
oculos apertos, is externos non admodum
quirit obtutus: quandoquidem longè certi
Oculi acutiores qui. veriùs ſpiritales oculi contuentur. Quat
ergo ſcire fas eſt, certò noui per fidem, te
reuera præſentem me habere in Sacramen
Quid me præterea neceſſe eſt inquirere? D
te vnum habeo, nihil eorum deeſt mihi, qu
nimus concupiſcat meus. Imò ſanè abſque
paratione vtilius eſt non poſſe te corporeis
ſpici obtutibus. Nam quo tãdem pacto ad
poſſem, vt te viſibilem manducarem? At n
dum inuiſibiliter præſens ades, manet id, q
amanti ſuauius eſt, & abeſt omnis inhuma
tas. O Deus pijſſime, dum mecum ipſe re
quam profundo conſilio, quam immenſo
amore, quàm concinno denique ordine
cta diſponas ac modereris, cogor alta co
Rom. 11. voce clamare & dicere: *O altitudo diuitiarum
pientiæ & ſcientiæ Dei.* O qualis es in te ipſo
mine, qui tam multiplex & incomprehenſi
lis es in donis & effluxibus tuis? Reſpice qu
Deus meus deſiderium cordis mei. Nullus
quam ſiue Rex, ſiue Imperator tam honor
acceptus eſt: nullus, quamuis deſideratiſſim
hoſpes peregrè veniens, tanto cum amore
amplexus receptus eſt, nulla ſponſa mai
apparatu & ſplendore domum deducta, neq
lautiùs & magnificentiùs tractata eſt, qua
mens mea te hodie ſuſcipere appetit præſta
tiſſimum Imperatorem cordis mei, dulciſ
mum hoſpitem & amantiſſimũ ſponſum a

mæ meæ: neq; ſuſcipere duntaxat, ſed introducere etiam in potiſſimum ac intimum illud, q̃ cor & anima mea poſſit exhibere, tantaq; tibi cum reuerentia ac veneratione occurrere ac obſequi, quàm vlla vnquam fecerit creatura. Doce igitur me Domine, vti erga te gerere me debeam, teque officiosè ac iucundè recipere.

Deuotio quæ cui præſtet.

SAP. Operam dabis, vt dignè me excipias, humiliter ſumas, ſeriò retineas, amore non quolibet, ſed qualis decet ſponſam, me circumplexaris, & cum reuerentia Deo digna ob oculos me fixum habeas. Spiritualis eſuries & præſens ſiue actualis (vt vocant) deuotio potiùs te ad me percipiendum, quàm ſola conſuetudo, monebunt. Anima in cæleſti abſtractæ vitæ domicilio vel incluſorio intimè ſentire ac dulciter perfrui me cupiens vitijs oportet vt ſit ante nudata ac expoliata, ornata virtutibus, libera ab occupationibus ſuperuacaneis, roſis purpureis flagrantiſſimæ charitatis conſita, ſuauefragantibus humilis abiectionis violis, & albicantibus inuiolatæ puritatis ac caſtimoniæ lilijs ſtipata. Lectulum mihi vel thalamũ efficiat in vera cordis pace. Siquidem in pace factus eſt locus meus. Suis me ſtringat vlnis, omnem excludendo amorem alienum & extraneum: vtpotè quem haud ſecùs ipſe fugere conſueuerim, quàm ſolent miluum auiculæ diuitare. Cantet mihi cantica Sion, id eſt, ardentiſſimi amoris cum attẽtiſſima ac deuotiſſima laude. Tum verò ipſe quoque viciſſim amplexabor illam, & meo innixam pectori, tranquillam faciam experiri requiẽ, perſpicuã

Animæ æternæ Sapientiæ perfrui cupientis quis ſtatus eſſe debeat.

f Pſal. 75.

Pſal. 136.

ac manifestam contemplationem, inexpe
fruitionem, quandam sempiternæ suaui
degustationem, & perennis beatitudinis e
rimentum. Quæ quidem ipsa soli sibi ser
Isa. 24. debebit, dicens cum Propheta: *Secretum m*
mihi, Secretum meum mihi. Alieni enim ista
sentiunt nec percipiũt. Dicet ergò cum int
Isa. 45. cordis suspirio. *Verè tu es Deus absconditus:*
Apoc. 2. bonum illud occultum, quod nemo nouit,
qui accipit.

MIN. Eheu nimiam cæcitatem meam,
hactenus laboraui. Decerpsi rosas, nec tam
Querimonia pia animæ piæ. odorem illarum sensi: inter medios amb
flores, eosq; longè elegantissimos, minimè
intuitus sum. Suaui perfusus cæli rore, nihil
minùs frutex aridus fui. Non potero vnqu
dolere satis, quòd tanto tempore adeò te
pinquum habui, & ego tam longè à te recess
dulcissime purarum mentium hospes Ie
benignissime, quàm indignè me hactenus
ga te habui? quàm sæpè me tibi negaui? Qu
frigidus & absque vlla appetentia vel desid
accessi ad escam angelorum longè dulciss
Medijs faucibus præclarum retinebam bal
mum, nec illud tamen percipiebam. O am
nissimum angelorum omnium pratum &
scua vberrima, nunquam me ita vt oport
tua exhilarauit præsentia. Certè si charus qu
piam amicus manè ad me venturus fuisset, t
ta præcedente nocte magno essem affectus ga
dio. Eheu nunquam me digniſſimo huic pr
paraui hospiti, ita vt iure debuissem, cum tam
cælum & terra, siue cælestia & terrestria illu
venerentur. O quàm leuiter & citò me à

auerti
tatio
præse
Angel
negli
rim
quam
adesse
templ
& qua
tamen
ultass
coràm
sanct
rum,
Sacra
sum
semp
mirù
ctere
Ah pi
locis
xta n
ac in
sed c
te ac
Maie
stupi
salut
fione
culi
cor
affec
lo; c

auerti: quàm celeriter te eieci ex propria habitatione tua. Tu mi Domine totus hîc reuerà præsentissimus ades, adest simul multorum Angelorum iucunda frequentia: & tamen tam negligenter & oscitanter me gessi. Sanè vt interim de te taceam Domine, si aliquo in loco quamuis remoto, certò sciuissem beatissimos adesse spiritus Angelicos, qui te perpetuò contemplantur, libens ac vltrò illuc properâssem: & quamuis eos videre fortassis non licuisset, tamen ad eorum præsentiam totus animo exultassem. Et ecce tu Domine & Rex angelorum coràm positus es, habens adiuncta tibi multa sanctorum Angelorum agmina. Heu me miserum, quod loca illa, vbi tu præsens haberis in Sacramento, non magis attendi, nec maiori sum veneratione prosecutus. Meritò quidem semper id mihi dolere debebit. Oportebat nimirùm, si nihil licuisset aliud, saltem caput flectere erga locum illum, vbi te adesse noueram. Ah pie IESV, quam crebrò prohdolor in ijs locis, vbi tu in Sacramento coram me atq; iuxta me versabaris, tam stupidus, insensibilis, ac indeuotus constiti. Corpore illic adstabam, sed corde alio euagabar. O quoties te inspectãte ac præsente, ad alia me auerti, non veritus Maiestatem tuam, idq; adeò inconsideratè ac stupidè, vt nec semel quidem corde te attento salutarem cum deuota genuflexione ac submissione. Et tamen æquum erat mi Domine, vt oculi te mei adspectarent ingenti cum tripudio, cor te spectaret ac intenderet toto desiderio & affectu: os te laudaret feruentissimo cum iubilo: denique vires omnes in tuo cultu præ gaudio

Quomodo Iesus in eucharistia meritò venerandus.

2. Reg. 6.
3. Reg. 8.
2. Paral. 5.
Hebr. 9.

liqueſcerent. Sic ſcriptura commemorat, D
uid regem ſaltâſſe totis viribus ante arcam
deris, in qua tamen non niſi manna & qua
aliæ res corporeæ inerant. Quapropter in
nua prouolutus coram te Domine IESV &
ctis Angelicis ſpiritibus, cum intimis cordis
chrymis oro & obſecro, memineris, memi
ris inquam, hîc te præſentem adeſſe æterna
ſapientiam, imò etiam fratrem meum, trad
que obliuioni & remittas miſero, quicquid
iuriæ ac irreuerentiæ vnquam tibi exhib
Namque ex animo doleo, ſemperq; dolebo,
quidem ſapientiæ lumen nunc demum mi
illuceſcit. Atq; loca illa, in quibus tu Deus n
ſecundum Diuinitatem, ſed etiam ſuauiſſima
humanitatem tuam adeſſe dignaris, deinc
ſemper honore ac veneratione proſequar. O
bonum præcipuum, amabilis Domine, hoſp
dulciſſime, quæſtiunculam adhuc propone
perquam velim, ecquid tamen adferas anim
te diligenti, quidve illi conferas & præſtes v
ra illa præſentia tui Sacramento, dum illa te
amore & deſiderio accipit?

Chriſtus quid animæ diligenti ſe conferat in Euchariſtiæ perceptione.

SAP. Putas, iſthæc quęſtio amantem decea
Quid, oro, meipſo præſtantius habeo? Qui ipſ
ſuo dilecto fruitur ecquid illi præterea requ
rendum eſt? Qui ſeipſum largitur, quid (quæſ
negare poſſit? Equidem meipſum tibi do, & te
ipſum tibi tollens, mihi copulo & coniung
Amittis ergo teipſum, & in me tranſmutaris
Ecquid Sol radiantiſſimus aëri ſereno ac neu
tiquam nubili adfert? Quid lucifer oriens ob
ſcuræ præſtat nocti? Quid denique vernans a
ſtatis amœnitas, iucunditatis & elegantiæ al
fert

ficit & producit post exactos gelidæ hyemis algores?

MIN. Isthæc omnia, mi Domine, multa præclara operantur & conferunt beneficia.

SAP. Præclara hæc tibi magnificaq; videntur, eò quòd oculis ea capere queas. At verò vel minimum ex me proficiscens donum in venerabili Sacramento, in omnem æternitatem lõgè fulget radiatq; splendidiùs, quam vllus Solis huius splendor: multoq; est illustrior atque micantior, quam lucifer iste conspicuus. Denicq; sempiterno quodam decore ac pulchritudine longè te præclariùs exornat, quam vlla vnquam æstas, qualibet amœna, terram ornauerit. An forsitan dubitas illustrissimam Diuinitatem meam quouis sole fulgentiorem, præclarissimam animã meam qualibet stella micantiorem, atque glorioſum corpus meũ quãtacunque æstatis amœnitate delectabilius esse? quæ quidem hodiè reuerà percepisti in Eucharistia.

MIN. Quando hæc ita se habent, mi Domine, quid causæ est, vt ea non sentiantur? Equidẽ sæpè ita aridus, frigidus ac durus accedo, vt nihilo plùs percipere mihi videar luminis, gratiæ & suauitatis, quam qui cæcus natus sit, nec vnquam Solis huius lumen intuitus sit. Vellem itaq; modò id dicere ausus essem, obconfirmãdam præsentiam tuam plura certioraq; nobis reliquisses testimonia & rationes, quibus te adesse declarares.

SAP. Quãto minùs argumentorum siue rationum adhibetur, eo fidss purior, & præmiũ cumulatiùs est. Vides tamen naturæ opificem Fides quæ qua maior.

DEVM innumeris arboribus pulcherrima admiranda præbere incrementa, idque adeo occultè, vt nec oculis nec vllo possit interno sensu deprehendi, donec perfecta sint. Nō sic ego eiusmodi lux in Sacramento, quæ se foris proferat ac erumpat: nec eiusmodi bonum quod extrinsecus operetur. Atque hoc ipsum tanto est præstantius ac nobilius, quanto spiritualius.

MIN. O quàm pauci sunt DEVS meus, qui funditus considerent ac ritè perpendant, quid nam accipiant in Sacramento. Accedunt insti aliorum, vt plurimùm vulgari quodam more ac prorsus inconsideratè: quo fit, vt quales accedant, tales recedant, puta sine gratia & devotione. Non enim satis ruminant aut penetrant cibum illum, neq; attendunt & cōsiderant quid sint accepturi.

SAP. Ego bene præparatis sum panis vitæ parum præparatis, panis aridus: at nihil paratis & indignis, plaga temporaria, ruina mortifera, & æterna execratio sum.

MIN. Terribile est quod ais Domine IESV, sed quos tandem mi Domine benè ac parum præparatos, aut quos indignos vel imparatos vocas?

Parati, parū præparati, ac imparati ad Eucharistiæ perceptionē qui dicantur.

SAP. Benè paratos dixerim, qui iam à vitijs repurgati sunt. Parùm præparatos, qui adhuc quibusdam impedimentis distinentur ac inhærent. Nihil verò præparatos, qui vel voluntate, vel actione sponte in mortiferis peccatis perseuerant.

MIN. Quid si eiusmodi aliquis ea hora se peccasse ex animo doleat, agatq; pro viribus, vt iuxta

juxta Eccleſiæ inſtituta à peccatis abſoluatur & expediatur?

SAP. Iam tum non eſt peccatis illis obnoxius.

MIN. Quantum equidem ſapio mi Domine, in his quæ difficillimè præſtari queant in hac vita, etiam illud numerãdum eſt, vt ſe quis tibi dignè præparet. Et quis tandem ille eſt Domine, qui id facere poſſit?

SAP. Non eſt quiſquam vnquam editus in hanc lucem, qui id potuerit. Nam etiamſi quis omnium ſit angelorum naturali puritate præditus, ſanctorum omnium integritate ac ſanctimonia conſpicuus, & Mortalium omnium bonis operibus ornatus, nec ſic tamen me percipere in Sacramento dignus foret.

Sacramenti acceptio ſeu acceſſio digna quàm ſit difficilis.

MIN. Si ita ſe res habet, pie IESV, quanto cũ tremore nobis accedendum eſt, qui omnis ſeruoris & gratiæ expertes ſumus?

SAP. Cum facit homo quod poteſt, nihil ab eo vltrà exigitur, ſiquidem id quòd illi deeſt, ſupplet DEVS. Morbidus quiuis debet trepidationem & cunctationem omnem abijcere, & periti Medici obtemperare conſilijs, donec reualeſcat.

Acceſſio ſiue acceptio quæ quam tutior.

MIN. Sed vtrùm mi Domine præſtabilius eſt, crebrò an rarò te in ſacramento accipere?

SAP. Quiſquis ſentit gratiam & deuotionem ſibi accreſcere ex eius ſumptione, illi expedit ſæpe accedere.

MIN. Quid ſi quis neque proficere, neque deficere inde ſibi videatur, aut crebrò etiam multa ſe ariditate & ſterilitate animi affectum ſentiat?

SAP. Modò faciat quod in se est, non debet immodicè hac ariditate vel duritia perturbari: quandoquidem salus animæ Dei permissu quadam mentis siccitate vel duritia laborantis, in ipsius puræ fidei lumine sæpè non minus præclare ac excellenter perficitur, quam in ingenti suauitate. Ego eiusmodi bonũ sum, quod fruendo augescit, parce vtendo euanescit ac minuitur. Præstat igitur ex amore accedere ad venerabile Sacramentum, quàm ex timore abstinere. Satiùs est, qualibet hebdomada semel id percipere cum profunda ac vera cordis humilitate, quàm non nisi semel in anno cum sua iustitiæ præsumptione ac mentis elatione.

MIN. Quonam tempore sacramenti gratia in homine operatur ac influit?

SAP. Eoipso momento, quo id accipit. MIN. Sed quid, si quis immenso quodam te in venerabili Sacramento corporaliter præsentem capiendi desiderio teneatur, & tamen tui copiam habere non possit?

Acceptio quę quam sit diuersa.

SAP. Multi etiamsi me non accipiant, tamẽ me abundè exatiantur: plures contrà, quamuis ex altari me sumant, famelici recedunt. Illi quidem solùm sacramentaliter me percipiũt, illi verò spiritaliter.

MIN. Habéntne ergò plùs aliquid commodi ac emolumenti, qui te sacramẽtaliter simul & spiritaliter recipiunt, præ illis qui te spiritaliter duntaxat sumunt?

SAP. Dic, quæso, quem tu feliciorem antumas, illumne qui & me & gratia mea perfruatur, an qui sola gratia mea afficiatur?

MIN. Non est hic difficilis responsio. Sed vnum

num illud, oro mi Domine, paucis expedias, quamdiù videlicet corporali præsentia perseueres in eo qui te susceperit. SAP. Tantisper dum Sacramenti species permanet.

Oratio dicenda communicaturo.

CAPVT XXIV.

O Fructus vitalis, ô liquor suauissime, ô paradise amœnissime, ô malũ pulcherrimũ semper florigeri cordis Paterni, ô botre Cypri mellitissime in vineis Engaddi, quis præstet mihi ea te hodie puritate ac reuerẽtia suscipere, vt ad me venire te delectet, mecumq; cõmorari, nec vnquam à me discedere? Ea bonũ infinitum ac inexhaustum, cælũ terramq; adimplens, inclina te hodie pro tua benignitate misero mihi, nec despicias indignam creaturã tuam. Etsi te dignus nõ sum Domine, at tuî vehementer indignus sum. Nonne tu ille es pijssime IESV, qui cælum ac terram verbo produxisti? Ita poteris procul dubio etiam animam meam vnico sanare verbo. Fac mihi dulcissime Iesu non pro meritis meis, sed pro tua inexhausta misericordia. Tu nimirũ es innocentissimus ille agnus Paschalis, qui hodieque pro salute omnium immolaris. O Manna dulcissimum, omnem habens saporis suauitatem pro cuiusque desiderio, recrea hodie ac suauiter affice aridum animæ meæ palatum: ciba & pota, confirma, corrobora & orna eã, ac amãter illi cõiungere & vnire. Veni, obsecro, æterna Sapientia tam potenter hodiè in animam meam,

Cant. 1.

Matth 8.

Sap. 16.

meam, vt cunctos profliges hostes meos, cuncta vitia & defectus consumas, & peccata mea omnia remittas, illustra intellectum meũ lumine veræ fidei: inflamma voluntatem meam dulcissimo amore tuo: serena memoriam meam iucundissima præsentia tua atque cunctis viribus meis virtutes & perfectionem tribue. Serua ac tuere me in extrema mortis hora, vt te palam & perspicuè perfrui merear in beatitudine & gloria sempiterna, Amen.

Vt DEVM perpetim medullitùs laudare debeamus.

CAPVT XXV.

Psal. 140. *LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.* Ecquis Deus meus æstuanti præstabit cordi meo, vt ante obitum voto potiatur suo, possitq; explere desiderium suum te laudando? Quis mihi tribuet, vt in vita mea dignis veham laudibus Dominum Maiestatis, quem vnicè amat anima mea? vtinam DEVS meus ex corde meo tot proficiscerentur ac resonarent suauissimæ tuæ laudis melodiæ, quot vnquam musica concrepuêre instrumenta, & quot sunt graminum herbulæ, atque eædem omnes in cælestem vsque aulam, tuæ Maiestatis palatium tenderent, & in tui conspectum penetrarent, tamque inaudita priùs & iucunda tui laus ex meo prorumperet pectore, vt tuis eaoculis esset gratissima, & totam cælestium ciuiũ frequentiam exhilararet. Indignus quidem sum Domine, qui te laudem, at nihilo secius vehe-

vehemẽter appetit anima mea, vt te prædicet, teque laude afficiat cælum ipsum, cùm præcipuo ornatum decore, ex radijs Solis & micantium ac innumerabilium splendore stellarum summa refulget ac nitet claritudine: itemque campi aprici, cùm omnigenis referti floribus æstate vernantissima, pro sua naturali præstãtia ac vigore gratissimã præ se ferunt amœnitatem: Atque insuper etiam quæuis tibi placitæ ac piæ cogitationes, & flagrantia desideria, quibus vnquam te prosequuta est quæpiam tuî amans & munda anima, quando spirituali illucescentis ac irradiantis spiritûs tui circũplexa fuit iucunditate ac æstiua serenitate. Certè quoties tam sublimis laudis tuæ mihi subit cogitatio, possem mi Domine totus animo colliquescere, siquidem cogitationibus destituor, verba mihi deficiunt, & omnis sum modi expers. Lucet namque & resplendet quippiam in corde meo, quod nemo possit verbis exprimere, quum te laudare instituo: qui es bonum prorsus modinescium. Nam si vel ad præclarissimas ac elegantissimas me creaturas conferam, si summos spiritus & purissimas substantias considerem, hæc omnia ineffabiliter excedis. Quod si in abyssum ipsam me recipiam ingenitæ ac inexhaustæ bonitatis tuæ, ibi planè deficit laus omnis præ sui exilitate. Quoties vitas rerum pulchrarum ac delectabilium species conspicio, videntur mihi huiusmodi vocibus compellare cor meum: Pensita quantum ille amabilis, quam formosus sit, qui condit nos, qui est totius pulchritudinis fons. Cum cælum & Mundum vniuersum, itemq; abyssos, syluas

ſyluas & campos, montes & valles animo p
luſtro, cuncta hæc contentiſſimis ineffab
laudis tuæ reſonant vocibus, ijſque meas p
cellunt aures. Sic ſi contemplari velim, qu
decorè, quàm concinnè, quàm ordinatè om
tum bona, tum mala diſponas ac moderer
penitùs hîc obmuteſco, nulla, quibus te præ
cem, verba reperiés. Atqui ſi mecum reput
te tam pręcipuum, ac omni laude digniſſim
bonum, animam meam ſibi vnicè chari atq
amantiſſimi loco amici delegiſſe, iam reu
poſſit præ tuî laude crepare cor meum. Att
tis ergo mi Domine intimis hiſce cordis & an
mæ meæ votis ac deſiderijs, doce me laudib
te afficere, teq́ prædicare: doce me, inquam, d
gnis te celebrare præconijs, antequam hinc
migrem. Id enim comprimis ſitit & ardet an
ma mea.

SAP. Vellesne me laude proſequi?

MIN. Quid me prouocas mi Domine? T
tamen perſpecta habes corda omnia, ſatisq
nôſti totum facilè immutari ac extra ſeſe ra
poſſe cor meum præ flagranti te laudandi de
derio, quo ab ipſis penè incunabulis ſemper af
fectus fui.

Quî vel ranæ Deum laudent.

SAP. Atqui rectos & iuſtos decet meî lau
datio. MIN. Sed mea iuſtitia omnis pijſſime le
ſu, in tua conſiſtit miſericordia infinita. Et ta
men te laudant Ranæ in paludibus, & licèt ca
nere nequeant, at coaxant more ſuo. Scio Do
mine, planeq́ agnoſco, quiſnam ego ſim: fateor
iure me ob malefacta mea fugere potius, quàm
laudibus euehere te debere: ſed quæſo te mi
Domine, qui bonum es immenſum ac infini
tum

tum, noli despicere in me extremæ vilitatis vermiculo, te laudandi desiderium. Quamuis enim te laudent Cherubim ac Seraphim, ac innumera cælestium spirituum frequentia pro omni virium suarum facultate, ecquid tamen sine te ampliùs possunt erga immensam necvllis vnquam laudibus dignè celebrandam Maiestatem ac dignitatem tuam, quàm vel vltima creatura? Nulla tu quidem, mi Domine, creatura indiges: sed tanto amplius eluceſcit immensitas bonitatis tuæ, quanto te magis etiam minùs benè de te meritis præbes, atque ab illis etiam laudari non dedignaris.

SAP. Quisquis me putat pro dignitate se posse laudare, non nisi ventum insequi & vmbram amplecti molitur. At nihilo seciùs tum tibi, tum ceteris creaturis omnibus permissum est me totis viribus laude prosequi ac celebrare. Neque enim vlla vnquam extitit creatura, neq; tam grandis, neq; tam pusilla, nec ita bona vel mala & vilis, quę non & ipsa me laudet, aut testetur laude dignum: atque eadem ipsa quo mihi est arctius ac propiùs vnita, eo illi sum laudabilior. Ita etiam tua laus quanto magis accedit & consimilior est laudibus cælestis patriæ, tanto me dignius extollit. Est autem tanto similior laudibus supernis, quanto est à rerum creatarũ simulachris expeditior ac repurgatior, mihiq; per veram animi deuotionem ac pietatem coniunctior. Gratiùs proculdubiò meis in auribus resonat pia cordis meditatio, quàm laus solis expressa labijs absq; cordis deuotione & attẽtione: magisq; placet intim⁹ cordis gemitus, quã alt⁹ & incõditus oris clamor.

Deniq;

Deus quo pacto à nobis possit laudibus extolli dignius.

Quæ laus Deo acceptior.

Contemptus quis quanti sit apud Deũ.

Denique humilis suî abiectio & contemp
nedum infra Deum, sed etiam mortales om
adeò vt nolit quicquam esse, aut aliquo in
cio haberi, omnes apud me quantumuis so
ras ac tinnulas voces ac melodias superat. E
ipse cum in terris degerem, tum vel maxi
Deum Patrem laude affeci, quando in cruce
formissimus, & iam iamq; moriturus pepo
di. Sunt qui me pulchris laudent verbis, &
Matth. 15. Isa. 29. bijs honorent, sed cor eorum longè est à m
quorum laudem equidem paruipendo. Alij
tis alacriter me laudant, rebus ad ipsorum v
luntatem fluentibus: at si fortuna reflauer
ventisq; cœperint frangi contrarijs, laus i
A laude Dei qui quando deficiant: & quæ laus digna grataque sit Deo. quoq; tepescit ac deficit. Quod vtiq; mihi no
potest non displicere. Ea igitur digna laus
meisq; grata conspectibus, vt me corde, verb
& factis non minus deuotè ac studiosè laude
in aduersis, vt in prosperis: in tristibus ac inc
cundis, vt in gratissimis maximeq; optatis re
bus. Ita enim reipsa declarabis, quod me pot
quam teipsum spectes.

MIN. Nullam mi Domine abs te crucem v
afflictionem petere audeo: daboq; operam, n
dignus sim affligi. At nihilominus meipsum
pro cordis mei desiderio funditus permitto a
resigno in tui æternam laudem. Neque enim
vnquam me meis viribus verè & integrè re
Vera perfectio hominis resignatio. gnare potui. Si ergo permittere tibi visum eri
vt Mortalium omnium abiectissimus & dessp
ctissimus ego sim, id tua fretus gratia tuî ame
re libens perferam in laudem tuî. Totum me
hodie pijssime IESV dedo ac resigno gratiæ &
misericordiæ tuæ: cuius auxilio haud grauatè

tulero

tulero ad tuî præconium, immaniſſimũ, quod vnquam perpetratum ſit, in me homicidium conferri, atque à cunctis me adſpectantibus faciem meam conſpui, modò tamen apud te innoxius ſim aut etiam ſi fortaſſe reus fuero, patiar nihilominus in laudem æquiſſimæ iuſtitiæ tuæ, cuius me honor longè ſuauiùs afficit, multoq; mihi charior & antiquior eſt, quàm honor proprius: atque etiam ad quemlibet mei cõtemptum peculiari te laude efferam, dicamque cum latrone tecum crucifixo: Ego mi Domine ſatis iuſtè hæc patior, tu verò nihil mali geſſiſti: *Domine, memento mei in regno tuo,* Itidem mi Domine, ſi me hocipſo momento auferre velles ex hac vita, cederetq; in honorem & laudem tuî, nec ſemel quidem reſpicere vellem: optarem autem, vt ſi alioquî ad Mathuſalem longæuam fuiſſem peruenturus ætatem vt tam prolixi temporis anni ſinguli, & tot annorum quælibet hebdomada, atque tot hebdomadarũ dies ſinguli, & dierum illorum quælibet hora, horarumque momenta ſingula tam iucunda & perfecta meo nomine te laude celebrarent, quã vllus vnquam ſanctus te celebrauerit ſiue laudauerit in veris illis ſplendoribus ſanctorum, idq; tam innumeris vicibus, quot atomi in radijs ſolaribus volitant, vt vel ſic pium meum ſupplerent ac perficerent deſiderium, perindè ac ſi ego ipſe id eſſem executus in hac vita temporaria. Id verò omninò ex me permiſſum tibi ſit Domine, vt me vel breui, vel poſt longa annorum curricula tollas è medio. Hoc namque mihi in votis eſt. Plus aliquid dicere non verebor. Etiamſi hac hora eſſet diſcedendum

Luc. 23.

Gen. 5.

Pſal. 109.

è corpore, atque in tuî vergeret laudem, vi
nis quinquaginta flammis Purgatorijs cru
rer, illicò me in tuî venerationem sub pede
os abijcerem, animoque libenti in honor
tuî illas pœnas exciperem, diceremqúe: Be
dictus ignis ille expiatorius, in quo tui lau
me perficitur. Non ego mi Domine, sed tu
tu inquam, es illud ipsum, quod specto, q
volo, quod diligo, quod aucupor & quæro.
mnia mi Domine explorata & cognita hab
& corda nosti omnium: tu probè scis & in
ligis ita me affectum esse, quamuis certus esse
semper me apud inferos infimo loco cruci
dum, licet vehementissimè affligeret me in
dissimæ contemplationis tuæ priuatio, qu
nihil propterea tuæ laudis subtraherē aut
termitterem, immò si modo possem, libe
cunctorum hominum malè transacta temp
ra reuocarem, errata pœnitendo castigarem,
pro illis satisfacerem, omnemq; vnquam t
irrogatam iniuriam te laudando & venera
do expiarem & sarcirem. Adeoque si possib
foret, ex ipsa inferorum abysso præclarissim
tuî laus ex me proficiscens, per tartarum, p
terram, per aëra, per cælos omnes penetrare
donec ad tuum vsque conspectum pertingere
Psalm 6. Sed quia non potest quisquam in inferno co
fiteri tibi, saltem interim in terris tanto fe
uentius & instantius te laudarem. Fac mecu
pijssime Domine, qui extremę vilitatis creatu
ra tua sum, quod fit ad præcipuam tuî laudem
Vtcunque enim mihi eueniat, laudabo te Do
minum meum in vita mea, donec vel vltimu
in me hęserit spiritus: cumque lingua & voc
defec

defecerit, volo vt vel digiti motus siue extensio sit confirmatio quædam & clausula laudis omnis, quam vnquã ipse tibi deprompserim: ac deinde carne in puluerem resoluta, opto ex singulis puluisculis flagrantissima tuî laus prorumpat ac peruadat per saxa, per rupes, per tegulos omnes in tuî vsque conspectum, idq; ad extremi vsq; iudicij diem, quando corpus & anima rursus copulabũtur, & ad te perenniter laudandum denuò coniungentur.

SAP. In hoc desiderio ac sancto proposito constans perseuera vsque ad finem, nec dubites hanc laudem esse cumprimis gratam.

MIN. Quandoquidem à me misero laudari vis Domine, obsecro mihi paucis expedias, vtrumne laus illa, quę verbis & cantu fit, aliquid vtilitatis habeat.

Externa Dei voce laudare quale quid.

SAP. Immò verò non parùm vtilis est, maximè quatenus interiorem excitat hominem, qui ea sæpenumerò accenditur & prouocatur, præsertim in illis qui bonam vitam inchoant.

MIN. At verò mi Domine, perperuò intùs exigor, quandoquidem delectat in hac vita iam inchoare, quod in æterna semper actitandum sit, vt continuum te laudandi studium & conatum assumam & prosequar, adeò vt ne ad momentum quidem à tui laude recedam. Eiusmodi desiderio percitum atq; compulsum crebrò dixisse memini: Cur tantoperè properas cælum? quid ita cursum acceleras tuum? Siste paulisper gradum, donec vnice charum atque suauissimum Dominum meum pro cordis affectu, quantum libet, laudibus efferam. Atque

vbi mihi euenit pijſſime IESV, vt vel bre
morula à tuî laude me auertam, nec tibi in
tus ſim, dum ad me redeo, aio ad me ipſum:
heu mille præterlapſi ſunt anni, quod ne ſen
quidem dilectiſſimi Domini mei memor fu
rim. Ergo mi Domine, quatenus fieri pot
dum adhuc corpus & anima ſibi cohære
doce me qua ratione perpetuam ac ne ad
mentum quidem deficientem tuî laudem ce
brare queam.

Quomodo quis Deum perpetuò laudet.

SAP. Quiſquis me in omnibus ſpecta
intendit, ſibiq; cauet à peccatis, nauatq; virtu
bus operam, is nunquam me laudare deſi
Sed quia ſupremam laudandi rationem co
habere cognitam, dicam quod ſubtilius & p
fectius ſit. Poteſt anima ſimilis dici pluma
ui, cui ſi nihil adhæreat, naturali quadam
bilitate admodum in ſublime rapitur: ſin au
tem habeat ponderis aliquid adiunctum ſi
deorſum fertur. Eodem modo animus à vi
repurgatus & exoneratus ex ingenita ſibi nob
litate, ſpiritalium meditationum fretus adm
niculis, in cæleſtia ſubrigitur ac tollitur. Qu
do igitur animus cuiuſquam à viſibilium om
nium cupiditatibus abſoluitur, & in quadam
tranquillitate conſtituitur, ita vt tota eius in
tentio bono incommutabili continenter ac in
ſeparabiliter inhæreſcat, is me perpetuò la
dat & prædicat. In ea nanque puritate, quae
nùs poteſt verbis explicari, ſenſus humanu
adeò abſorbetur, & ex terreſtri in ſpiritalem
atque angelicam transfertur ſimilitudinem,
vt quicquid foris vel intus accipiat, quicquid
agat & operetur, ſiue bibat, ſiue comedat, ſiue
dormiat,

dormiat, siue vigilet, hæc omnia non nisi purissima quædam Dei laus sint.

MIN. dulcissima hæc est, mi Domine, institutio. Atqui supersunt adhuc alia quatuor, de quibus ex te certiùs aliquid cognoscere velim. Primum est, vndenam potissima te laudandi materia & occasio sumatur.

Materia Deũ laudandi vnde desumẽda

SAP. Præcipuam me laudandi rationem in ipso omnis boni fonte & origine, ac deindè in riuulis indè manantibus offendes.

MIN. Origo ipsa, fateor mi Domine, captũ excedit meum. Laudent te ex illa sublimes cedri Libani, cælestes videlicet & Angelicæ mentes. Attamen etiam ego ceu horridus & asper tribulus cum tuî laude coram illis procedam in medium, vti ex complexione desiderij mei, quod tamen reipsa explere non possim, præcelsæ dignitatis suæ admonitæ, in serenissima claritate sua prouocentur eò magis ad depromendas ac celebrandas attentissime laudes tuas: quemadmodum cuculus lusciniam excitat, ansamque illi præbet dulcissimè canendi. Atqui riui seu effluxus bonitatis tuæ debent à me summoperè laudari. Nam si mecum commemorare velim, quis fuerim, à quibus malis & quam crebrò me seruaueris, quibus timoribus, laqueis, vinculis, tendiculis me absolueris mirum profectò est, si nõ totus animus in tuî laude colliquescat. O quandiù me expectâsti Deus meus, quàm benignè reuertentem suscepisti, quàm suauiter me sæpenumerò, licèt occultè, præueniisti, inuis admonuisti. Et licet ingratissimum in his sæpè me præbuerim, non tamen destitisti, donec me ad te reduceres. Num pro

Quanta homini beneficia à Deo præstita.

his igitur iure meritoque te non laudabo? Imò sanè benignissime Domine opto aueoq; horum gratia eiusmodi luculenta ac fitibun ex me laus tibi fit, atq; in tui conspectum em gat ac perferatur, qualis fuit Angelicorum s rituum, cum primùm aduertere cœperunt quidem in tua gratia confirmatos, alios ve reiectos: qualis item est animarum miserar quando ex horrido Purgatorij carcere emiss atq; in tui conspectum admissæ, serenissima faciem tuam primum contemplantur: quali denique erit tibi; agetur in vicis ac plateis cæ stis Ierusalem post vltimi iudicij sententiam quando electi à reprobis æterna securitate di iungentur. Aliud quod mi Domine scire cupio est, vt quaslibet bonas naturę affectiones in æternam possim referre laudem.

Naturæ affectiones bonæ qualiter in Dei laudem referendæ.

SAP. Quandoquidem in hac vita temporaria nemo potest humana arte vel scientia naturam à gratia propriè ac penitùs discernere, dijudicare, ac internoscere, eamobrem siue naturæ sit, siue gratiæ, quandocunque iucundum aliquid & plausibile, quodque hilaritate quadam vel dulcedine te afficiat, in spiritu vel corpore senseris, eueſtigio intrò te recipiens, in Deum illud referas ac transfundas, orans vt in illius laude consumatur. Ipse namque & naturæ & gratiæ Dominus est. Hoc pacto natura fiet tibi supra naturam, & in gratiam mutabitur.

MIN. Tertium, mi Domine, quod nôsse cupiam, est, vt malignorum spirituum impias suggestiones in tui laudem sempiternam trahere ac transferre debeam.

SAP.

SAP. Vbi quid illi animo ingesserint impiũ ac blasphemum, ita dicito: Quoties pie Domine teter hic spiritus aut alij quiuis ex eorum numero eiusmodi nefarias ac execrandas cogitationes mihi inuito insusurrauerint, toties deliberato animo iucundissima ac flagrantissima tibi ex me loco illorum laus exhibita sit in æuum sempiternum, qua pestilentes ij spiritus te affecissent perenniter, si perstitissent in gratia: VT vel sic per me sarciatur, quod illi abiecti & reprobi spiritus de tui laude detraxerunt. Malarum cogitationum occasione quî Deus laudandus.

MIN. Planè iam perspicio Domine Iesu, diligẽtibus DEVM omnia cooperari in bonum, quando etiam teterrimæ dæmonum tentationes hac ratione eis cedunt in bonum. Sed nunc quartum etiam, quod discere aueo, paucis absoluas mi Domine, quinam ex cunctis visis & auditis tuî laudem elicere queam. Rom. 8.

SAP. Quandocunque grandem aliquã frequentiam vel cœtum, itemq; plures insigni forma vel elegãtia prædítos conspexeris, dic totis animi visceribus: Tam crebro mi Domine, tãque decorè & eleganter millia millium cælestium agminum tibi ministrantium, te hodie salutent meo nomine totiesq; te mea vice decies millies centena millia tibi assistentium te laudent & glorificent, atq; sanctorum omnium vota tibi per me cupiant ac suspirent, creaturarum demq; omnium pulcherrima harmonia & mirificus decor, meo loco te tot vicibus venerentur & honorent. Qualiter audita omnia, Visaque in Dei laudem transferenda Dan 7.

MIN. Papæ quantoperè mi Domine animum exhilarâsti ac dilatâsti meum laude tua?

Laus isthæc temporaria cor animamq; mea ad perennes nunquamque desituras tuî laudes excitauit, admonuit ac prouocauit. Sed quando præclarissima Sapientia Iesu pijssime, serenus ille illucescet dies, & optatissima existet hora, qua perfectè præparatus, ex hoc miserabili exilio proficiscar ad te dulcissimum Dominum meũ, tuî contẽplatione iucũdissima perenniter fruiturus, teque laudaturus in æuum? Certè Domine magno crucior desiderio, atque anxie adspiro & inhio tibi vnico cordis mei gaudio.

Psal. 41. & 114. O quando ad te perueniam? Eheu, quam longa intercedit mora? quam nimis differtur, procrastinatur tempus illud, quo cordis mei præcipuam ac summam voluptatem facie ad faciem contuear, eaque pro cordis desiderio quantumlibet, perfruar. O exilium, quam miserum es & calamitosum ijs, qui se reuerà exules gerunt. Pauci quidem in terris degunt tam Domine, qui non habeant aliquẽ cui studeant, quem spectent & diligant, quique non aliquo nitantur adminiculo, in quo interdum vel parum acquiescant. Atqui ô vnica cordis mei lætitia Iesu pijssime, quem spectat, inquirit & appetit anima mea, satis superq; perspectum habes, me tibi vni esse derelictum. Quicquid enim vel auribus, vel oculis occurrit meis, in quo te non reperiam, non mediocriter me cruciat & affligit. Mortalium omnium præsentia, nisi tua causa, molesta & peracerba mihi est. Quidigitur in hoc me exilio degentem exhilarabit, aut quo interim animum solabor meum?

Exiliũ quod quibus miserrimum.

SAP. Sæpiùs in hoc amœnissimo feruentis ac deuotæ laudis meæ pomario deambulabis ac ex-

ac expatiaberis. Nullum enim verius ac certius est sempiternæ beatitudinis præludium, quam Deum in hac vita fidenti ac hilari laudare animo. Nihil æquè hominis mentem illustrat, nihil afflictiones & cruces adeò mitigat & relevat, nihil perindè tetros dispellit spiritus, nihil ita animi tristitiam & molestias abstergit ac abigit, vt iucunda laus DEI. Huic quisquis sedulus incumbit, illi DEVS propè adest, angelise ei familiares exhibent, sibijpsi cumprimis vtilis est, proximos ædificat, animas in pœnas detentas gaudio afficit, denique totam cælestis patriæ frequentiam alacri ac strenua DEI laude honorat.

Aeternæ beatitudinis præludium certiss. quod.

Laus Dei quæ quam sit vtilis.

MIN. Dulcissime Iesu opto ex animo, vt cũ oculos manè primùm patefacio, simul etiam cor sese meum aperiat, atque ex ipso flagrantissima ac amantissima laudis tuæ flamma emergat, sursumq; feratur cum feruentissimo amore cordis, te præ cunctis hominibus etiamnum in terra agentibus præcipuè diligentis, & cum ardentissima supremi Seraphici spiritus te in beata æternitate sine fine amandis dilectione, atque cum illa denique inexhausta ac immensa charitate, qua pater cælestis te vnicum eumque charissimum complectitur filium suum per amorem suauissimum Spiritus sancti ex patre & filio procedentis. Simul etiam desidero, vt ea laus tam dulcib⁹ ac tinnulis resonet modulis in paterno corde tuo, vt pro sua ratione vlla vnquam quamuis excellentiũ instrumentorum musicorum harmonia dulcissima in cuiuslibet hominis bene affecti ac animati pectore percrebuerit. Peto etiam, vt cum hac ea-

dem amoris flamma tam suauis erumpat laudis tuæ odor & fragrantia, quam possit esse lectissimorum ac potissimorum aromatum herbarum, & virtutum omnium non quarumlibet, sed quæ omnes suos numeros habeant, & perfectissimæ sint, si eadem in puluere redacta mittantur in ignem suffitús excitans gratia. Denique etiam hoc cupio & desidero vt huius laudis adspectus tam sit jucundus & amœnus per gratiam, vt nullius vnquam quàtumuis vernantis & floridi Maij amœnitas illi possit æquiparari, atque ea re tum Diuinis obtutibus tuis, tum omni cælestium ciuium multitudini mirificam ingerat voluptatem optoque vt eadem amoris flamma perpetuo magna vi erumpat, sursumque tendat in cunctis precibus meis, quas ore fudero, in cantu etiam vel psalmodia, in meditationibus, verbis & factis, adeò vt in fugam vertat omnes hostes meos, cunctos aboleat & in nihilum redigat defectus & culpas meas, gratiam impetret & veniam, sanctumque & felicem obtineat, vitæ terminum, qui sit laudis huius temporariæ finis & clausula, & initium laudis perpetuò duraturæ. Amen.

Visionis seu Reuelationis MINISTRO factæ descriptio.

CAPVT XXVI.

CVM hæc omnia iam confecta & in charta descripta essent, parùm aliquid etiá-dum absoluendum supererat ad finem capit.

capit.cuiusdam,ad Virginem Matrem pertinẽtis: vbi etiam Minister Sapientiæ certum reliquerat spatium,donec id ipsi diuinitùs præstaretur,siquidem aliquam multis tum mensibus ea illi gratia subtracta fuerat, vt non posset quod reliquum manserat,perficere. Adijt ergò precibus Virginem Matrem, petens vt illa Operi finem imponeret. Ipsa autem D. Dominici nocte,expletis de illo Nocturnis Psalmodijs & Precibus,quas MATVTINAS vocant, visus est sibi in spiritu esse in cubiculo quodam: vbi cum sederet, vidit iuuenem forma egregiũ ad se intrantem cum insigni cithara, aliosq; illum comitantes quatuor cum singulis buccinis. Accessit autem primus ille, iuxtaque Fratrem residens, cœpit pulsare citharam & dulcissimos excitare sonos. Mulcebant ij mirificè Fratris aures,aitque ad adolescentem citharædum. Ecquando ad nostras, vbi ipse moror, venturus es ædes, vt mihi nonnunquam hoc ludi genere animum erigas? Tum ille percontabatur ex Fratre,haberétne adhuc id exercitij, quo diù vsus esset. Quod cum ille affirmaret, respondit iuuenis,eum sanè molestum & asperum esse lusum. Moxque versus ad alios quatuor Adolescentes, iussit eos buccinis canere. Atqui vno ex illis respondente,satis esse si duo canerent: ille contra institit, vt simul omnes buccinas inflarent: indicauitq; eis certum quẽdam canendi modum,ipsi quidem probè cognitum,sed Fratri prorsus incompertum. Canebant igitur omnes. Interim prę mira celeritate nullos Frater percepit sonos musicos,sed Adolescentes vidit habere præ manibus imaginem

longè

longè speciosissimam beatissimæ Matris Dei in pãno acu pictam: eiusque imaginis pallium intrinsecus plane rubicundum ac purpureum erat, vario ac peregrino opere intextum, cuiusmodi barbaricarij conficiunt, adspectu reuera amœnissimum: spatium verò à Fratre relictum instar niuis candidum erat. Vehemens igitur fratrem illum cœpit admiratio, eoque visu delectabatur, attentè considerans num opus absoluerent. Primò igitur spatium complere aggressi sunt, dicebantq; Fratri: En vt increscit. Atque ecce vidit eos imaginem penitus absoluere. Vnus autem ex eis acum cum filo accipiés, in fronte pallij transuersim duxit duas lineas flexuosas miro artificio, oculos ingenti voluptate afficientes, ipsamq; sacratissimæ Virginis imaginem mirificè ornantes. Inter hæc ad sese rediens, planè intellexit, nec quicquam ambigere voluit, collatum illi esse, vt vacuum illud spatium ac spiritalem imaginem perficeret, quod tam longa intercedẽte mora denegatum illi fuerat. Ita enim assuetus erat, vt alia quæque præcedentia ferè ad eundem aut consimilem ipsi modum diuinitus reuelarentur. Deinde facto mane, extremam Operi manum imposuit.

Ratio eorum, quæ in hac Dialogo tractantur.

CAPVT XXVII.

QVIDAM instituti siue ordinis Dominicani, quodam tempore post nocturnas

Preces

Preces coram imagine Crucifixi medullitùs conquerebatur Domino, quod illius passionē non sine magna acerbitate & tædio mente pertractare posset. Nanq; ad id vsq; temporis non parum hoc morbo laborauerat. Sub hac autem pia querimonia præter morem extra sese raptus est, perspicueq; fulgoris instar lux quædam illum irradians, huiusmodi admonitione instituit: Centies quotidie humum exosculaberis, & ad singulas deosculationes peculiaribus vtere Meditationibus Passionis meæ, & ad ipsas meditationes habebis adiunctas Preces seu adspirationes certas: itemq; quaslibet perpessiones meas spiritaliter tuo affiges animo, paratus easdem mea causa sustinere, atque in ijsdem me imitari, quatenus tua feret facultas. Hoc illustratus lumine, cùm numerare vellet iam dictas Meditationes, non nisi nonaginta reperit. Itaque has ad Dominum Preces fudit: Pijssime DEVS, centum te Meditationes expresisse scio, nec tamen nisi XC. se mihi offerũt. Tum illa aliæ decem declaratæ sunt, quas iam ante in domo (vt vocant) Capitulari absoluerat, priusquam pro sua consuetudine miserabilem Domini IESV ad Caluariæ montem egressionem quadam similitudine celebrasset, & sub eandem Crucifixi imaginem peruenisset. Tumverò perspicuè animaduertit, centum has Meditationes Christi passionem & mortem acerbissimam ab initio ad finem vsque perquã commode complecti. Vbi igitur in his ita vt erat doctus, sese excitare cœpit, prior durities versa illi est in gratissimam suauitatem. Optabat autem, vt si quis alius eãdem fortassis erga Domini-

Modus meditandi non inutilis.

Dominicæ Passionis, in qua tota hominis lus consistit, per Meditationem in se amarn dinem ac sterilitatem experiretur, ipse quoq remedium acciperet, sese in ijsdem exercen Meditationibus, nec desistendo, donec sum gratia potiretur. Atque hac ex causa Medita ones illas inscripta redegit sermone vulg siue Germanico, quo etiam illi diuinitus era reuelatæ. Postmodum multiplices ac luculen tæ præstabantur ei Diuinæ veritatis adspira tiones & influxus, quorum ea illi occasio fu re: cœpitque familiariter & amanter cum aeterna Sapientia colloqui. Neque id tamen col loquio quodam corporeo, siue per responsio nes imaginarias fiebat: sed meditando in lumi ne Diuinarum Scripturarum, quarum vota prorsus fallere non norunt: ita vt responsa hu iusmodi aut ex ipsius æternæ Sapientiæ in Evangelio loquentis ore, aut ex præcipuis Eccle siæ Doctoribus extracta sint, vbi vel eisdem verbis, vel eodem sensu loquuti sunt, aut eiusmodi aliquam expressere sententiam veritati consentientem, quæ nihil à Diuinorum sensu vel mente Scriptorum, quorum ore locuta est æterna Sapientia, discordet. Quæ autem superius commemoratæ sunt visiones, non contigêre modo corporeo, sed solummodò ex pressæ quædam sunt similitudines. Porrò re sponsiones illas de planctu gloriosæ Virginis, partim ex sensu dictorum Diui Bernardi mutuatus est, quas etiam ea de causa in Dialogum inclusit, vt sit earum lectio plausibilior, non quo ipse earum præcipuus sit author, aut suo marte eas confecerit, sed vt sit omnibus

Quale fuerit colloquium Ministri cum æterna Sapientia.

Visiones iam dictæ vt contigerint.

quæ-

quædam generalis propoſita inſtitutio, vnde & ipſe & cæteri omnes, pro ſe quiſque quod cuique ſit accommodum, hauriat. Facit nimirùm ita vt deceat eum qui alios docere velit. Omnium perſonam induit, modò peccatoris, aliàs perfecti & iuſti hominis verbis vtitur, nõnunquam animæ DEVM amantis ſpeciem præ ſe fert, prout materiæ ratio poſcere videtur: in his omnibus Miniſtri cum æterna Sapientia colloquentis nomen vſurpans. Pleraque omnia ad virtutes ſpectant, multa etiam in doctrinæ forma proponuntur, ex quibus Lector ſtudioſus pie precandi materiam ſibi conficere debebit. Senſa quidem huius libri ſimplicia ſunt, verba ipſa ſimpliciora: vtpote quæ ex anima ſimplici profecta ſunt, & rudibus ac ſimplicibus elaborata, qui necdum vitijs omninò mortui ſint. Accidit autem poſteaquam idem Frater triplex illud argumentum ſeu triplicem materiam, puta de paſſione CHRISTI, & reliqua omnia ſcribere inchoâret, atq; ad id vſq; loci peruenerat, vbi de cordis compunctione fit ſermo in hunc modum: Agè nunc anima mea, &c. vt nonnihil hæreret ac diſtineretur. Cęterùm die quadam media in ſuam ſe ſedem reponens, ac leuiter obdormiẽs, dilucidè ſibi videre viſus eſt duos quoſdã culpabiles coram ipſo aſſidere monachos, eoſq; ſe durius obiurgare, quod illic ocioſi ſine aliqua exercitatione deſiderent. Significatum eſt autẽ illi, vt filum per acum ipſi in manus datã, traheret. Idem autẽ filũ triplex erat, cuius duo linamenta perexigua erãt, tertiũ paulo craſſius, Cũq; hęc tria ſimul cõtorquere vellet, res incõmodè

Alia viſio Miniſtri.

Vidit Ieſum ſibi aſtantem

modè cedebat. Atque ad dexteram sibi ad
vidit Dominum Iesum tanquam à colu
solutum, adeoq; benigno & paterno adspe
vt ipsum crederet suum fortassis esse genito
Animaduertit autem corpus eius naturale
admodum præ se ferre colorem, non planè
didum, sed ex albo & rubicundo benè temp
ratum, qui est color præcipuè naturalis: ide
que corpus eius totum vulneribus sanguin
lentis & recentibus confectum: alijs quide
rotundis, alijs angulosis, quibusdam oblon
valde, ita vt flagellis attrectatus fuisset. Atq
hunc in modum tam amicabili specie cora
ipso assistente Domino, eamq; suauiter adsp
ctante, leuatas ille manus suas sursum deors
duxit & admonuit ad cruentas plagas ea
moxq; ante dicta linamenta celerrimè com
xit. Hinc verò id illi datũ est intelligere, quo
cœptum posset & deberet absoluere opus, D
umque purpureo suo vestimento ex ipsius vu
neribus eleganter effecto eos omnes cum per
ni decore circumdaturum, qui suas Horas
ijsdem modò transigant & expendant. Obiter
hîc admonendus est Lector, vt meminerit, quo
admodum permultum intereſt, si quis suis au
ribus suauem alicuius instrumenti Musici co
centum hauriat, atque si aliorum duntaxat re
latu percipiat: ita etiam longè distare ea verba
quæ in mera gratia suscipiantur, atque ex viuo
do corde manantia viua voce exprimantur, a
illisipsis verbis in membrana exaratis, præse
tim Germanico idiomate. Eoipso nanque pe
nè tepescunt ac flaccescunt, perindè vt rosa
suo frutice detractæ. Amittunt enim ferme
gratiam

Visio præcedens quid designârit.

Admonitio.

gratiam & voluptatem suam, corda hominum potissimum afficientem ac permouentem: sicque velut arida frigidis cordibus excipiuntur. Nulla sanè vnquam chorda adeò fuit tinnula aut suauis, quæ non gratiam perdiderit suam ducta per lignum torridum. Linguam iucundam & hilarem cor amoris expers non magis capit, quam Germanus Gallum. Eam ob rem studiosus Lector dulcium harum Institutionum à suo fonte longiùs abductos riuulos persequatur, vt in sua eos discat contemplari origine, vbi vitales ac mirum in modum elegantes fuêre, in ipso videlicet præsentis gratiæ influxu, qui etiam extincta potuisset animare pectora: Et quisquis hac ratione scripta hæc erit intuitus, vix ea perlegere poterit, quin animo medullitùs permoueatur siue ad amorem feruentem, siue ad nouam lucem, siue ad Dei anhelum desiderium, siue ad peccati detestationem & nauseam, siue denique ad aliquam spiritalem appetitionem vel desiderium, per quæ anima in gratia renouatur.

(:)

D. HENRICI SVSONIS CONCIONES ALIQVOT: COMPENDIO COMPLECTENTES, QVICQVID AD benè beateque viuendum possit esse conducibile.

De occultis quibusdam, ijsq; molestissimis tentationibus superandis, Sermo primus, longeq; vtilissimus.

Tentati qui quales.

LECTVLVS noster floridus. CANT. I.

Sunt qui perplexis vexentur conscientiæ scrupulis & mirè torqueantur, nec admittant remedium, nolunt consilium sequi: quiete ipso Dominum IESVM non sinunt suis in cordibus locum sibi præparare ob suam inquietudinem, quam abijcere deberent. Vult nanq; recipi Dominus Iesus in conscientia munda, diuersis virtutum floribus adspersa: idq; iustè festis. Quàm enim dissimilis est Lectus aliquis amœnus, rosis, lilijs & diuersis floribus respersus, in quo suauiter possis dormire ac requiescere, agro alicui inculto, tribulis ac spinis obsito: tam etiam dissimilis est hominis inordinati conscientia animo benè constituto. Nanque deliciæ Domini sunt, in ciuitate florida requiescere. Quod nimirùm sensit quandoq; sponsa in Canticis, cùm sponsi optatis & amorosis cupient

Vti & vbi recipi velit Dominus.

Vbi deliciæ Domini. Cant. 1.

piens amplexibus perfrui, ait dilecto suo: *Lectulus noster floridus*: ac si diceret: Thalamus noster obseratus est. Lectulus amoris nostri floridus est. Veni ergò amice optatissime. Nihil enim supereſt, nisi vt in vlnis immensi amoris tui me suauiter obdormire facias. Porrò sunt plerique, quorum conscientia non est floribus ornata, sed cor fimo ac sordibus deturpatum. Ij sunt, quorum vitia iam foras sese protulerunt, qui vanis & caducis oblectamentis ac Mundi honoribus aucupandis dediti sunt: de quibus iam dicturi non sumus. Alij sunt, quorum tentationes intus latent, quæ licet plurimæ sint, inter eas tamen tres adeò sunt molestæ & graues, vt eis vix vllæ possint comparari. Prima est inordinata tristitia. Secunda, inordinatus animi angor vel pressura. Tertia, vehemens diffidentia. Quod ad primam tentationem attinet, scire operæ precium fuerit, hominem quandoq; tanto animi mœrore deprimi, vt nihil ei libeat boni agere, sed nec possit quidē licet interim quid sibi desit ignoret, adeò vt etiamsi doloris huius causā in seipso explorare velit, neutiquam inuenire possit. Hunc mœrorem rex pijssimus Dauid sensisse videtur dum ait: *Quare tristis es anima mea, & quare cōturbas me?* Tanquam diceret certè aliquid deest tibi, licet ipsa, quid sit, ignores. *Spera in Deo, & melius habebis, quoniam adhuc* cum gaudio *confitebor illi.* Isthæc tristitia plerunque ex ipsa naturali habitudine trahit originem: atque, quod dolendum est, non paucos id quod benè cœperant, facit deserere. Nulli enim mortalium tā necessaria est inuicta animi constantia & fortitudo,

Conscientia quæ qualis.

Tentationes grauiss. tres.

I.
II.
III.

I. tentationis prosecutio.

Psalm. 42.

Tristitia inordinata vnde ducat originem.

tudo, atque illis qui cum vitijs suis confligu
atque ex ijs palmam referre decreuerunt. Ne
quid possit homo molestiæ adferre quæli
corporis aduersa valetudo, si sit animo be
constitutus, & Sancti spiritûs consolatione s
fultus? Contrà verò quid illi possit esse de
ctabile, qui perpetuò quodam animi pond
& angore contrahitur ac diuexatur? Debe
tur summo quisque eniti studio, vt ab hoc
tio liberetur. Quòd si quis quærat, qua po
ratione hoc se liberare vitio, animaduertat
emplum quod subijcimus: Quendam Sapie
tiæ Ministrum circa conuersionis eius in
mœror iste inordinatus vsqueadeò occupâra
vt nec legere, nec orare, nec quicquam bon
id temporis posset efficere. Is ergò die quadam
in cubiculo suo residens, cùm ab hoc vitio acri
ter diuexaretur, & dolore affligeretur incre
dibili, vox quædam intellectualis ad eum su
pernè lapsa est eiuscemodi: Quid hîc otiosus
resides, & in teipso contabescis? Surge, & mean
passionem pia mente commemora, mearum
acerbitate pœnarum tuum hunc superabis do
lorem. Quibus auditis, surrexit Frater ille, at
que ad Domini meditandam passionem se co
tulit. Et ex eo tempore medicina hac salutar
sanatus, eius perpetua commemoratione id a
sequutus est, vt nunquam deinceps talem sen
tiret animi ægritudinem. Altera interna ten
tatio, est inordinatus animi angor vel pressu
ra. Hoc morbo qui laborant, ratione sua de
prehendunt quippiam sibi deesse, id videlicet,
quod non satis sint iuxta Dei voluntatem con
stituti. Hoc autem vitium inde proficiscitur,
quod

Paradigma.

Passionis Dominicæ meditatio quam quo conducat.

II. tentatio interna.

quod quis magnipendit ea quæ ponderanda non sunt, atque speciatim afflictionem, quam (Deo permittente) intus patitur. Sunt autem quatuor molestissimæ afflictiones, quas cor humanum possit perpeti: quę quidem eius sunt generis, vt miseris illis, qui ijs diuexantur, nemo facilè possit adhibere fidem, nisi qui eas ipse expertus sit, aut cui id præstitum sit à DEO. Cum enim leuius sentire deberent, hoc est, vbi ad Deum sese recipiunt, tunc grauissimè torquentur, inciduntq; eis ac ingeruntur abominabiles & sceleratissimæ aduersus Deum cogitationes. Atqui afflictiones istæ non propterea graues dicuntur, quòd grande aliquod animæ detrimentum adferant, sed ob acerrimum dolorem, quo ipsam configunt. Sunt verò istæ iam dictæ tentationes, Hæsitatio circa fidem, Desperatio Diuinę Misericordiæ, Immissæ cogitationes aduersus DEVM & Sanctos eius, & Tentatio sibijpsi manus inferendi. De quibus non omnibus hîc iam mihi dicere statutum est, sed de ea duntaxat, quæ secundum locum obtinet, quæ est Desperatio Diuinæ Misericordiæ. Isthæc Desperatio ex tribus causis trahit originem, puta quòd expendere nesciant quid sit Deus, quid peccatum, & quid Contritio cordis. Nimirum Omnipotens DEVS, fons est inexhaustus infinitæ Misericordiæ, ac ingenitæ benignitatis, adeò, vt nulla vnquam, quamuis indulgentissima, parens filio suo, quem in suis gestarit visceribus, in medijs iacenti flammis tam cupidè ac promptè opitulari queat, vę DEVS homini pœnitenti, etiamsi is, modò id possibile foret, cũcta totius Mundi peccata vel

Afflictiones molestiss. quę aut quot.

IV. grauiss. tentationes.

Desperatio quæ vnde naticatur.

Pœnitenti quam propitius sit Deus.

millies quotidiè perpetrâſſet. Quid igitur tu miſeri
ſæ eſt, ô Deus benigniſſime, vt pleriquetam dum e
amabilem ſentiant? cur animæ multorum i catum
toperè exultant de te? vnde tanto ex te plen cenſen
que gaudio afficiuntur? Num id illorum inn tate ſc
centiæ tribuendum eſt? Minimè. Sed dum ſu ſtatio
attendunt culpas, & quam te verè ſint indig ferat.
perpendunt: quodque nihilominùs adeò ta cogita
Pſal.15. pſis liberaliter impartiris & exhibes, cum a crand
men bonorum noſtrorum non ſis indigus, re,nec
nimirum Domine ipſorum cordibus tam illæſi
ſuauem & grandem efficit. Nam perinde ſtiuſm
facilè eſt mille, ac vnum, talenta remittere, vel pl
innumeris peccatis mortiferis, ſicut vni, ven renix
dare. Quæ quidem benignitas & dignatio tur,
omnem vincit benignitatem ac dignationem tione
Peccatores qui quibus iuſtis apud Deum præſtent. Quamobrem neciſti vnquam tibi pro meritis nolit
gratias agere dignas poſſunt, atque inde modi
tui laude cordibus & animo colliqueſcunt quam
Bernard. Sunt ij proculdubio, vt poteſt ſcripturis con ctetiæ
firmari, maiori tibi laudi & honori, quam Spirit
peccaſſent nunquam, & interim tepidè viue occul
rent, nec tantoperè te amarent. Non enim tam illimi
attendis, vt ait D. Bernardus, quid fuerit ho poſſit
mo, quàm quid pro ſui cordis deſiderio eſſe cogit
velit. Quiſquis igitur peccatorum remiſſio inten
nem etiam tot vicibus, quot momenta ſunt lerite
Deũ pœnitẽtes momẽtis omnibus recipere. temporis, de te negare inſtituit, magno vtique ipſo,
te honore ſpoliare molitur. Peccatum nanque ratio
de cælis in terram te attraxit: te, inquam, re miſi
demptorem tam pium & amabilem, qui nos creda
momentis omnibus in gratiam recipere para Patr
tus es. Hac ratione qui, quid ſit Deus, ponderare mer
nouit, is (Dauide teſte) DE o diffidere, vel eius irru
miſe-

misericordiam desperare non potest. Secundum est, quod pensitare nesciunt, quid sit peccatum. Certè verum peccatum illud duntaxat censendum est, si quis deliberata ac certa voluntate sciens atque volens absque Ratione reluctatione à Deo se auertat, & ad iniquitatē transferat. Porrò si vel singulis momentis cuiquam cogitationes malæ incidant, eæque adeò execrandæ, vt similes nec cor humanum effingere, nec lingua effari queat, de quocunque etiam illæ sint, siue de Deo, siue de creaturis, atque iusmodi homo in hoc statu vno vel altero, vel pluribus etiam annis contra voluntatis suę renixum persistat, modò ratione eas auersetur, repellat & respuat, ita vt plena deliberatione & integra voluntate talibus consentire nolit, sed potius obluctetur, cùm natura eiusmodi patiatur, peccatum mortiferum nequaquam admittit: quod potest sacris literis & Ecclesiæ Catholicæ sententijs, per quas docet nos Spiritus sanctus, comprobari. At verò latet hîc occulta quædam pressura, quæ est reuerà tenuissimus quidam & subtilissimus funis, qui hîc possit contingere. Ea est, si cui mala ingeratur cogitatio, eiqúe cum delectatione quadam is intendat, atque suijpsius oblitus, non adeò celeriter animum inde reuocet. Putat enim hoc ipso, cum voluntatis consensu & deliberata ratione illi se intendisse, ac seipso neglecto, cōmisisse culpam mortiferam. Quod absit vt ita credamus. Est nanque multorum sanctorum Patrum concors sententia, rationem sæpenumerò importunis cogitationibus in animum irruentibus, atque etiam delectatione quadam

Peccatū quid propriè habendum.

Cogitationes malę quę quō non sint noxiæ.

Pressura quæ qualis.

Consolatoria sententia.

præueniri, idque interdum non parua mor
sed longo tempore, antequam ratio per ma
ram deliberationem suijpsius plenè compo
fiat: Tum verò ea admittere vel reijcere, pe
catum committere vel respuere posse. Qua
cum ita sit, non est cur peccati mortiferi re
se isti arbitrentur, si sanæ atque Catholicæ do
ctrinæ fidem commodare volent. Augustinu
nanque peccatum adeò dicit esse voluntarium
vt si voluntarium non sit, neq; peccatum sit. E
Doctores affirmãt, si Eua sola pomum edisse
nec hoc in scelere consensum ei præbuisset A
dam, nihil id nobis obfuturum fuisse. Eodem
modo qualescunq; cogitationes portioni sen
tiuæ ingerantur absque rationis vero fauore
consensu, peccatum mortiferum non efficiũ
Tertium quod ipsis officit, est, quod ponderare nesciunt quid sit vera cordis contritio. Est enim Contritio virtus quædam, quæ liberat hominem à peccatis eius, si sit cum discretione coniuncta. Dicit nanque D. Bernardus, indiscretam contritionem displicere DEO. Iudas Domini proditor & Cain fratricida, confessi sunt, & diffisi sunt: & ideò non defuit illis pœnitentia siue dolor, sed is fuit absque modò & inordinatus. Alter, *Peccaui*, inquit, *tradens sanguinem iustum*. Alter, *Maior est*, inquit, *iniquitas mea, quam vt veniam merear*. Sic & illi de quibus nunc agimus, sæpe inordinata quadam contritione vel dolore obnubilati, aiunt apud se: Malum est nos viuere. Cur tandem nati sumus? O si mori citius contingat: pluraq; id genus alia, quibus DEVM plerumq; grauius offendũt, quàm illis, quæ ipsi metuunt, peccatis. Quis-

Augustin.

Peccatum ex voluntate sola pendêre.

Contritio quæ qualis Bernard.

Matth. 27. Gen. 4.

Desperantiũ voces.

quis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quis ergo veram cordis optat contritionem & pœnitentiam consequi, sit in seipso humilis, peccatum auersetur, & firmam in DEVM fiduciam gerat. Hinc ipsa æterna ait Sapientia: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum: sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Certè nimium ille fatuus fuerit, qui dum vno se sentit orbatum oculo, etiam alterum ipse sibi vult excutere. Eccl. 38.

Sunt porrò SEX quædam in istis meticulosis consideranda hominibus, quę illis inesse solēt. Sex quædam in meticulosis notanda.

Primum est, quòd multum à vero aberrāt, nec facilè cuiquam in his fidem præbere volunt, etiam cui alioqui credere deberent: illis maximè, qui ea dicunt: vnde possint consolationem ac leuamentū accipere, quibus plerunque minùs fidunt, quam illis qui molesta & contraria eis ingerunt. Id verò ex interno cordis dolore, quem ferè continuum patiuntur, ipsis accidit. I.

Libenter etiam consilij & auxilij obtinendi causa molestias suas alijs queruntur & explicant: quod tamen ita passim facere, non est cōsilij, cum vix vllum inde reportēt subsidium vel remedium. Immò quanto plura huic malo remedia comparare nituntur, tanto ipsorum afflictio fit vehementior. Consultum autem eis foret, verum aliquem DEVM timentem, in Diuinis literis eruditum ac expertum, inquirere: cui etiam sine omni hæsitatione acquiescere debent. Siquidem in extremo iudicio non ab ipsis, sed ab istiusmodi viro religioso & docto DEVS rationem reposcet, si saltem ipsi, q; in eis est, facere studuerint. Secundum est, quòd multiplici eodemque vano timore solicitantur: vnde fit, vt nunquam sibi benè confiteri videan- Secreta quæ qui alijs reuelet. II.

videantur, quamlibet doctus sit ille cui confitentur. Quantumuis etiam quod in se est, faciant, nunquam tamen veram animi tranquillitatem & pacem pectoris obtinent: cuius illi potissimum causa est, quod discernere nequeant, quæ peccata oporteat expresse & distincte confiteri. Sola nimirum peccata mortifera, quantum fieri potest, distinctè & expressè confiteri obligamur: leuiores verò & quotidianas culpas, generali quadam enarratione exposisse satis est. Cùm autem in antedictis tentationibus nullius sint rei peccati mortiferi, non necesse habent, immò nec debent homines isti omnes ipsis incidentes cogitationes ita distincte & expresse confiteri, sed generali duntaxat expositione eas aperire, satis est, idque iuxta consilium prudentis confessarij. Enimuerò Tartareus spiritus hac confitendi scrupulositate, cordis pacem & quietem perturbare molitur: atq; eam ob rem obsistendum est illi. Nam quo illi magis obtemperatur, eo conscientia fit prolixior & intricatior. Tertium est, quod certa volunt scientia esse præditi earum rerum, in quibus non potest haberi certitudo. Scire nanque volunt atque adeò certi esse, nulli se peccato mortiferò obnoxios teneri. Atqui (si scriptis sanctorum fides habenda est) nemo in hac vita tam felix, tam bonus, tam doctus inuenitur, vt certus possit esse se in Dei gratia viuere, nisi id illi diuinitus sit reuelatum. Sufficit hac in parte, si diligenter explorata conscientia, nullum certum mortiferum peccatum in ea compertiatur. Itaque hoc pacto certò scire velle, ex ignorantia proficiscitur: vt si, verbi gratia,

Quæ peccata solum confitenda.

Scrupulosorum consolatio.

III.

Simile.

puer

puer aliquis nôsse velit, quid suo in pectore tractet Imperator. Eam ob rem sicut aduersa valetudine laborantem medico suo credere oportet, tanquam morbum ipsum melius, quã possit ægrotus, perspectum habenti: sic & huius farinæ homines prudenti cuipiam confessario mortem gerere & acquiescere tenentur.

IV.

Quarum est, quod erga Deum quadam moueantur impatientia: quæ sanè ex eadem ipsa, qua perpetim affliguntur, dira vexatione nascitur. Cum enim alijs aduersitatibus & molestijs parùm aut nihil sint exercitati, contingit eis perinde vt equo effreni ac indomito, ad currum religato, qui dum ex nimia fatigatione & lucta perpetua maceratur, nec se potest excutere, paulatim modestiùs sese gerere incipit. Ita & isti quamdiù suis afflictionibus sese opponunt, & necdùm funditùs Diuinæ se permiserunt ac resignarunt voluntati ad perferendum æquanimiter cruces illas quibus præmuntur, grauiter torquentur: & tamen perpeti eas necesse est, donec misericors DEVS illorum laborem & patientiam respiciat, qui optimè nouit, quando eis expediat ab hisce molestijs liberari. Nihil igitur æquè est necessarium, quàm se ad ipsas tolerandas afflictiones humiliter resignare & offerre, quandiu visum erit Domino, atque illius opem patienter implorare, & bonorum hominum preces sibi conciliare.

Lepida assimilatio.

Quid quibus maximè necessarium.

V.

Quintum est, quòd nulla in re tantoperè errant, quàm quod malis cogitationibus ipsis sese ingerẽtibus respõdere & credere, atq; ratione eis obniti, & cum eis in disputationẽ ingredi volunt. Quod quidem cũprimis

cauen-

Cogitationes quæ qui sustinendæ aut pellendæ.

cauendum est. Dum enim aduersum eas luctari instituunt, eoipso adeò eis implicantur, vix superst quà possint euadere. Satius ergò erit, absque contentione, argumentatione & resistendi conatu confestim inde se auertere, & ad id, quod primum vel audire, vel videre, vel nôsse contigerit, se conuertere: ac si dicant: Sint tua tibi, nihil ea ad me pertinent. Lógè es sceleſtior, quam vt ad ea tibi respondeam velim. Nam quo ea minus curantur, eo citius profligantur: atque id iterum iterumq; faciendum est, donec in vsum vertatur. Hæc autem illi soli capiunt, qui ea in seipsis sentiunt. Sexti est, quòd quanto sacratiora sunt tempora, & ipsi se ad DEVM libentius adiungerent, tanto ipsorum afflictio est acrior, ita vt nec vnam quidem orationem Dominicam vel Angelicá salutationem absq; eiuscemodi diabolicis susurrijs explere queant. Quo fit, vt quadam velut desperatione correpti, preces intermittant, & hoc pacto secum loquantur: Ecquid ista nobis oratio prodesse queat, tot sordibus cõspurcata? Sed in hoc errant vehementer, & suo hosti obsequuntur, cuius hoc præcipuum studium est, vt eos faciat spiritalia exercitia neglectui habere ac postponere. Nesciunt profectò, orationem suam cum cunctis illis incidẽtibus malis cogitationibus, de quibus dolent, non mediocriter gratam & acceptam esse omnipotenti DEO. Sæpe nanq; (vt D. Gregorius ait) mens humana adeò perturbatur, vt seipsam eruere nesciat: sed in præsenti dolore & angustia cõstituta, ipsa pro eadem ante DEI oculos aduersitas deuotissimè interpellat. Ipsaq; passionis amari-

VI.

Nunquam preces propter afflictiones, etsi maximas, omittí debere.

Gregor.

amaritudo in oculis illius resplendens, citiùs eum illi, quam alia exercitia, inclinat, & velocius adesse compellit. Nullum itaque propterea opus bonum negligendum est, nec Preces & Templi visitatio, quæ inprimis contraria & molesta est dæmonibus, vnquam intermittenda. Quod enim ita affecto de orationis puritate decedit, id illi ex afflictionis molestia accedit, nec minimum placet eiusmodi oratio pijssimo creatori. Fit enim non rarò, vt eos qui vix verba sonare queunt, propensiùs exaudiamus, quàm qui incolumi sunt voce & corpore. At verò quanto magis ab oratione desistimus, eo ampliùs hosti nostro obtemperamus. Denique cum sit satis superq; probatum, nihil in his rebus peccati inesse. potest hoc loco eiusmodi quæstio incidere: Cur misericors DEVS tam duris afflictionibus diuexari homines ante dictos patiatur, cùm vix vlla corporis pœna vel cruciatus eis possit commemorari, quem non malint, quam hanc desperationis impugnationem, perpeti. Ipsi quidem & nonnulli simplices, qui neque scientia, neque experientia ista nouerunt, ipsorum vitio eos ita affligi putant. Sed id verum non esse vel inde liquet, quod perplures etiam vitæ sanctitate insignes, eius generis vexationibus exercentur, quemadmodum tum experientia quotidiana, tum sanctorum scripta testantur: atq; ediuerso homines impurissimi plerunque nihil inde sentiunt aut patiuntur. Immò quibusdam in ipsa pueritia, dum adhuc nulla perpetrârunt peccata grauiora, istæ vexationes occurrunt. Si quis verò post Monasticę vitæ aliquod susceptum genus, aut

Aridităs quæ quâdo deuotioni præstet.

Quæstio non ociosa neque inutilis.

aut post agnitam veritatem ob suam culpam eas patiatur, debet ea ex causa gratias vberes agere Deo. Vt enim sacræ affirmant literæ, ingé-

Signum diuini erga peccatores amoris quod.

Diuinæ dilectionis indicium est, multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere. Quare autem sapientissimus Deus hac desperationis impugnatione homines profundiùs humiliet, & vehementiùs compescat ac edomet, quàm aliis afflictionibus, id in illius Maiestatis arcanis reconditum est: quod etiam sic illi accipere debebunt. Nam cùm ille omnium corda, mentes, moresq; hominum perspecta habeat, tanquam fidelissimus medicus id singulis adhibet & procurat, quod eis præcipuè conducibile sit.

Ex desperationis vexatione quæ elicitantur commoda.

Quod si quis percontetur, quam hæc vexatio desperationis vtilitatem habeat, fidenter respondeo, plurima, eaque haud vulgaria hinc posse bona proficisci. Primò namque homines natura superbi, nulla alia ratione melius & occultius ad veram humilitatem virtutum omnium Matrem perduci possent. Nam qui hac tentatione premuntur, deformitatem & spurcitiã incidẽtium cogitationum, immanitatem & turpitudinem metiuntur peccatorum: quod ita non esse, iam ante probauimus. Sanè vel semel tantum sibijpsi vanè placuisse, posset coram Deo multò hominem deformiorem efficere, quam vel mille, licet immanissimę eius generis ingestæ cogitationes. Quod est perspicuum in Lucifero, qui nullam talem sentiens impugnationem, fœdissimè lapsus est. Permittit autem Deus hac molestia vexari hominem, vt qui hactenus præ animi fastu seipsum agnoscere

scere noluit, saltem hac afflictione ad sui cognitionem perducatur. Ita fit, vt qui priùs alios habebat despectui, iam ab omnibus sibi meritò contemnendus videatur. Quo quid illi esse vtilius, aut quid magis eum in Deum reducere queat? Est enim impossibile, vt verè humilem Deus perire sinat. Quamobrem tum ex scripturarum sententia, tum ipsa rei veritate, qui huiusmodi ferunt crucem, Dei omnipotentis sese pedibus aduoluere, & hanc ipsam execrabilem tentationem, per quam tam præclaræ virtutis gratiam obtinent, pia erga Deum gratiarum actione velut inaurare deberent. Ista nanque afflictio hominem ex ipsis tartari faucibus ereptum, in cælo collocat, atq; ab innumeris seruet peccatis, dum tantùm illi facessit negotij, vt omnium interim vanitatũ quadam oblitione capiatur: quod est reuerà vtilissimum. Adeoq; ad virtutes omnes capessendas non parum fert subsidij: Qui enim hanc perpetiuntur, tam miserè vexantur, vt virtutes ceu remedij loco sectentur: nec quicquam eis impossibile videtur, quo suam possint crucem euadere & obliuisci. Quod tamen quamuis seriò agant, aut nihilominùs sæpè eos DEVS hac miseria discruciari sinit, donec post multorum operum bonorum coaceruationẽ, homines reddantur gratia & virtutibus locupletes. Hîc iam Sap. 8.
considerare libet, quam suauiter & benigne æterna Sapientia cuncta disponat, quando etiam id, quo in suî pernicie cedere plerique autumant, ipsa moderante, in præcipuam eorum salutem cedit. Magnam præterea Purgatorij partem ista hæc tollit afflictio, eamque tolerantibus impe-

Purgatorium quiquomodo hîc ferant 2. Cor. 4.

pendio prodeſt, ac præmium immenſum co ciliat. Quamuis enim multorum ſe crimin reos arbitrentur, ſed apud DEVM inter exim os Martyres numerantur: cum nulli dubiu eſſe queat, eiuſmodi perpetuam vexatione longè eſſe toleratu moleſtiorem, quam carni cis ictum vnum collo exceptum. Denique hi ipſam vexationem magnæ eſſe dilectionis D argumentum ac præſagium, tam ſcripturar teſtimonijs, quã ipſa veritate probatur: quip pe quam & copioſa gratia, & multorum ſecr torum reuelatio ſit ſubſequutura. Debent ig tur homines ante memorati non ſolum pa enter, ſed & libenter eam perpeti, certi, br hanc acerbitatem *& leue ac momentaneum tri*

2. Cor. 4.

lationis huius *ſupra modum in ſublimitate aterna gloriæ pondus* in ipſis operari. Cuius hic brev

Paradigmá.

exemplum ſubijcimus. Virgo quædam De dicata, vna ex ſupradictis tentationibus dira xabatur, quæ poſt obitum ſuum cuidam appa rens, eam ſe Purgatorij loco ſuſtinuiſſe, ac de inde ſine medio ab omnipotente DEO in cæle ſtia regna ſuſceptam aſſeruit. Quod & nobis præſtet CHRISTVS IESVS, in ſecula bene dictus, Amen.

De diuerſis per contationibus, de profunda humilitate, reſignatione, noſtrijpſorum abnegatione, & exceſſu in Deum.

SERMO II.

MIſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt inter-

roga-

rogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, Quia non sum,&c. Ioan. 1.

Audistis dilectissimi, vt Pharisæi quosdam ad Ioannem miserint percontatum, *Tu quis es?* Et vt ille confessus sit,& non negârit: sit, inquã, confessus, *Quia non sum*,&c. Id genus Pharisæos hodieque complures inuenias licet, qui superuacaneis duntaxat quæstionibus vacent. Videas alios de rebus mundanis scisciatari, quid illi atque illi agant: qui in vrbibus, in regionibus, apud Reges & Principes ac Dominos, aliosque tum seculares, tum Ecclesiasticos, rumores circumferantur: vti se habeant illi & illi: & benè est eiusmodi, dum rumoribus pascuntur. Proh pudor, hisce deditos esse vitę Monasticæ professores, quos ita affectos esse oportebat, vt plurimum erubescerent vel scire vel referre rumores futiles ac Mundanos. Quid enim ad eos attinent ea, quæ Mundi sunt? Alij ex quadam curiositate percontantur, multa scilicet nôsse cupientes, & sublimia quædam intellectu assequi, non ob aliud, nisi vt ipsi quoque de rebus sublimibus fari nôrint. Nec ij vnquã ad altiora proficiunt, nec profectus illorum spes vlla supereſt, quamdiù tales permanent. Alij eo animo quærunt, vt alterius mentem explorent, & quid in ea agatur, compertum habeant. Hi perinde vt Pharisæi, blanda adulatione quempiam accedentes, *Magister*, inquiunt, *scimus quia verax es*. Et si suos in eo mores deprehendant, iam salua sunt omnia: sin minùs, nihil est quicquid ille agat. Itaque ad alios

Quæstiones seu rumores qui quales.

Matth. 22.

se conferentes, ab his similiter perquirit
nec est vllus quærendi finis, vt habeant vn
morum suorum tueantur improbitatem: n
ab his abduci se sinunt, quicquid cum illis
gas. Aliorum percontationes laude digne
qui corde & affectu gratissimam bonam
DEI voluntatem ardenter sitiunt. Qui
manducent, siue bibant, siue dormiant,
scriptioni aut lectioni vacent, siue neant,
gradiantur, siue subsistant, semper hoc fer
tur desiderio: Qua tandem ratione amant
mi DEI nostri gratissimam voluntatem
licebit? Denique alij sunt, qui prorsus nih
interrogant. Hi sunt, qui supremum per
ctionis attingêre apicem qui iam nullis qu
stionibus dediti sunt. Sed vbi tales reperiem
Nam hi nihil admirantur. Augustino v
& Aristotele testibus, ex admiratione quæst
proficiscitur. Atqui isti (vt dictum est) nihil
mirantur, sed omni admiratione facti sunt
periores, ipsa veritate perlustrati. Sed vt ad
angelium reuertamur, quemadmodum pa
antè audistis charissimi, Pharisæi illi cum H
rodianis Ioannem interrogârunt, quis esse
Et quid cælestis ille Princeps, immò quid
cifer ille & archangelus respondit? Non fu
Ioan. 1. inquit, *Confessus enim est*, ait Euangelista, *&*
negauit, quia non sum. Hoc verbum, NON SV
nemo est qui proferre velit, atque eo omnes
Neminem non esse quid velle. tendunt studia, vt illud fugiant abnegent
Quotusquisque enim est, qui non aliquid
qui non aliquo in numero haberi velit, siue
in spiritu sit, siue in natura? At reuerà si qu
vel eò pertingere posset, vt cum Diuo Ioann
Quæstiones quorum quæ laudandæ.

hocipsum verbum ex animo pronunciaret, is haud dubiè compendiosissimum, quod possit obtineri in hac vita, iter reperisset. Atque hinc neminem vel ætas, vel infirmitas, vel inopia, vel abundantia excusat. Quisverò possit dicendo consequi, quam inæstimabilis essentia in hoc, NON ESSE, lateat? Sed heu nemo est, qui istud velit iter arripere. Quicquid agas, non est qui non aliquo in precio haberi velit. Immò omnes & sumus & volumus, semperq; voluimus aliquid esse. Hoc laqueo omnes penè adeo tenentur implicati, vt nemo sit qui seipsum deserere & abnegare velit. Inde est, quod minori negotio vel decem externa opera efficimus, quam vel semel perfectè nos exeamus aut abnegemus. Hic omnium bellorum totiusq; laboris nostri scopus est. Huius gratia seculares quique plurimas sibi opes accumulant, cognatos & amicos comparant, corpus & animam mille periculis exponunt: nempè, vt sint aliquid: immò vt magni sint, vt diuitijs honoribus, ac potentia præcellant. Quantùm verò Religiosi & Ecclesiastici etiam huius causa agant, omittant, ac perpetiantur, seipsum quisque exploret. Heu Monasteria omnia & inclusoria hoc execrabili malo abundant, vt singuli & essecupiant aliquid, & apparêre. Ipse Lucifer in zelo quadam superbia inflatus, esse voluit aliquid: at eo ipso in extremam abyssum, in ipsi° NIHIL fundum, adeoque in vilius quiddam, quam sit nihilum, corruit ac detrusus est. Hoc quoque primos parentes nostros Adam & Euam, extra amœnissimam profligauit paradisum, & omnes nos, quotquot ex illis progeniti

Non esse, cui esse præstet.

Quã omnes vt sint aliquid studeant.

Omnes, etiã Religiosos, aliquid esse conari.

Isa. 14.

Gen. 3.

sumus, in varias calamitates, labores atque
dores adduxit. Hæc omnis miseriæ & luctus
pissima causa est. Inde est, quòd absque D
absque gratia, absque dilectione, cunctis
virtutibus nudi ac vacui sumus, quòd nu
neque foris neque intus pace fruimur, quod
plura sæpe nobis & in DEO & in hominib
displicent. Hæc, inquam, mala omnia ex ea
la radice pullulant, quod scilicet aliquid
contendimus omnes. Contrà verò nihil
velle, in quolibet viuendi instituto, in
quibuscunque & cum Mortalibus omnibus
ram, integram, stabilem ac perpetuam con
liat, fouet, & retinet pacem: nec quicquam
felicius, securius & præclarius in hac vita p
test obtingere. Sed heu quam id aduersamur
mnes, diuites & pauperes, iuuenes & virgines
senes cum iunioribus? Legimus in Euange
secundum Lucam, Pharisæum quendam ho
minem optimum, Christum vt secum ede
inuitâsse. Erat proculdubio opus illud op
mum, Christum & eius Discipulos refice
quanquam etiam alij illic aderant. Nec deer
Pharisæo ista pia intentio. Quid igitur? Illi
nimirum præclarissimum, NON SVM, inqu
deerat illi. Et hoc vnde probamus? Attendi
Edentibus illis, superuenit mulier peccatrix
ad Saluatoris collapsa vestigia, intus ex intim
cordis fundo profitebatur, NON SVM. Quam
obrem non solum vltra cælos omnes, sed ec
supra multos angelorum ordines, vt equidem
existimo, est exaltata. Nam humi ad pedes Ie
SV prostrata, ex intimo (vt dixi) cordis sui fun
do loquebatur, Non sum. Inde verò, ex ill
scilicet

Quanta nil essendi vtilitas.

Luc. 7.

Maria Magdalena quo pacto Christo fuerit reconciliata.

scilicet fundo, perpetuum quoddam ac indeficiens, Ego sum, exoriebatur. Adeoq; Dominus Iesus præstitit illi quicquid voluit. Sedebat illic hospes iste Pharisæus, qui grande hoc opus agebat, cunctis illis escam ac potum præbens, & rem hanc suo in animo indigne tulit, dixitq; intra se, cur Dominus tantam illi peccatrici fœminæ exhiberet familiaritatem. At prohdolor dominabatur in eo detestabile illud, Ego sum: non autem, Non sum. Vnde fiebat, vt se dignum crederet, ad quem sese Dominus conuerteret, cuius dicta auscultaret, quicum loqueretur, & non cum illa peccatrice muliere. Ecquid putatis dilectissimi, quanti etiamnum id genus Pharisæi tam in clero, quam in populo reperiantur. Hoc hominum genere totus vbiq; Mundus abundat, & superabundat. Sub atro & candido, sub rubicundo, cinericio ac cæruleo habitu plurimos inuenias licet, qui vel propter diuitias suas, vel ob potentiam suam, vel ob sapientiam & eruditionem suam, vel ob ingenij & intellectûs perspicacitatem, vel propter eleemosynas, vel propter habitum suum (ob quæ sibi sanctiores videntur) aliaque similia æquum esse putent, vt ad ipsos quique sese non absque opinione conuertãt cum ipsis verba misceant, ipsorum sermones auscultent, & eorum gratia quippiam agant: atque hoc pacto intra se loquuntur: Mihine ab eis hoc præstari par est, quibus ego hæc atque illa præstiti, qui sum talis ac talis? Et reuerà multum indignè ferrent, si non pluris fierent ab omnibus, quam illi in quibus iam dicta minimè recognoscerent: de quibus ita secum loquuntur:

Latentis superbiæ notatio.

Eia quinam sunt isti, aut vnde veniunt? & qu
ratione vel cogitare audent, quod nobis (si
peris placet) etiam agere permissum est? atq
ita alios aspernantur. Talis erat Pharisæus i
le, qui supra Publicanum inaniter sese effere
suam secum iniustitiam reportauit, quod in
culis suis grandis esset. Publicanus verò c
fateri nouerat, Non sum, qui nihil sibi videa
tur, oculis in ima depressis, ita potius ait: De
Luc. 18. *propitius esto mihi peccatori*, qui nihil sum: imm
propter peccata mea minus quàm nihil. E
hoc in Euangelio legimus, quod descende
iustificatus ab illo in domum suam. Atque ha
ipsius DEI sententia est. Quilibet ergò sese a
tendat, nec facilè contemnet alium, quisqu
Luc. 7. etiam ille sit, vel quoquo modo se habeat. Be
ta & felix illa peccatrix, de qua ante dixim
cùm in domum Pharisæi esset ingressa, tria
suo exercitio peregit. Primò quidem, sicut se
DEO auerterat, ita ad eum se totam conuert
Oculos Mundi vanitatibus deditos, nunc la
chrymis rigat: Capillis suis Domini pedes ter
sit, vt expiaret, quod Mundi amatoribus illa
quā doque placere studuisset. Corpus suū pri
luxui addictum, crebris osculis Domini lesa
pedibus impressis, aliisque afflictionibus atter
uit, facultatesque suas vnguēti infusione obru
lit. Secundò, seipsam Saluatori totam permis
ac resignauit. Tertiò, vehemētissimi plena do
loris & contritionis cordis fuit. Equidem se
Resignatio m xime su- sentio charissimi, omnem non vndiquaq; pro-
specta, quæ. batam & exercitatam resignationem, nec fabr
vnius precio æstimandam, nisi factis & reipsa
declaretur extra fallacissimam naturam, plen
mille

mille angulis ac versutijs præditam, in quibus seipsam fouet ac retinet: quæ nisi radicitus extirpetur, haud secus aliquem eiusmodi hominem acciperem, quam tartareum spiritũ, angeli specie & habitu mihi apparentem. Nam qui tales sunt, eorum dictis ita stare tutum est, vti per culmũ vnum, si is pontis vicem in Rheno latissimo suppleret, iter facere: Tam, in quã, horum resignatio certa ac tuta est. Quo fit, vt eiusce modi resignatio non immeritò ficta ac fucata censenda sit. Et tamen videas id genus homines quandoque venire, ac dicere: Domine mi, obsecro, de summa & excellentissima veritate ac perfectione quippiam loquaris. Hem quã mihi ista verba stomachum mouent? Sic & Pilatus Dominũ olim scisciabatur, ecquid esset veritas. Sed nihil illi respondit Dominus. Adeò nõ potest, quid sit veritas, explicari. Deus ipse veritas est. Veritas, puritas, simplicitas, vnũ sunt & vna essentia. Iam si quandoq; verbis aut factis duriuscule tractentur isti, repetè prosiliunt, erumpunt, & velut Canes oblaterant ac remordent, nimisq; acerbè ferunt, & hęc atque illa sibi illata queruntur: sicq; luce clarius innotescit, quæ ipsorum fuerit resignatio, dum verbis simul & factis animum fundumq; suum omnibus produnt. Quæso dilectissimi, nemo seipsum fallat. Mihi quidem nihil potest officere, si me fallatis. Vos ipsi estis, quibus illuditur: nec mihi, sed vobis, incommodatis. Nihil ego ambigo, etiam in vita Monastica complures inueniri, qui in ea omnes penè vitę suę dies exegerint, qui ingentem quandam ac singularem præ se ferant sanctitatem, & caput in humeros

Ioan. 18.

meros deponant, qui tamen ita ex hac luce fit migraturi, vt vera resignatio nec ad momentum vnquam illis illuxerit. Intelligens quis & dolere, & præ admiratione etiam in risu solui possit, quod miseri homines adeo imponunt sibijpsis. Id certo certius habendum est neminem sibi de resignatione blandiri, nec resignatum esse, persuadere sibi debere, quamdiu vel gutta vna sanguinis in carne, vel alicuius medullæ portio in ossibus hæserit, quæ non sit pro vera resignatione decocta atque consumpta. Porrò quamdiu quispiam vel extremum veræ resignationis punctum non erit assequutus, tantisper etiam DEI visione frustrabitur, nec supremam poterit vel in temporaria, vel æterna vita beatitudinem experiri. Necesse est enim, vt granum frumenti, modo fructum ferre debeat, prius emoriatur. Et si mortuum fuerit, fructum plurimum afferet. Oportet omninò charissimi, vt moriamur, deficiamus, nihil efficiamur, vt iam ex sententia dicamus, Non sum. Nec votis duntaxat, desiderijs, ac precibus huc peruenitur: necesse est vt subsequantur opera, vt res tanta aliquo cõstet. Quod enim nullo constitit, nec valere aliquid potest. Vnde si desiderijs ac precibus solis absque sumptu, absque labore & dolore ea posset resignatio obtineri, nullo in precio habenda foret. Atqui id fieri non potest. Nam qui creauit te sine te, vt author est D. Augustinus, non iustificabit te sine te. Non est ergo vt putet quispiam, DEVM nos miraculo quodam ad sublimiora euecturum. Quamuis enim nullo negotio etiã hoc frigido tempore rosas elegantissimas posfit è

Resignationis veræ delineatio.

Ioan. 12. Resignati diuina visione nostri vt quandoque fruamur, penitus necessaria.

August.

sit è terra producere, non tamen id facit. Vult namque, vt opportuno (id est, verno) tempore per rores & pruinam, crebrasque tempestates, quæ eo spectant ac referuntur, germinent atq; succrescant. Dolenda planè conditio, multos etiam Monasticæ vitæ Professores, triginta, quadraginta, & eo amplius annos, in perpetuò tepore iugiq; querimonia viuere, & nec post tãta annorum curricula, sui notitiam vel tenuẽ habere. Quanto satiùs foret, vnum in hoc annum expendere, vt sibi ipsis perfectè morerentur, ac à seipsis deficerent, & tandẽ, quibus sunt irretiti, laqueos cõtererent? Heu heu, vbi mors quandoque irruerit, & ipsi lõga vitæ suæ spatia miserè se neglexisse ac perdidisse conspexerint, quam irreparabile sentient damnũ quando deinceps semper illis carere oportebit, quæ lucrari potuissent? Maior ea erit calamitas, quã in hoc tempore quisquam possit verbis explicare. Decebat nimirùm, vnumquemlibet vitæ cœnobiticę cultorem multa cum diligentia, ac irremisso proficiendi studio, pluraq; bona adipiscendi desiderio, ita viuere, vt nulla vnquam dies elaberetur, quo non tantum se profeciſſe cerneret, vt antecedentia vix posset conspicere. Est id sanè miserabile quiddam, huius Mundi dementissimos amatores vilissimis quibusque rebus temporarijs acquirendis curam maiorẽ impendere, quam DEI electos summo illi bono obtinendo, quod DEVS ipse & est, & appellatur. Hei spiritalis quisque ac Monasticæ vitæ studiosus, adeò deberet omnis esse propriæ voluntatis expers, vt nihil in eo vnquam posset deprehendi, præter illud, Non sum. Videas

Quam sit rara sui notitia.

Religiosus quisque qui viuere merito debeat.

Amatores Mundi qua in re quibus longe præstent.

Velle qui suũ cuique deterendum.

plerosq; instabiles, diuersos sibi viuendi mo-
dos somniare: iam pane solo & aqua velle vi-
uere, iam verò aliò moliri iter: modò hoc, mo-
do illud proponere. Sed ego compendiosis-
mum ac simplicissimum vobis iter demõstro.
Recipiat quisq; sese in fundum animæ suæ, a
inibi, quid se potissimum impediat ac dissi-
neat, diligenter exploret: atque hunc laqueum,
hunc lapidem in Rheni profunda demerge.
Eat alioqui quocunque volet, per cuncta Mo-
di climata peruagetur, nullum aut perexiguu
citra hoc lucrum reportabit. Isthæc nouacula
propriæ scilicet voluntatis, affectuum ac des-
deriorum mortificatio, carnem ab ossibus ab-
radit. Quamquam sunt permulti, qui corpus
destruunt, & vitijs extirpandis nullam nauant
operam: de quorum profectu nulla spes reli-
qua est. Agitè iam charissimi, introrsus ad vos
redite, atque attentissima consideratione per-
pendite, quantum adhuc sitis dissimiles perfe-
ctissimo Christi Iesu exemplari, cuius tam pro-
funda fuit resignatio, vt si mortalium omnium,
qui vnquam fuerint, sunt & erunt, resignatio
in vnum confletur, non possit tamen vlla ex
parte ei comparari. Denique, quod superius
dixi, peccatricem illam soli CHRISTO se
permisisse ac resignâsse, ita debet accipi, quando
nosipsos DEI causa relinquimus, simul omnia
illi nos resignare. At multi numero sunt, qui se
DEO quidem permittant, verum hominibus
se relinquere nolunt, contenti à DEO affligi ac
deprimi, ab hominibus minimè. Sed oporte-
bat Deo nosipsos relinquere ac resignare, quo-
cunque modo illi visum sit. Quisquis igitur
ille

Methodus certissima quæ.

Qui se Christus resignauit.

illeest, qui ad propriæ vilitatis & nihili consi-derationem nos adducit, debemus id amice admodum & grato animo ab eo accipere, vt sic reipsa dicamur, quod & sumus, Non sum Præter nobis omnipotens DEVS, vt ita ad hanc nostrî nihili pensionem pertingamus, quô hoc ipso in Diuinam immergamur ac absorbeamur essentiam. Amen.

Vt cum Christo emori, omnem in nobis sensualitatem, cupiditatem, vires naturales & sensitiuas & imagines mortificare, Christo resurgere, atque in eundem transformari debeamus.

SERMO III.

EXiuj à Patre, & veni in Mundum: iterũ relinquo Mundum. Ioan. 16.

Hæc sunt, dilectissimi, verba Redemptoris nostri, quibus à Patre exijsse se testatur, & in hanc totius miseriæ demigrâsse vallẽ: rursumque peractis omnibus, quæ à Patre ipsi erant demandata, cunctisq; doloribus ac ærũnis, quibus omnis vita illius nimis quàm referta fuit, superatis, ac morte profligata, ad Patris remeasse gloriam. Quod idem Apostolus euidentiùs testatur, vbi ait: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo CHRISTVS surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati, facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Itaque in prioribus illis Domini verbis, synceriſſima veriſſimaque, quæ quidem

Rom. 6.

Ioan. 16.

quidem tradi possit, continetur institutio, in-
que rectior, compendiosior, securior, simpl-
ciorq; via insinuatur. Quoquò igitur nos ver-
tamus, quascunq; concinnemus glossas quali-
cunq; nobis excusationum vela prætexamus,
hac nobis via gradiendum est: qua Dominus
pse ingressus est, si tamen cum illo esse, & ad il-
lum peruenire, & ei denique perfectè coniung
volemus. Ille enim, vt audiuimus, exiuit à Pa-
tre è sinu & corde paterno, & venit in hunc
Mundum, vbi cunctis diebus vitæ suæ vlti-
modum afflictus fuit, & innumeris isdemq;
perpetuis miserijs prægrauatus, adeò vt nun-
quam quicquam commodi vel delectation
admiserit: & ad extremum captus, perditus,
occisus & sepultus est. Deinde verò omnino
impassibilis, splendidus, ac immortalis resur-
gens, ad cor Paternum remeauit, eandem cum
illo beatitudinem & gloriam obtinens per in-
finita secula. Hoc iter quisquis capessere consti-
tuit, & in seipso mortuus ac sepult⁹ est in Chri-
Iter tutissimū sto, fieri non potest quin & cum illo resurga
quod. Si enim consepulti sumus, & resurgemus cum
illo, vt Apostolus ait: Mortui enim estis, & vita
Col 3. vestra abscōdita est cum CHRISTO in DEO.
Quicunque eiusmodi est, illum ego non dubi-
tem dicere aliquo modo impassibilem, imper-
emptibilem, ac immortalem effici, & vnà cum
filio eidem perfectè vnitum, in cælum, atque
in ipsum adeò cor paternum ascendere, & eam-
dem cum filio beatitudinem assequi & possidere
hereditatem. Quicquid enim habet filius per
naturam, id iste habet per gratiam. Sed hoc
perpetuis exercitijs prosequendum est. Eiusce-
modi

modi homo tantum cæteris quibuscũ vulgaribus hominibus præstat & antecellit, quantum homo animali bruto. Atqui cum Christo mori & deficere nolunt, quo pacto cum illo ad verum esse resurgere queant? Itaque hortatur nos Apostolus, vt si cum Christo consurreximus, quæ sursum sunt, sapiamus, non quę super terram. Verùm sunt plerique qui dum bona audiunt, cupiant & ipsi boni esse, iamq; probè satis inchoent, atque obfirmato animo statuant DEO & spiritui viuere. At si non statim omnia pro voto succedant, resiliunt à proposito, & ad naturæ suæ relabuntur infirmitatem. Hos non absurdè comparaueris scholasticis plerisq;, qui ad magisterium & dignitates adspirant, sed ipsa prima Latini sermonis aut Grammaticę rudimenta vix summis degustant labijs. Nõnulli tamen dum in studio perseuerant, ad ipsum Magisterij gradum quandoque prouehuntur. Ita nimirum etiam pios quosdam inuenias licet, qui non modo bene incipiant, sed etiam profectum faciant, ac virtutibus obtinendis omnem nauent operam, atque in eo conatu inuicto spiritu ad finem vsque perseuerent. Alij verò nullum habẽt in virtutibus progressum. Et quia virtus omnis in arduo sita est, quisquis ad magam perfectionem adspirat, magna illi & ardua multa superanda sunt: speciatim tamen nouem quędam, è quibus hic quatuor minora inferioraq; tractabimus. Primò quidem omnis illi sensualitas, omnesq; sensus transcẽdendi sunt, cunctaque visibilia supergredienda. Secundò, omnes potentiæ corporeæ ac spirituales. Tertiò, cuncta desideria cum proprietate

Col. 3.

Scholastici præposteri qui.

Quæ quatuor cui superanda.

tate coniuncta. Quartò, imagines omnes. Im-
1. gines quid appellem, post aperiam. Primò in-
que omnes dixi sensus transcendendos. Atq
hîc ego non loquor de illis, qui pro sensua
voluptate sponte scienteſque in mortiferis v
uũt peccatis: sed de illis potius, qui cum Chri
sto resurgere, & cælos scandere meditantur
instituũt. Est nimirum cernere aliquammu-
ros, qui de rebus sublimibus præclarè dicen
nôrint, nec tamen vllam earum habeant no-
titiam, nisi quantum audiendo, discendo, le
gendo sint assecuti, quæ omnia per sensus insi
runtur. Talibus accommodari potest vulg
ore tritum illud prouerbium, Esse milites me
nis strenuos, & homines verbis potentes. Ve-
rùm si perfici isti debeant, necesse est omnem
sensuum curiositatem, subtilitatem & effusio-
nem in res externas, omnino mortificent ac
Paradigma. vincant. Incessit quendam ingens cupido gra-
tissimam DEI cognoscendi voluntatem, eam-
que sibi diuinitus reuelari instanter orauit. Cui
Voluntas Dei gratissima vt fiat. Dominus apparens, Refrena, inquit, sensus ru-
os, cohibe os & linguam, atque cor tuum edo-
mato: aduersa omnia mei amore libens tole-
ra. Hac ratione facies gratissimam voluntatem
meam. Ad hæc teipsum à visibilium simulacris
auerte, & in interiorem imaginem tuam re-
cipe, vbi reipsa comperies verum esse quod
Psal. 4. Propheta ait: *Signatum est super nos lumen vultus*
tui Domine. Est hodie grandis eorum turba, qui
plùs satis in exterioribus occupentur, etiam
laudibili cum intentione, & vix vnquam re-
quie potiantur. Quid igitur hîc facto opus est?
Attendite. Quando vel vnius horulæ spatium
ab o-

ab occupationibus vacuum illis obtigerit, tam profundè, fortiter, efficaciter, crebroque in DEVM se demergent, vt illo breui tempore vel quadraginta annorum curricula per sensus miserè perdita, efficaciter reuocent, ac deinde maiorem faciant fructum: hoctamen non ea ratione agendum est, vt solent illi, qui non nouerunt cum Deo colloqui, nisi per sensibiles imagines, aut lectis, edoctis atque compositis verbis: sed ex ipso intimo fundo, ex cordis visceribus, ex ipso spiritu suo Dei spiritum requirẽt, spiritu videlicet ad spiritum, & corde ad cor loquendo, quemadmodum docet Saluator. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Intelligit enim Deus linguam cordis, animæ intentionem, & intimam, essentialem, ac ex ipso fundo proficiscentem allocutionem. Eam ob rem Mariæ sensus atque præsentia lõgè sanctiùs & altiùs in Christi auribus precabatur, quàm omnes illæ Marthæ querimoniæ, quas de sorore apud Dominum faciebat. Secũdò, omnes potentiæ naturales, tam internæ quàm externæ, excedendæ sunt. Id si quis posset ea moderatione & ordine operando consequi, vt tamen interim vires corporis & naturæ incolumitas ac robur integra seruarentur, esset hoc sanè admiratione dignum. Talẽ mihi adhuc neminem videre contigit. Quisquis ille est, si quis modo est, procedat in medium, & omnibus suî videndi copiam faciat. Non id D. Bernard. assecutus est, qui se corpus suum DEI & Fratrum seruitio subtraxisse questus est. Nõ D. Gregorius, sanctæ Ecclesiæ lumen mirabile.

Ioan. 4.

Luc. 10.

II.

Bernard.

Gregor.

Nemo

Nemo ergo fallat seipsum, existimans ipse
Philip 3. præhendisse, à quo longissimè adhuc abe
Multus labor, ingens huc industria exigit
Quod enim nullo constitit, nec valere aliqu
potest: & qui charum quippiam obtinere
petit, charum aliquod exponat necesse est. D
cipulus quidam cùm suo dixisset Magistro,
manducare se & bibere, nec tamen quicquam
corpore augescere, respondit Magister: Non
eum admirari debere, quandoquidem qui
quid alimenti acciperet, internis exercitatio
nibus cõficeretur. Ergo longè alia viâ hucpe
tingendum est. Et tamen omnis externa facil
tas ad hoc assequendum minimè sufficit: se
DEVS omnipotens, cuius est immensa pos
stas nouas quasdam vires potest suggerere. Ni
Ioan. 12. *granum frumenti*, ait Veritas, *in terram cade
mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem morti
fuerit, fructum plurimum adfert*: sed prius mor
atur & à seipso deficiat oportet. Est & alia po
Sensus communis ad perfectionem adspiranti superandus. tentia in homine, quæ & ipsa transcendend
est, nempe sensus communis. Hunc intra se
vnusquilibet ita facilè depræhendit, quòd ci
neque cernit, neque audit aliquid extrinsecus
diuersas intra se imagines reperit, & est gra
dis quidam in ipso tumultus, dum modo ha
modo illa ratione singula quæq; disponit. Sed
omnis hæc multiplicitas, ad veram simplici
tatem, & ad purissimum bonum illud Deum
optimum referenda est ac reducenda. Vidit o
lim quidam truncum, & ait: Eià quàm insignis
in eo delitescit imago, modo superflua resecen
Ier. 15. tur. Ita & Dominus ait per Prophetam: *Si sepa
raueris preciosum à vili, quasi os meum eris.* O si quis
à se

à se abraderet, separaret, abstraheret omnia, haud dubiè Deum intra se purissimè ac nudè reperiret. Est prætereà etiam alia in homine virtus intellectualis, quæ itidem superanda est. Plerique tanta sui ingenij acumine moliuntur, tamque mira & alta suo intellectu inuestigare & comprehendere conantur, vt videri possint in ipsa cælorum penetralia aditûri: & tamen adhuc intra naturæ suæ limites consistunt, & naturæ duntaxat viribus nituntur. Eius farinę fuêre Plato & Aristot. intellectu acutissimi, & moribus sic satis compositi ac honesti: & tamen non nisi naturæ totum id fuit. Eiusmodi hominibus comprimis necessarium fuerit, vt magno studio peruigilique conatu naturam compescant suam, & à seipsis diligenter sibi caueant. Ediuerso sunt alij, qui vt naturâ simplices sunt, ita etiam seipsos simpliciter exeunt & relignant, & cuncta simpliciter accipiunt. Isti compendio magnum faciunt profectum, cuncta eis intus prosperè cedunt, & sunt Diuinæ gratiæ admodum capaces, haud secùs quam cera mollis imaginis cuiuscunque sigillo insculptæ. Sed sicut cera eadem facilitate comprimitur, & compressa amittit imaginem, qua ea ipsi fuit impressa: ita & hi simplices facilè à suo proposito resiliunt. Contrà verò sicut non nisi magno negotio petræ imago insculpitur, sed insculpta multos perdurat in annos nec facile aboletur, ita & superiores illi intellectûs acumine vigentes, quamuis non nisi multo studio magnoque conatu sese vincant, at vbi fortiter perseuerant, magnam quandoque gratiam obtinent, nec eam facilè amittunt. Tertiò, desideria

Intelligibilis vis excedenda.

Qualis farinę Plato & Aristoteles.

Imagines quæ quales.

III.

ria omnia cum proprietate coniuncta, & ip-

Vis concupiscibilis item exuperanda.

adeò vis concupiscibilis excedenda est. Nihil ego hîc dicturus sum de illis, qui terrena ac labentia bona appetunt, qui ad honores aspirant. Ij namque ab ea, vnde loquimur, perfectione longissimè distant, nec illius quandoque vel in somnis vllam sunt notitiam adepti. De illis potius dicere statui, qui virtutis speciem præ se ferunt, varijsque toto vitæ spatio agitantur desiderijs, dicuntq; verbi causa: Vtinam hoc aut illud præstet nobis DEVS. Vtinam gratia aut aliqua reuelatione nos dignetur. Vtinam tales essemus, quales illi vel illi. Sed ij a vera perfectione adhuc multum remoti sunt. Enimuerò totos se deberent resignare Deo, illum solum ex animo concupiscere, ei denique cuncta securè & omninò committere, simpliciter dicere cum Christo: *Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Fiat voluntas tua*, idque non labijs carnalibus, sed ipso cordis fundo, ex intima deuotione & tota intentione animi. Est illud sanè vel maximæ perfectionis indicium, in omni aduersitate & sui derelictione ac destitutione, & in quouis euentu funditùs se resignare posse exemplo Saluatoris nostri, qui in sua illa acerbissima passione quàm perfectè se permiserit Patris voluntati, sacra testantur Euangelia. Multò ille perfectius se resignauit, quàm vlla vnquam creatura. Et extremè derelictus, exclamauit: DEVS *meus*, DEVS *meus*, *vt quid dereliquisti me?* Denique resignauit sese, donec essent consummata omnia, quæ ex Patris imperio susceperat agenda ac toleranda: atque tum demùm dixit: *Consummatum est: & inclinato capite,*

Perfectionis summę indicium.

Matth. 26.

Matth. 27.

Ioan. 19.

capite, tradidit spiritum. Ita nimirum etiam vnusquilibet è religione Christianus, in qualibet aduersitate ac destitutione penitùs se debet Deo permittere ac resignare. Nec est quod arbitretur quispiam, ex aduersis casibus nullum se dolorem debere perpeti. Si enim dolor nõ sentiatur, quo tandem merito aduersa perferentur? Ipse Dominus IESVS si digitum misisset in flammam, procul dubio dolorem esset expertus. Itaque in quibuslibet rebus aduersis, atque in omni desiderio vnusquisque Deo se permittet ac resignabit. Porrò quisquis adhuc quippiam appetit, quod sit extra ipsum, aut molestè fert quod in ipso est, nondum est verè resignatus. Olim cuidam diuinitùs reuelatum est, vt se resignare deberet, hoc videlicet pacto, vt se putaret in vastissimo iactari pelago, ac suo pallio confidere, nec ad integri milliaris spatium tertam, cui adnataret, superesse. Ecquid oro ageret, qui se in hoc periculo cerneret constitutum, quando illi nec natandi, nec vociferandi, nec persuadandi esset copia? Nil aliud sanè, præterquam quod se totum DEO permitteret. Sic igitur debet quisque iugiter se resignare DEO, si vnquam velit perfectam sui resignationem adipisci. Dixi superiùs, omne desiderium superandum, nec esse appetendum aliquid: quod ita debet accipi: nihil esse aliud desiderandum, nisi vt cuncta à nobis impedimenta vel media Deus auferat, & sine medio totos nos sibi perfectissimè coniungat. Hoc ipso cuncta abolétur vitia, & bona omnia & vera beatitudo obtinentur. Quarto, sunt imagines omnes transcendendæ. Hîc nulla fit eorum mentio, qui spontè alicuius mortalis

Vt se Christianus quisque resignare debeat.

Resignatio quæ qui futura.

IV.

creaturæ imaginem intra se admittunt, & carnali affectu prosequuntur: qui quales quales sint, aut quocunque vocentur nomine, inter iumenta numerantur, & vt sues in stercore suo volutantur, immò & computrescunt. Ij omnes longè absunt ab his, de quibus nobis sermo instituitur. Alij sunt qui his non consentiunt, sed satis bene viuunt: attamen multa se eis ingerunt, & varijs complentur rerum simulachris ac imaginibus. Sed has debent penitus abijcere, ac simpliciter referre in Deum, atque illi suam imperfectionem & defectum coqueri & confiteri. Quod si nec tunc recedant, æquo eas ferant animo, & se totos Deo resignent. Sunt adhuc alij, qui phantasmatibus & insomnijs multis abundent. Tales plerunque non admiranda dũtaxat & visu pulchra, sed etiam futura in somnis contemplantur. Verbi gratia, sæpe diuos quosdam & defunctorum animas conspiciunt. Id equidem simpliciter non condemnauerim: quandoquidem etiam ipse Domini IESV nutricius angelum in somnis aliquoties vidit. Sed nec approbauerim quidem: quãdo ex mera potest natura accidere, quemadmodum Boethius ait, eos qui munditiam sectentur, etiam res mũdas somniare naturaliter: itemque qui ineptijs ac stolidis occupentur rebus, consimilia habere somnia. Adhuc alios quosdam inuenias licet, qui visionibus & reuelationibus crebris vtantur. Atque esto, vt eæ vel toto decennio veræ sint, deinde tamen vel semel admiscere se poterit spiritus malignus, transfigurans se in angelum lucis, atque ita fallere & euertere incautos. Igitur danda ijs opera est, vt reue-

Iohel. 1.

Somnia quæ qualia.

Matth. 1. & 2. Boethius.

2. Cor. 11.

reuelationes & visiones suas ad sacras literas & sanctorum Patrum scripta diligenter exigant ac examinent, aduertantq; num illis per omnia consentiant. Quòd si ita esse perspexerint, licebit eas admittere: sin minùs, omni studio eas repellant, nec vllo pacto sequantur aut credãt, si DEI gratiam nollint offendere, & suæ cupiãt saluti consultum. Ergò eas ita transcendere debebunt, vt nulli visioni, nulli reuelationi vel DEI, vel sanctorum, nimium innitantur, aut animum cum delectatione apponant: sed se totos diuinæ permittant voluntati, illi in omnibus inhæreſcant, in abundantia & inopia, in consolatione & desolatione, in prosperis & aduersis, iuxta perfectissima Saluatoris exempla.

Visiones quæ qui discutiendæ.

Hunc sibi curent semper habere præsentem & manifestum in cordis ac Animæ fundo, eum sibi imprimant, ac intra se iugiter adspectent, quam perfecta illius vita, conuersatio & animus, quam ipse resignatus, simplex, modestus, humilis, patiens, & omni denique virtute plenus fuerit. Huic se penitùs resignent. Ipsum suæ peregrinationis comitem, & in omni vita cunctis q; actionibus suis socium sibi adiungant. Dum edunt, ad morsellos singulos illum dulcissimum Dominum suum sibi assidere, atque pariter morsellum vnum capere cogitẽt. Dum bibunt, existiment se ab illo respici. Si quopiã eant, nunquam sine illo gradiantur, illum sibi itineris comitem adhibeant. Cum dormitum abeunt, in illum se reponant: atque ita demum in omni loco, in omni modo & apud quoscunque, illum præsentem meditentur, illum socium assumant. Noui ego hominem quendam, qui

Deo se resignantes vt se se gerere debeant.

vt Domini Iesu & viarum eius similitudinem in se exprimeret, certo in loco de angulo in angulum se conferre solitus fuit, tanquam pro condonationibus vel indulgentijs obtinendis obambularet, commemorans secum factam passionem Saluatoris. Monet Diuus Bernard. vt incipientes, aliquem sibi virum grauem & honestum in animo proponant, & tanquam illo inspectante faciant omnia & quoties aut facturi aut omissuri sint quippiã, cogitent prius vtrùm id facere, vel omittere, vel dicere auderent viro illo præsente. Certè multo amplius penitiusq; animo Christi IESV dulcissima imago præfigenda ac imprimenda est, quum alioqui longè ille nobis interior ac propinquior sit, quàm ipsi nobis. In illo nanque verissima consolatio, omne bonum, atque omne gaudium consistit. Ipse denique plenus gratiæ & veritatis prædicatur. Hanc Christi imaginem homo spiritalis nec ad momentum sibi patietur excidere: idemque singulas quasque notabit horas, atque intus diligenter explorabit, vt in illis suus erga Deum animus affectus esset constitutus. Quod illi potissimum vel necessario facere deberent, quos Diuina Misericordia ex hoc fallacioso seuocauit Mundo, qui nulla re familiaris cura distinentur, quibus hoc solum datum est negocij, vt DEO placere & vni DEO viuere nitantur. Illis verò, qui curis & occupationibus secularibus sunt impliciti, hoc præstare difficile est. Namque fieri non potest, vt qui tangit picem, non inquinetur ab ea: aut qui ignem in sinu portat, non exuratur. Nec tamen eo inficias reperisse me, qui in cunctis occupa-

Incipientibus quid cõtulat. D. Bernard.

Ioan. 1. Imagine Christi nihil antiquius homini spiritali in animo esse debere.

Eccl. 13.

occupationibus suis tantæ puritatis ac perfectionis essent, vt plerique Monastices professi, eorum comparatione meritò debeant rubore suffundi. Ipsa porrò dulcissima Christi imago, & imaginario, & viuo potest modo accipi. Cũ imaginariè capitur, omninò præclarè, intellectualiter ac diuinæ id debet fieri, non autem vt pura aliqua creatura vel sensualiter: quemadmodum faciunt plerique, qui dum de DEO quippiam meditari volunt, tanquam creaturâ intus in sua cogitatione sibi proponunt, puta amabilem hominem à quo multis sint affecti beneficijs, & qui ipsorum causa sponte acerbissimam tulerit passionem: atque ex eiusmodi cogitatione, naturali quadam erga illum condolentia & miseratione mouentur. Sed longè alia ratione agendum est. Videlicet diuinam quandam & supernaturalem, non puræ cuiusdam creaturæ imaginem, de amabilissimo homine CHRISTI IESV, tanquã de DEI filio, & DEO homine, & homine DEO intùs assument: & ita nunquam Christum cogitabunt, nisi quatenus & Deus & homo est. Atque hunc in modum Christum cogitando & capiendo, nunquam erunt sine DEO. Vbi namque aliquid DEI est, ibi totus est DEVS. Et hac ratione nunquam id quod optimum est negligent. Accipitur etiam CHRISTI imago viuo quodam modo: quod tum fit, vbi quispiã nullam sibi requiem, donec eidẽ imagini pro modulo suo & virium suarum facultate conformetur. Eiusmodi homini parũ videbitur Diuinis obtemperare Præceptis: sed cuncta insuper Dei consilia, mirum in modum grata & optata

Imaginem Christi dupliciter accipi.

Primo modo vt accipiẽda.

Secundò vt accipienda.

illi erũt, nec his aliquid ducet iucundius. Quod enim Dominus ait, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, &c. adeo gratum est amori, vt non satis illi sit, benignè affari inimicos, sed eos etiam toto corde diligat, ex intimo cordis affectu ac beneuolentia omnem illis honorem, cunctaque bona impensè cupiat, atque omnibus illorum erratis & delictis, quoad fieri potest, aliquid excusationis præparat ex animo. Nec tamen ita hæc accipi velim, quasi ea quis stupiditate præditus esse debeat, vt manifestum erga se aliorum odium vel amorem non animaduertat: sed ea debet nihili pendere, & nec scire quidem velle, iuxta CHRISTI exemplar, quo possit ad aliquam eius similitudinem accedere. Diximus paulò ante, omnes imagines excedendas. Sed erit fortassis qui dubitet, num ipsa quoque Christi imago abdicanda sit, de qua iam multa commemorauimus. Neutiquam ea reijcienda est. Id enim periculosum foret. Nam si vel exiguo percontemur, quid hac in parte faciendum sit, ilico respondebit nobis: Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Num his verbis sua nobis imagine interdixit? Interdixit quidem, sed quatenus ea pura est creatura, & sensibus duntaxat externis apprehensibilis, qualem tum discipuli habuêre, & relinquere compulsi sunt. At qui secundùm Diuinam & supernaturalem rationem, nullo eam tempore discipuli reliquerunt. Cum enim corporaliter ab eis discessit, & cælos conscendit, totum simul animum, sensus omnes, & omnem illorum amorem secum abduxit.

Matth. 5. Luc. 6.

Homo verè resignatus nũ cum alijs imaginibus etiam Christi debeat imaginem ex animo remouere.

Ioan. 16.

abduxit. Et nos ergo posteaquam idem ipse iã olim migrauit ad cælos, & in Patris cor atque sinum se recepit, vna cum illo ascẽdamus, quò ipse præcessit, cum omnibus sensibus nostris, omni amore ac intentione nostra, videlicet in cor Dei Patris omnipotentis, in quo ipse manet, vna cum eodem existens vita & essentia, splendor gloriæ & figura substantiæ eius, speculum lucidissimum claritatis illius, & imago paterni vultûs eius, non sola imaginis ratione, sed etiam essentialiter in perfecta personæ DEI Patris similitudine, in Diuina illa æternæ generationis emanatione, vnum omninò existens cum eodem. Eò, inquam, & nos tota mente, & quanto possumus amore tendamus, vt illi coniungi, & vna cum illo cædens speculum effici mereamur. Tùm verò in tribus Diuinæ substantiæ personis commorabimur & ambulabimus, ita vt cum Apostolo fidenter dicamus: *Nostra autem conuersatio in cælis est*, hoc est, in tribus personis Diuinis. Hanc perfectionem votis omnibus, cunctis sensibus, ac vniuersis viribus suis, vnusquilibet apprehendere conabitur: & quamuis eam in hac vita non est assecutus, bono sit animo, quia dabitur ipsi à DEO iam extremum trahenti spiritum, & ad mortem tendenti. Quod si nec tunc assequatur, & hinc decedens, quibusdam maneat culpis obnoxius, ad Purgatorij quidem locum demigrabit, vt illic omnes illæ ad purum excoquãtur. At deinde ad cæli perductus palatia, ea illic perenniter perfruetur, tanto magis aut minus, quanto eam plus minúsue dilexerit ac desiderárit dum viueret. Quamobrem meritò sui

Hebr. 12.

Phil. 3.

Desiderium cuique suum quo intendē-dum.

quisque arcum desiderij, quantū maximè posset intendere deberet, quò nullum adeò breue tēpus abscederet, quin perfectius DEO potiretur. Veris nanque animi desiderijs DEVS perennem reddet vicem, etiamsi quod appetit, non consequatur in hoc seculo, omnemq; tepidam & negligentem conuersationem ac vitam illius iuxta supremum illud iudicabit, ad quod vnquam pertigerit in vita sua. Vnde tamen si quispiam se non sentiat sublimem perfectionis gradum appræhendisse, non desponeat animum, sed quantum potest, totis eam viribus assequi conetur. Quòd si nè tum quidem ad optatam valeat perfectionem pertingere, hoc tantum curet, vt eam ex corde diligat, & votis omnibus ad eam adspiret. Præstet nobis omnipotens DEVS vt ad eam, vnde sermonem habuimus, perfectionem feliciter omnes euolemus. Amen.

De triplici Irresignatione, & vt nos iterùm atque iterùm relinquere, & abnegandi studium ac propositum identidem renouare debeamus, donec in Christum perfectè transformemur: & de vera paupertate spiritus.

SERMO IV.

ITerùm relinquo Mundum, & vado ad Patrem. Ioan. 16.

Omnes Redemptoris nostri conatus, labores, studia, doctrinæ & exempla eò tendebant dilectissimi, vt charissimos amicos & discipu-

los

los suos, intro perduceret in purũ animæ fundum, & in ipsam lucẽ veritatis. Cernens autem vsq; adeò illos soli exteriori homini suo affectos, deditos & intentos, vt illud verum bonũ consequi non possent, corpoream præsentiam suã illis subtrahere cõpulsus est. Quid est hoc? Prorsus facessant nunc glosę omnes, & cuncta excusationum velamina. Si æterna Sapiẽtia vnigenitus filius Dei Patris, discipulis suis impedimento fuit, citra ambiguitatem nulla in terris creatura est, quæ non impediat, quæcunque demum sit illa, quocunque voretur nomine, qualicunque habitu tegatur. Itaq; omnes omninò instabiles ac mortales creaturas relinquere, & ex animo remouere oportebit, si præstantissimum bonum illud, quod ipse Deus est, percipere volemus. Est autem triplex inuenire hominum genus. Quidam abscedunt, Alij progrediuntur, Postremi ingrediũtur. Primi sunt incipientes. Alij proficientes: Tertij, perfecti. Cum igitur quispiam rectius viuere instituit, & confert sese ad seruiendum Deo, diligenter acstrenuè omnes animæ suæ latebras & angulos perscrutabitur, si quid vspiã reperire queat, quod inordinata cum delectatione vel possederit, vel etiam num possideat: aut certè num aliqua mortalis creatura quẽdam in ipso angulum occuper. Quicquid autem eiusmodi inuenerit, mox inde profligabit. Idverò cũprimis est necessariũ, haud secus quam pueris scholasticis rectè instituendis prima elementa, seu ipsum ALPHABETVM. Et licet non statim in ipso exordio pro voto cũcta succedant, nõ frãgatur animo, nec immodicè perturbetur: tantũ, perse-

Corporea præsẽtia quid quibus faceſſ. negotij.

Triplex hominum genus.

Perfectionis iter aggrediẽnti quid agendum.

perseueret. Ita namque & pueris in ludo literario iterum atque iterum immò toties dictum vna prælegitur, donec eam perfectè teneant. Sic & ipse iterùm atque iterùm, iterumque se deseret & abnegabit, dicetq; *Iterum relinquo Mundum*, hoc est, caduca omnia. Mane euigilans, statim ante omnia oculos suos leuabit ad Deum, sic eum alloquens: Eia charissimum & summum bonum meum Domine Deus meus, en iterum pro tui amore & me & omnia relinquere incipiam. Sicq; vel millies per diem, si toties sese inuenerit, rursum seipsũ exire & relinquere proponet. In hac abnegatione, tota perfectionis summa consistit: sine qua nemo proficere valebit, quoquo se verterit. Inde est, quod complures posteaquam DEO vel quadraginta annis seruierunt, & multa bona fecêre opera, in extremis tam sunt remoti à vera perfectione, vt erant in principio: quemadmodum de populo illo duræ ceruicis filijs Israel legitur, qui cum multis annis immenso cum labore ac ærumna multiplici per desertum ambulâssent, vbi ad solitudinis extrema peruentum fuit, rursus ad eremi interiora, vnde venerant, regressi sunt. Et quis dicere sufficiat, quantum operę & impedij, quantum temporis plerique miserè absumant, qui non sibi tantum, verùm etiam alijs, bonæ & sanctæ vitæ, & ad summam pertigisse perfectionem videantur, cum tamen in eodem versentur gradu, vnde inchoârunt? Sicut autem hoc abnegationis studium in principio ante omnia maximè necessarium est, ita & vsque in finem in eo perseuerandum est. Nemo enim toties sese deserit,

Ioan. 16.

Abnegatio o prima quæ.

Num. 11.

In benè cœpti perseuerandum.

serit, quin aliquid semper reliquum sit, in quo deserere & mortificare se debeat. Quapropter eos errare constat, qui se in hac vita ad tantam sui abnegationem pertingere posse arbitrantur, vt deinceps nihil superfit, in quo illos oporteat mortificari & sese relinquere. Nam quo quis altius proficit, eò sublimius & strictiùs sese relinquere habet. Porrò quosdam inuenire est, qui posteaquam se reliquerunt, iterùm nequiter siue callidè ius sibi vsurpent in seipsos. Alij id bestialiter faciunt, alij diabolicè instar Luciferi. Quod ad primos attinet, qui nequiter sese resumunt, sciendum est, naturam, cum mirum in modum versipellis sit, occultè admodum seipsam spectare & aucupari in omnibus. Itaque isti naturæ suę dediti, vbi aliquid perperam admittunt, hoc aut alijs sese modis excusant: Pia animi intentione id feci, satisque tueri se nôrunt, pluraq; suæ immortificationi prætexunt vela, & ipso DEO sapientiores esse moliuntur. Atqui vt auri lamina oculis impo- Comparatio perspicua.
sita, non minùs impedit visum, quam ferri: ita & Mortalibus omnibus vitæ huius creaturis quantumcunq; nobiles sint, vel qualiquali intentione retineantur, prorsus renuntiandum est, omni calua excusatione posthabita. Quid verò de illis dicendum est, qui cùm in sanctis viuant Sodalitatibus, tam nihil habent veræ resignationis, vt pro codice vno, aut alia re vilissima vel negata vel ablata, canum furentiũ more latrent, murmurentq; : cum tamen Monastici professor instituti, meritò vsqueadeò debeat esse resignatus, vt in vnam cæsus maxillam, alteram placido possit animo offerre: &

quic-

Matth.5. quicquid illi acciderit, eãdem semper animi tranquillitatem & pectoris pacem retinuit. Nonnè ipsi Domino Saluatori palam obijcebatur, quòd seductor, quòd homo vorax & dæmoniacus esset? Et tamen tacuit, & omnia benignè tulit. In Vitis patrum quidam suum interrogauit Magistrum, quibus modis vera possit obtineri perfectio: Et ille iussit eum adire defunctorum monumenta abire, eosque aliquãdiu laudibus vehere, post maledictis & conuicijs insectari. Quod cum ille fecisset, domumq; reuersus seni narrâsset, mortuos neque laudasse neq; vituperio motos fuisse, ait senex: Tu quoque facsimiliter. Nouerat enim sanctus Pater, Dominum electis suis omnibus longè ante prædixisse, in Mũdo eos pressuram habituros, in ipso verò pacem. Alij bestialiter se resumit-

Matt 11.&27. Ioan.7.&8. Paradigma.

Ioan. 16.

II. Nemo existimet me hîc de illis dicere, qui tanquam iumenta sponte volutantur in stercoribus vitiorum suorum: sed de illis potius, qui summum & præstantissimum bonum illud, quod est & dicitur Deus, modo quodam naturali appetunt. Sanè hominem rationis compotem opera sua absq; ratione vel irrationaliter, puta ex naturali propensione vel appetitu, instàr pecudum naturæ impulsum sequentium, agere non decet, sed ex voluntate & cum ratione in DEI laudem & ob DEI amorem: vt siue edat, siue bibat, siue dormiat, siue loquatur, siue taceat, siue aliquid aliud faciat, qualecunq; id fuerit, naturæ affectu & propensione compressis atq; calcatis, ex ratione & amore operetur, sic orando & cogitando: O Deus meus, amator meus, tibi, non mihi, comedo: tibi, non mihi, dormio,

dormio, viuo, patior: propter te, non propter me, relinquo omnia. Quidam professione Monachus, cùm sublimis vitę desiderio teneretur, quodam tempore in visione ductꝰ est de Gymnasium quoddam, in quo erat frequens turba studiosorum qui diligentissimè literis incumbere viderentur. Quos frater alloquens, ait: Insigne hoc gymnasiũ est, charissimi, de quo mira sæpè aliorũ relatu didici: sed dicite quæso, cui tandem scientię hic nauetis operã. Respondit vnus ex illis: Nihil aliud hîc discimus, quã perfectè abnegare nosipsos in omnibus. Tum ille frater: Prorsus, inquit, hîc manere statui & tubiculum mihi exædificare, etiamsi vel mille mortes obeundę sint. Et ille: Non, ait, ita facies: sed abi hinc quietus, certus quo minùs feceris, & plùs te abnegaueris ac deseruieris, eo plùs te facturum esse. Nimis prohdolor hodiè excæcati sunt homines, & multa facere volunt, varia quoq; instituunt ac moliũtur, perinde quasi Deum ipsum nutrire velint: & hæc omnia nõ nisi ex seipsis, ex propria voluntate, cum vana sui complacentia, ex proprio sensu ac iudicio, & suaptè natura. Sed hæc perfectiora nõ sunt: nec tam nostris conatibus, quam nostrî resignatione, mortificatione, perditione, abnegatione ad perfectionem perueniamus. Vnde quamdiu vel vna sanguinis gutta in homine superest, neclũ mortificata & edomita, adhuc vera illi perfectio deest. Quod enim Apostolꝰ ait, *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus*: ita accipiendum est, quamdiu aliquid in homine vixerit, quod Deus non est, siue sit ipse homo, siue aliquid quodcunque tamdiu

Paradigma.

Qui potissimũ ad perfectionem veniatur. Gal. 2.

in

III. in illo Deum necdum perfectè viuere. Ter
demùm diabolicè se recipiunt instàr Lucifer
Crearat Deus Luciferum, & excellentissim
donis ac præclarissima natura eum affecera
Isa. 14. Luc. 10. Sed ingratus ille & superbus, ad seipsum cu
vana suî complacentia reflexus, esse volebat
liquid. At eodem momento tanquam fulgur
cælo deturbatus & excussus, nihil effectus e
Primi quoque parentes nostri (non enim lo
giùs exempla petere necesse habemus) mirifi
ac præclarè à Deo conditi & ordinati fuer
Gen. 3. Accessit serpens, immò diabolus in serpen
obtulit pomum Euæ, & vt ederet, verhpell
simplicem inuitauit. Recusauit illa, ne for
moreretur, & rediret in nihilum. At ille in
quus: Nequaquam, inquit, moriemini, sed er
tis. Hoc verbum, ERITIS, adeò illius natura
gratum ac plausibile fuit, adeò ad aures cord
eius personuit, atque ita denique in ea radicit
fixit, vt incunctanter nihil secum deliberans,
pomum decerperet, & decerptum contra D
mini sui præceptum manducaret. Inde nos o
mnes nihil effecti sumus: hæc causa perditio
nis omnium nostrum ad vltimum vsque ho
minem, à filijs in filios, & nepotes ac poster
eorum. Quisqui igitur esse vult, priùs à seipso
deficiat oportet. Hoc est enim salutis nostra
fundamentum, mortificare videlicet, abnega
Esse volenti quid agendū. re, perdere, nihilipendere nosipsos. Si ergo vi
esse, quod non es, priùs necesse est abneges, per
das, ac deficias ab eo quod est. Solum illud p
rissimum ac felicissimum bonum, quod est &
dicitur DEVS, in seipso est, intùs manens in
existenti essentia sua, estq; essentialis, immota,
tran-

tranquilla essentia, existens sibijpsi. Non sic creaturæ, quæ non sibijpsis, sed illi propter illum erunt. Ipse nanque & esse & operari est omnium rerum creatarum, nos autem nihil nisi in illo. Eamobrem debemus singuli nosipsos medullitùs ac profundè abnegare & relinquere. Sed quàm profundè, inquis? Ausculta. Si lapis mitteretur in pelagus infinitæ profunditatis, hauddubiè semper caderet, quia nullum attingeret fundum. Ita ergò vnusquilibet Deum amans, in ipsum DEVM, qui fundum non habet, sese altissimè demerget, atque in illo fundabit, vt quicquid illi siue foris, siue intùs acciderit, quamlibet etiam graue illud fuerit, siue afflictio, siue culpæ & defectus proprij, (in eos nanq; haud rarò ob vtilitatem nostram Deus nos cadere permittit) siue aliud quodcunque, in sit fixus in Deo, vt non solum non noceat, sed etiam profundius eum demergat in Deum, nec aliquid inde sentiat, moneatur aut contristetur in fundo suo: non seipsum aucupetur & spectet, sed solum DEVM in quem immersus est. Nam qui aliquid venatur extra DEVM, DEVM non quærit. Quid verò magis dignum, æquum & iustum est, quam vt in omnipotentem, summum, & longè dulcissimum Deum, totus hominis fauor, fundum, intentio feratur? Cui soli omnis gloria, cui iure totâ volũtas atque fidelitas omnis præstanda est, adeò vt nunquam nostrum priuatum commodum, nostram delectationem, nostri exaltationem, nostram mercedem captemus, sed ipsum solum, vt cum dilecto eius filio possimus ex sententia dicere: *Non quæro gloriam meam, sed Patris* Ioan. 8.

Humilitatis finem non esse.

Lapsus qui cur salutares.

mei. Nam si quid aliud quærimus, malè nobiscum agitur, & adhuc multum deest nobis. Sicut & vitrum quamlibet elegans, si vel tantillum habeat foramen, vt vix aciem vnius acûs capere possit, integrum non est: quantulacunque ruptura, vitri integritatem tollit. Quæso dilectissimi, non vos ista perturbent: vobis ad cælestia regna aditus patet, etiamsi ad summam perfectionem minimè pertingatis. In regno cælorum & pusilli & magni sunt: vti in terris alij gigantes & proceri, alij ita sunt debiles & infirmi, vt possint digito vno prosterni: & tamen omnes homines sunt. Sic etiam hac in parte. Inter mille vix vnus perfectus inuenitur. Quidam tam perfectè se resignârunt, vt toto anno semel tantum quandam intra se irresignationem sentiant. Tum verò meduliitùs ingemiscunt & dicunt: Heu me miserum, adhuc meipsum comperio, iam sepelisse me credebam omnem animi irresignationem. Ergóne adhuc viuit? Alij in mense semel se inuenmunt. Alij semel in hebdomada, alij semel in die. Alij denique sæpius per diem. Hi cum lachrymis cordis sui clamabunt ad Dominum, ac dicent: Eheu dulcissime Deus, quam male mecum agit? quam infinita est miseria mea! Quid tandem ex me fiet, qui toties meipsum comperio? Certè rursum incipiam, iterum atque iterum me relinquam. Iterum relinquo Mundum, denuò resumptis viribus meipsum, quantum potero, resignabo. Toties enim nosipsos mortificare, exire, deserere debemus, donec tandem resignati efficiamur. Sicut enim vna hirundo (vt dici solet) ver non efficit,

sed

sed dum cumulatim aduolant, æstas aduenire intelligitur: ita etiam semel, aut bis, aut decies sese abnegasse, homini ad perfectionem non sufficit: sed si crebrò id agatur, iterum atque iterum, tum demum ad perfectionem quandoque licebit peruenire. Sic & pueris eadem toties & tamdiu inculcantur, donec ea perfectè apprænderint. Et nos ergò si iterum atque iterum, id est, crebrò acrepetitis vicibus nos abnegauerimus, tandem in hac arte erimus perfecti, & à culpis omnibus absoluemur, ac expediemur. Sed nihil æquè nobis deesse animaduerto, vt diligentiam, & rerum labentium incuriam atque contemptum. Plerique, cum necdum à minimis inceperint, de suprema hominis perfectione sciscitantur. Vixdum verbulum vnum moderatè ferrè nôrunt, necdum creaturas & ipsos & Mundum reliquerunt, & tamen de summa perfectione percontantur. Hæc autem resignatio, sui sectatorem vacuum non reliquit, sed paupertatem spiritûs, immò virtutes omnes, secum aduehit. Porrò spiritûs paupertatem integram DEO exhibere poteris & offerre, etiamsi terrenas possideas facultates ac opes, nec quicquam inde patieris impedimenti, quod ad veram CHRISTI imitationem attinet, si tantum tria hæc, quæ subijcio, seruare curaueris, sine quorum obseruatione non est vt id te præstare posse arbitraris. Primum est, vt ex rebus possessis non nisi vitæ necessaria tibi vsurpes, haud secus quàm si eas ostiatim emendicasses, & quotidiè mendicare deberes. Secundum, vt si scias alium

Non vna hirundine ver fieri, mystic̃è quid.

Paupertas quę qui cum diuitijs consistat. Diuitiæ qui non obsint.

I.

II.

quempiam Dei amicum & hominem bonum illis indigere, liberam ei facultatem præbeas queas tam liberè eis pro ſua neceſſitate vtendi ac ſi illius verè propriæ forent: idque illi non

III. minus cupias ac faueas, quam tibijpſi. Terti vt ſi illarum fortaſſe iacturam facias, ita in animi fundo ac voluntate trãquillus & immo tus perſeueres, ac ſi eas nũquam habuiſſes. Ha tria quiſquis re vera & perfectè eſt aſſecut verè pauper ſpiritu eſt, etiamſi vel auguſtu obtineat imperium: & abſque dubio illius regnum cælorum, atque in extremi iudicij cum Chriſto iudice in ſede iudiciaria reſidebit.

Verè pauper ſpiritu, quis.

Quotquot enim in præclariſſimo veræ pa pertatis ſtatu deceſſerint, ſententiam ferent omnes illos, qui huius beatiſſimæ paupertat expertes fuerint. Notandum eſt autem, quod

Matth 5. Dominus ait, *Beati pauperes ſpiritu*: non, rebus Ille vero pauper eſt ſpiritu, quem nullæ re creatæ poſſident, nec vllæ terrenæ opes, quas poſſit adipiſci, ita eum exatiant, quin deſider ſui ſemper extendat manum, & coram Deo ſ ſtratus, illius gratiam, largam eleemoſynam, atque ipſum adeò DEVM petat humiliter. Eſt

Apophthegmata illuſtre Comitis illuſtris Aquin.

ea D. Thomæ ſententia, ſi quis terrenas facul tates ita habeat vti ſunt habendæ, eam pauper tatem quæ naturæ neceſſaria ſubminiſtrat, ex peditiorem præſtantioremque eſſe, quam qua ſingulis ea diebus oſtiatim mendicare cogit. Si quidem quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſa ria ſunt, verę paupertati nihil derogant. Et qui ea habet, nihil illi neceſſe eſt aliundè conqui rere: atque ita homo interior liberiùs ſe poteſt in Deum recipere, quandoquidem curas & af

fectus

fectus omnes rerum labẽtium excedit. D. Bernard. sua tempestate nedum alijs quibuscunq;, sed ipso etiam summo Pontifice fuit honoratior, quod tamen ille non pluris fecit, quàm lutum platearum. Est memorabilis apud D. Thom. sententia, quam paucis subiungam: Si vis, inquit, exploratum habere, num quispiam magnæ & perfectæ vitæ sit, aduerte primò, nũ ineptis & puerilibus verbis vtatur. Secundo, vtrùm honores ambiat, & contemni ac vilipendi recuset, nec id hilari ferat animo. Et si ita deprehenderis, quicquid agat, non eum putes esse perfectum: siquidem nullum habet veræ virtutis fundamentum. Nam quisquis perpeti non vult, non procul abest à ruina. Hanc spiritus paupertatem, sicut & cæteras virtutes omnes, beatissima Virgo MARIA perfectissimè obtinuit: & quicunq; eam in hoc imitari volet, quatuor sequentia diligenter obseruabit. Primum est, vt terrena omnia floccipẽdat. Secundum, vt nulla prosperitate moueatur. In hoc enim cuncta, quæ vel cogitari vel accidere queant, profectûs spiritalis detrimenta consistunt. Tertium, vt tristia quæq;, & omnia tam prospera quàm aduersa contemnat, cunctaq; ex pijs Domini manibus accipiat grato animo, non autem ex hominibus, qui non nisi instrumentum sunt DEI, quo ille operatur. Quartum, vt Deum semper in animo gerat, illius suauissimã obseruet præsentiam, & in his beatissimam Dei Genitricem imitetur, quod & illi gratissimũ, & ipsi vtilissimum est officium vel obsequium, quod illi pręclaræ Virgini possit præstari: quãquam & alia pia officia illi grata & ho-

S. Bernard. quantus adhuc viui honor.

Aliud Comitis Aquinatis apophthegma.

Quatuor quędam obseruanda.

I.

II.

III.

IV.

mini salutaria sint. Præstet nobis omnipotens DEVS, vt exemplo beatissimæ DEI genitricis indefesso conatu nobisipsos perpetim abnegare, mortificare, relinquere & exire studeamus. Amen.

AD LECTOREM.

Has licet paucas tanti viri conciones hoc loco proposuimus, vt ex ijs coniiciat pius Lector, quam deplorandum sit, reliquas hominum incuria intercidisse: cum tamen certissimum sit, egregium eum fuisse concionatorem, & sæpè ad populum summo cum laude & vtilitate declamasse. Porrò reliquos eius sermones, epistolas ac lucubrationes, quas in Thauleri operibus habentur, Lector hinc indè multis scriptis, offendet.

D. HENRICI SVSONIS VIRI SANCTISSIMI, EPISTOLAE ALIQVOT PIAE AC ERVDITAE.

AD LECTOREM PRAEFATIUNCULA interpretis.

Multas nostrûm Susonem Epistolas scripsisse dubium non est, sed has paucas solas habere licuit, quas tibi amice Lector candidè communicamus. Piæ sunt ac eruditæ, & quas non possint sine magno fructu perlegi.

Deuera

De vera ac expedita sui ad Deum conuersione, cum integro Mundi contemptu coniuncta.

EPISTOLA I.

REgnum Mundi & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei IESV CHRISTI.

Hanc ego Melodiam suauissimam, virgineamq; electæ Christi sponsæ professionem cum de te cătare audirem, ita mecum cogitabam: Meritò quidem amico ille quamuis chario hilariter potest valefacere, qui amico est chariori potitus. Quod reuerà tibi prorsus hodiè præstitum est. Itaq; fallacioso huic seculo debes alacri animo nuncium remittere. Adspice quæso, vt suis illudat amicis, suisq; amatoribus Mundus iste. Vmbram circumplexus eram, insomnium mihi desponderam, opinionem compræhenderam. Vbi nunc vmbræ figura? Vbi insomnij pollicitationes? Vbi opinionis falsæ persuasiones? Quid si vel mille annis tui dominio potitus hactenus essem Munde vanissime? An ne eu punctum breuissimum omne illud tempus iam elapsum cernerem? Nimirum hoc tibi iamolim ingenium est, fugere ac præterfluere continenter. Putabam me te iam strinxisse fortiter & amplexũ esse: atq; ecce, dũ nescio, velut anguilla ex meis dilaberis manibus, prorsusq; euanescis. Quisquis te sponte sua non prior

Mundus quomodo sui amatoribus illudat.

ipse repudiat ac deserit, eum tu tamen mox de-
Mundum, ni deseratur, deserere. seris. Age igitur latro infestissime ac insidiosissime, iam longum vale: prorsus æternum vale regnum Mundi & ornatus filiorum seculi huius. Filia mea in Christo charissima, memineris obsecro valefeciſſe te animo deliberato cũctis amicis, cognatisque tuis, itemque honoribus facultatibus: atque in hac voluntate constans perseueres. Absit vt imiteris fatuas quasdam virgines, nihil à feris beluis intra leporarium inclusis differentes: quibus dum per ostium exeundi negatur facultas, per sepes & septa ruunt. Id genus virgines partim intùs, partim foris sunt. O quantum illæ operæ ac olei pro re-
Religiosi quidam quam se perditè gerãt bus nihili perdunt. DEO seruire carceris loco habent: disciplina Monastica, ergastulum eis est: & quia pomum ipsum apprehendere nequeunt, eius odori inhiant: pro coronis rosaceis, ricas sibi imponunt picturatas: pro veste coccinea in sacco cinericeo gloriantur: atque pro legitimo illo quo Deo coniuncti sunt matrimonio, vanæ ac pernicioſæ sese dedunt hominum amicitiæ & amori, vnde tamen nihil, nisi temporis perditionem & iacturam, cordis perturbationem, & totius spiritalis vitæ ex-
Simile. terminium ac profligationem reportant. Interim crebris vltrò citroq; se compellant salutationibus, atque cum absentis amici simulacro animo suo impresso, confabulantur, perinde vt faciunt sitibundi, dum frigidam se somniãt potare aquam cumque huc atque illuc sese conuersant, nõ nisi vacuas reperiunt manus, cor mœrens, & animam Diuina gratia nudatam. Fit il-
lis vt monacho illi, cuius mattæ, quam pallij loco

loco induerat, insidens diabolus, ait ad eum irridiculè: Miser, si plus posses, plus etiã faceres. Ea profectò misera & calamitosa vita est, & tartari atrium quoddam, nõ posse Mundo prorsus frui, & nihilominus carere DEO, simul & Mundanæ ac Diuinæ esse consolationis expertem, ac vtrobique iacturam facere. Quanta illi cum ignominia & infelicitate in extremo iudicij die coram amicis iuxta ac inimicis comparebunt. At verò omnipotenti DEO studiosè obsequi & alacriter seruire, vita est omnino iucunda, secura, suauis & in præsenti & futuro seculo. Corpore quidem istiusmodi in terris degunt, at conuersatio eorum perpetim in cælis est. Reuerà iugum istud suaue est & onus leue. Et licet interdum affligantur, id tamen nihili pendendum est. Quis est enim toto orbe terrarum crucis expers? Nemo sanè. Neque qui in castris, neque qui in vrbibus commorãtur, possunt crucem omnem effugere. Non purpura, non vestis quantumuis insigni confecta panno, potest ab homine crucem abigere ac propulsare. Siquidem plerunq; forinsecus integrum apparet, quod intus planè lacerum & detritum est. Si quis igitur pati habeat ob Diuini amoris lusum suauissimum, non debet id magnipendi. Principio quidem dolet necessariasui mortificatio ac rerum omnium cõtemptio, (ita nanque dignum est) atqui paulatim fit delectabilis, atque tum cessat prior illa molestia. Redi obsecro, in memoriam superioris vitæ tuæ, cogita dies pristinos & anteactæ ætatis prolixa spatia, vide quam nimis diu dormitaueris. Perpende quæso, fuerintne omnia

Vita quorundam quam sit miserabilis.

Vita planè secura ac suauis quæ.

Phil. 3. Matth. 11. Crucis nemoem esse expertem.

illa ceu insomnia quædam, quibus tum adeò oblectabaris. Agè iam expergiscere, tempus est. Dominus toties apud te repulsam perpessus, neutiquam desistere vult. Atqui amicum dici repulisse, certè indecorum ac fœdum est. Ergò tuum illi fac patescat pectus, liceat illi tantoperè te amanti ingredi in cordis tui domicilium, oblecta te cum illo, & restaura ac sarcito tam diuturni temporis negligentias. Qui amico pulsanti tardè aperit, debet eo celeriùs ac vehementiùs properare. Non ita tecum agitur, vt cum plerisque alijs tepidis ac remissis, qui nec Deum nec Mundum admodum diligunt. Exigit Deus omnipotens, vt modis omnibus tam illi spiritali exhibeas cor tuum, quàm fuit ante Mundanum. Quicquid igitur hactenus operæ ac industriæ in id quod erat temporarium, collocâsti: deinceps in illud quod est stabile, firmum ac perenne, conferas.

Rom. 3.

Summè quidnam Deus à quouis exigat.

De humili sui abnegatione hominis DEVM amantis.

EPISTOLA II.

HAbitabit lupus cum agno. Esaiæ 11. Cum naturæ author & opifex DEVS in terras descenderat, sumpta hominis effigie, noua perpetrare volens miracula, syluestres feras effecit domitas, ac sæuas bestias mãsuescit, vt potest colligi ex Propheta Esaia. Memini me olim legisse filia in Christo charissima, quod nunc demum capio quid sibi vellit, nempè Amorem exequare inæqualia. Eam ob

Cap. 11. & 65.

obrem Veneris simulacrum cæcum & oculis captum pingi solet, quãdoquidem is qui amori cæco deditus est, rectum amittit iudicium. Quod vt in amore temporario ac mũdano verissimũ est, ita nihilominus pulchrè quadrat, atque rectiùs accommodari potest ad amorem spiritalem, vtpotè qui multos honoribus ac dignitatibus egregiè ornatos, ijsdem ipsis penitùs dispoliârit ac exuerit: adeò vt etiam quidã Reges & Principes, repudiato imperio, pauperum sese ministros fecerint, quo tenerrimo illi infantulo, ac cælesti illi amico suo sese conformarent. Age igitur filia, abijce ac proculca abditum illum animi tui fastum ex generis nobilitate nascentem, & amicorum atque cognatorum infirmas fallacesque consolatiunculas, quibus hactenùs sub quadam religionis specie perniciosè ac fallaciter vsa es, illudens planè tibijpsi, demittasque tete hodie ad dulcissimum puerulum Dominum IESVM, in præsepium humilitatis ac abiectionis illius, vt is te subuehat & exaltet in thronum gloriæ ac immensæ dignitatis suæ. *Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quæso, ex animo & viriliter istud agas filia, & sub ipsa mortalium omnium vestigia te reponas ac submittas, haud secùs quàm si quoddam sis pedum illorum involucrum. Nôsti sane, vt nihil grauatè ferat pannus eiusmodi, quo pedes obuoluuntur, vtcunque cum ipso agatur, quandoquidem pedibus tegendis destinatus est. Vera suî submissio & depressio ac abnegatio, virtutũ omniũ & totius salutis ac beatitudinis radix est: vnde porrò emer-

Amor seculi vti exuendus.

2. Cor. 9.

Humiliationis modus quis.

Abnegatio sui vt sit virtutum omniũ radix.

emergit mitis quædam & tacita tranquillitas ac tranquillum silentium, cum vera sui resignatione coniunctum, idq; æquè erga infimum, vt erga summum. Dolet profectò, sapientem ac eloquentem esse, & nihilominus in silentio se se continere: audire calumnias & obtrectationes, nec se tueri & vlcisci: hominem prudentē ac honoratum vitioso ac nullius existimationis homuncioni cedere, nec contradicere. Atqui hoc est, ad præclarissimum Christi exemplar conformari. Quid verò possit aut homini conducibilius, aut Deo laudabilius esse? Hut cumprimis facit, ori silentij frenum injcere, neque id laxare vnquam, nisi cum vera mansuetudine & rationabili moderamine ac discretione, ita vt nullus omninò proficiscatur ex ore sermo superfluus, & qui non multum necessarius sit, cedatque vel in laudem DEI, vel vtilitatem proximi. Equidem filia magnū virę rigorem abs te neutiquam exigo ob naturæ tuæ imbecillitatem. Cibi, potūs ac somni tātum capias, quantum erit corpori necessarium, permittoq; tibi earum rerum vsum, quib' pro tua infirmitate opus habes. Porrò si salua velis effici, da operam, vt in supradictis grauiter te exerceas: nec despondeas animum, si non eueniant statim omnia ex sententia. Nam qui fieri possit, vt tot rerum imagines, tot sordes, totis viginti annis in vnum aliquem congestæ locum, tam cito inde se reijci patiantur? Ac paulatim de die in diem abscedent ac emigrabunt, vbi sibi nullum viderint supereſſe locum. Sanctæ meditationes, deuotæ preces, & spiritales occupationes ac exercitia plurimum eò conferent.

Silentium oris qui seruādum quoque prouehat.

Desolatio in exercitijs

ferent. Nec est quod admodum animo prægra- spiritalibus quomodo ferenda.
ueris, si parum experiaris dulcedinis: cogites potiùs ea te indignum. Maneas aduoluta vestigijs pijssimi Domini IESV, donec sua te visitet gratia, tuique misereatur: permittas eum operari pro suo arbitratu. Crede mihi filia, multas adhuc habebis perpeti tempestates, multaque iniucunda ac nubila, antequam cælestis claritas & serenitas in te confirmetur. Quæso te, prosperisne semper successibus fruita es, cum in seculo degeres? Equidem nõ puto. Modò lætis, modò tristibus, iterumq; & molestis & iucundis afficiebaris, prout volubilis ferebat fortunæ rota. Idem ergo nihil grauatè feras erga omnipotentem DEVM, quem iure meritoque obseruare, cuique semper præsto esse debebis: cuius ira longè potior & optatior est, quàm fallax hominum amicitia & blandimẽta. Dissimulatione quadam vtere erga eum: si- Deo quatenus confidẽdum.
quidem & ille in te plurima dissimulauit. Planè confidas ei ex animo, certa quod nunquam te poterit derelinquere. Immò verò tanta illius honestas & benignitas est, vt nulla possit ratione vnquam illum deserere, qui seipsi possit totum permittere ac resignare. Fuit quidam penitùs derelictus ac destitutus omnibus illis, quæ ei potuissent temporarium aliquod solatium vel amicitiam exhibuisse. Is ergò quodã Paradigma.
tempore animi quadam hilaritate & iucunditate perfusus, secum ipse cogitabat in hũc modum: Quidnam habes cor meum, vndè adeò medullitùs hilarescis? Respondit illi homo interior: Nihil est in Mundo vniuerso, quod me gaudio afficiat: non diuitiæ, non honores, non amici,

amici, non vllæ denique seculi voluptates: sed id ego ex animo lætor, quod vsque adeò bonus est Deus, & quod ille solus est amicus meus & gaudium meum, vti ego pie spero & confido.

Neminem repente perfectionis culmen obtinere.

Tametsi filia mea paucos inuenire liceat, qui non interdum quodam tepore laborent, licèt alius plus, alius minus: attamen hac in parte est, quod te scire velim, videlicet montem esse præcelsum, ac iter lubricum, vt non possit vno impetu confici ac superari. Iterùm atque iterùm connitendum est, donec ad montis fastigium pertingatur. Mollis ac delicatus miles est, qui nimio auditûs terrore fractus retrocedit, nec statim resumptis viribus pedem eò refert vnde extulit, seseque viriliter opponit.

Paradigma.

Pugnare & confligere cum hostibus, proprium est pijs quibuslibet in hac vita mortali. Noui ego fratrem quendam professione Dominicanum, qui multis atque crebris importunisque tentationum fluctibus nonnihil repulsus atq; retrorsus reiectus, & vt ipsi videbatur, vera strenuitate ac intima animi deuotione nudatus intra seipsum se recipere, Deoque dicere solitus fuit: Quidnam mihi accidit Domine Deus? Eheu quam imprudens & nescius deorsum tetendi. Agè iam anima mea totis viribus hilariter operam demus nouis cumulãdis meritis: vetera iam prorsus euanuerunt. Atq; ita rursus incipiebat sibijpsi subtrahere, corpus castigare, hominum consortia deuitare, grauitatem ac maturitatem quandam præ se ferre, seipsum custodire, nouas effingere preces, noua assumere exercitia, viasq; omnes vnde sibi excidisse videbatur, instaurare ac facere: atq; hũc in mo-

Vt quis post lapsum renouato proposito debeat resurgere.

in modum sese noctes atque dies exercitare, donec diuino quodã feruore ac intima deuotione rursus inflammaretur ac incalesceret. Et plerunque posteriora exercitia longè felicius illi succedebant, & cumulatiorem conciliabãt gratiam, quam quæuis præcedentia. Interim sui cordis meditatione sepeliebat veterem hominem perinde, ac si nunquam fuisset: multasque tum inuenit sese custodiendi vias, quas nũquam ante cogitauerat, sicq; seipso semper prudentior efficiebatur: ac deinde iterùm relapsus rursus vt ante denuò inchoabat. Idque fortassis illi innumeris euenit vicibus. Ita nimirum aterna Sapientia per organum suum beatissimum patrem Bernardum docet, ita dicentem, hoc ipso discerni electos à reprobis, quod reprobi cùm ceciderint, non adijciant vt resurgant, electi verò mox resurgere ac proficere nitantur. Non enim potest quisquam in hac vita eodem semper gradu persistere. Facilè profectò in errorem induci potest is, qui Deo primum seruire incipit. Vt verò idem ipse in Deo stabilis ac firmus perseueret, nihil sanè vtilius illi fuerit, quam vt externas omnes occupationes, quoad poterit, recte ac ordine deuitet & subterfugiat, atque in seipsum sibi viam sternat & muniat, secumque intus maneat. Is namque cordis pacem venalem circumfert, qui absque ingenti necessitate rebus externis multum deditus est. Fertur Albertus Magnus diuisse, nunquam se ad homines accessisse, quin minor homo rediret. Quilibet ergo sese medullitus semper & vbique vniat DEO. Quod vtilius possit, det operam silentio, Diuinis

Aurea mellifluui Bernardi sententia.

Alb. Magni Apophthegma.

vacet

vacet Meditationibus, paucis vtatur verbis, fu magnis ac rigidis sit intentus operibus : quic quid ipsi Deus patiendum euenire permiserit hilariter accipiat, cunctorum hominum defe ctus patienter ferat ac dissimulet, improbos fu giat, nemini admodum familiaris sit, sensibu suis inuigilet, nulli plus satis temporis aut ver borum commodet, sese diligēter obseruet, sol Deum & Mortales omnes se deprimat, de cun ctis hominibus bene loquatur, seipsum vil pendat & accuset. DEO hilariter seruiat, pro ximis bona præbeat exempla, minima pecca æquè ac ac maxima deuitet, DEVM in cunct spectet ac intendat, atque ita tempus omne trā figat cum omnipotente DEO. Siquidem hac ratione poterit quis in DEO stabiliri, tempus recuperare perditum, ac nouos meritorum & Diuinæ Gratiæ thesauros sibi acquirere ac e mereri. Vale.

Tempus amissum vti recuperetur.

Vt ad crucem & afflictionem perferendam sponte re signare debeamus exemplo IESV Christi.

EPISTOLA III.

NIgra sum, sed formosa, Filiæ Ierusale Sicut tabernacula, &c. Cant. I.

Verba hæc animæ sunt DEVM amantis. Quod autem ad literam attinet, dicta videntur de Salomonis regis charissima coniuge, quæ quod velut Aethiopissa nigra esset, & nihilominus in tam grandi vxorum & concubinarum

rum eius numero præcipuum apud eum gratiæ locum haberet, filiabus Ierusalẽ admirationi fuit: hoc nimirum significante Spiritu sancto, hominem æquanimiter cruces ferentem, & quem DEVS perpetuis exciter aduersitatibus & afflictionibus, atque interim patienti diuinitus donatum resignatione, DEO præ cæteris chariorem esse, licet cruces ipsæ & perpessiones velut Aethiopem atrum eum apud homines reddere videantur. Attende, obsecro filia. Facile quidem est & dicere & audire de afflictionibus, sed præsens earum experimentum dolet. Homines afflicti eo nonnunquam adducuntur præ angustia, vt putare possint Omnipotem Deum sui oblitum, & quasi illi dicere queant: Ah nescis pie Deus etiamnum viuere nos? ecquid in nos cogitasti? Quî fieri potest, vt tam grauis & dura sit manus tua, quando longè pijssimum ac benigniſsimum est cor tuũ? Adhuc amicabili querimoniæ respondet Deus in hunc modum: Adspicite innumeras sanctorum myriades, cernite viuidam illam atque ornatissimam cælestis Ierusalem structuram, variis vrbis illustrissimi ac viui lapides ante sculpti, politi, & pulchrè aptati sint varijs afflictionibus, qui modò mirifico nitent fulgentque splendore. Penſate quid beatissima illa Elizabeth vidua pertulerit. Paulus & Apostoli Mũ chunius periplema fuêre. Iob & Tobias ijsdem ingressi sunt vestigijs. D. Athanasius Pontifex Alexandrinus, tanta persecutionum vi ac tempestate iactatus fuit, ac si in eius necem totus coniurasset orbis. Agedùm attendite, obsecro, vt sancti omnes aut solum cordis, aut simul

Afflictiones qui præstigandæ.

S. Elizab.

1. Cor. 4.

Athanas.

cordis & corporis sanguinẽ fuderint. Id quo
meritò contemplari debent homines affli
eiusque contemplatione gaudere, quod DE
per afflictiones suis eos velit amicis chari
mis conformare. Itaque veniat mors ipsa,
ruant in nos calamitates, cruces, torme
quando tot nobis commoda & emolume
ex perpessione proueniunt. Et quamuis in
renda afflictione non semper æque resigna
simus animo, nõ propterea salutis spes om
ablata est, nec DEI gratia amissa. Vespere
mane diem integrum efficiunt. Modo ne pe
tinaci animo aduersus Deum calcitremus
rebellemus. Cùm ergo hominis afflicti fac
palleſcit, os exaresçit, naturæ forma ac pu
chritudo marcescit, erectis in cælum lumi
Cant. 1. bus, dicat: Sicut pelles Salomonis, &c. Pelles
istæ hominem exteriorem significant regis il
lius in crucis stipitè vsq; adeò arefacti, vt nulla
ei hominis species esset neque decor. Procedat
sanè in medium, si quis vnquam similem sa
abiectionem ac miseriam perpessus est, atque
in his illi se audeat comparare. Ipsius illa vox
Psalm. 21. est in Psalmo: *Ego autem sum vermis, & non homo.*
O vermis ipso quãuis radiantissimo sole splẽ
didior, quisquis te contemplatur, conquer
certè non debet, immò verò sub quamlibet
illi occurrentem aduersitatem hilari sese a
nimo demittet. Forsitan ea in cogitatione
versaris filia, quandoquidem tam acriter
DEVS te visitare cœpit & affligere, vt pute
Sua cuique incommoda vtderi maxima. cruces tuas omnium esse acerrimas. Sed non est
cur id tibi persuadeas. Sibi quisque proximus
est, & sua incommoda propiùs experitur. Etsi
mihi

mihi nonnunquam eiusmodi subrepsêre cogitationes, quæ cruces meas præ alijs exaggerarent. Verùm id DEO committendum est. Hisce de rebus fortasse nihil ad te perscribere debuissem, nisi quod CHRISTI charitas me impellit, vt humeros meos vltrò offeram tuis vna tecum ferendis oneribus, quo tanto leuius feras. Cum miseri & inopes inter sese conueniunt, solent interim adeò se mutuis recreare sermonibus, vt famis suæ obliuiscantur. Agè bono sis animo, patiaris æquanimiter, certa hinc ingens tibi accessurum gaudium in cœlis. Vale.

Vt homines necdum in virtutibus exercitati: sibi solis intendere, atque alios neutiquam docere velle debeant.

EPISTOLA IV.

QVomodo potest cæcus cæcum ducere? Luc. 6.

Argumẽtum epistolæ sequentis.

Inter complures alios spiritales filios, quos Minister Sapientiæ (ita enim ipse se D. Henricus Suso appellat) ad Deum reduxerat, filiam habuit spiritalem, molli admodum ac instabili animo, quę & vellet & non vellet, cuperetque omnino beata effici, ac nihilo minus corpori suo commoda & oblectamẽta abundè indulgere: idq; pulchris quibusdã obtegere excusationũ velis. Illi ergo scripsit in hunc modũ: Quid tibi vis filia? Cur ita negligis & abijcis fidissimas spiritalis patris tui institutiones, vt iam ad ea rursus animum adiungas, à quibus tã

egrè vixdum te abstraxi, ex quibus animę, corporis, honoris & existimationis tuæ damna grauissima accepisti? Putásne permissum iam tibi ac licitum, quicquid libitum erit? Iámne adeò confirmata es, vt quæuis tibi permittas, indulgeas? cur non ad mentem reuocas, quæ tibi peccata condonarit DEVS? quam difficulter huc pertigeris, quàm etiamnum nihil sis atque hinc admonita, vni tibi duntaxat ingiles, alioſque omnes missos facias potiùs, quàm quenquam docere velis? Cernisne dæmonem filo Serico in collum tuum iniecto, te ad se petrahere cupientem? Nunquam antehac vel ipsam docere potuisti. Multò sanè fragiliorem quam Eua in paradiso, & iam alios ad DEVM conuertere moliris? Ita nimirum stramina, paleas ad titionem non extinctum penitus, sed nonnihil duntaxat opertum applicare vis. Sed ais, non nisi spiritali ratione id te facturam. At crede mihi filia, poterit quidem res ea à spiritu sumere initium: atqui in carnem definet. An ne satis tuo edocta es periculo? Paucáne tibi videntur aut exigua, quæ hactenus in te Deus dissimulauit, tibique remisit errata? Certè non prius ab instituto hoc animum reuocabis, donec ipsis cacodæmonis nexibus sis obligata. Sæpiùs me tibi dixisse memini: Putatis vos perquam commodè ac facetè Deum hominesque eludere, & tamen vbi res propiùs introspicitur, vosipse delusæ estis. Oportet profectò virili sis animo, omnibusq; illis quibus adhærere possis, valefacias, aut certè nunquam perseuerare poteris, sufficiat tibi, si vel sola queas Dæmonum laqueos euadere. Rem tibi gestam cómemoro.

Sibi cuique intendendũ prius.

Gen. 3.

Quid requiratur vt quis in bono vitæ ordine perseueret Paradigma.

memoro. Minister Sapientiæ die quodã egressus foras, prędam spiritalem agere mittebatur, erepturus ex dæmonum faucibus animã, eamque Christo reducturus. Præda illa, fœmina erat instituti Monastici, quemadmodum etiam tues. Animum illa suum vano ac pernicioso implicuerat amore, adeò vt se inde extricare non posset. Conabatur interim quasdam comminisci rationes, quibus sese tueretur: sed ea res nullas patiebatur excusationes. Vbi igitur ex Ministri salutaribus adhortationibus intùs moueri ac vrgeri cœpit, vt eiusmodi studijs nũtium remitteret, Deoque soli adhæreret, spretis perniciosis hominum amicitijs, maligni spiritus ea se præda rursum nudari cernentes, mirè eam diuexare cœperunt, ipsamque suî ab hominibus quos malè amauerat, auersionem admodum illi grauem & molestam reddiderunt, adeò vt ingentem in suo pectore montem sibi ferre videretur. Ea nocte absolutis nocturnis precibus, in visione Minister sibi videre visus est grandem turbam immanium auiũ ad cubiculum suum perstrepere ac ferocire, quorum erat mira deformitas, & aliæ ab alijs habitudine differebant. Itaque prę admiratione extra fenestram prospiciẽs, iuuenem quendam propiùs ipsi assistentem sciscitabatur, cuiusmodi illæ essent volucres, quænam illa esset peregrina concio. Respondit iuuenis, eas omnes non nisi dæmones esse, qui præ ira insanirent, ac furerent, quod personam illam ipsos deserere animaduerterent, atque ea de causa id loci sursum deorsum volitare, vt eius salubre perturbent propositum ac institutum, &

Visio mirabilis.

ad pristinam viuendi rationem reuocent. Deinde vbi cœpit aduentare dies, mox arrepto calamo scripsit Minister illi filiæ suæ in hæc verba: *Viriliter age*, &c. Cùm enim strenuus ac honestus miles vel nobilis seruum suum primò in arenam adducit, alacriter eum compellat, dicens: Quæso te, viriliter age, geras te fortiter, probè decerta: Ne tibi animus in pedes concidat, vt solet ignauis: Satius est honestam obire mortem, quam inhonestam vitam viuere. Vbi primum superâris impetum, deinceps leuius habebis. Eundem in modum Propheta regius Dauid CHRISTI strenuum tyronem & volentem & debentem sese in suæ conuersionis exordio à rebus caducis & temporarijs abiungere, hac ratione alloquitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui sperati in Domino*. Quod etiam inprimis tibi necessarium est filia, vt videlicet immota persistas, nec morem geras fallaciosis diaboli persuasionibus. Durissimam quidem impræsentiarum molestiam ac impressionem experiris, qua non poterit vlla tibi euenire acerbior: sed si angustam hanc absolueris semitam, propediem ad amplissimos & amœnos pertinges vitæ tranquillæ ac spiritalis campos. Vtinam fauente DEO, pro te mihi liceret in acie consistere, durosque & immanes, quos in præsens excipit afflictum & tentationibus impetitum cor tuum, in me ictus recipere: sed id non absque tuo fieret detrimento & incommodo. Ita nanque non posses vernantem illam referre palmam, quam cum alijs Christi militibus, si viceris, in perenni beatitudine feres. En quot modò iaculis cor tuum

Psalm. 26.

Nouello Christi tyroni quanta alacritate sit dimicandum. Psalm. 30.

Magno cum fructu tentationibus resisti.

tuum appetitur ac configitur, tot gemmas pre-
cioſiſſimas in tua geres corona. Itaq; filia chariſſima fac viriliter te geras, & confortetur cor
tuum, acriterqúe cum hoſte confligas. Momen- 2 Cor. 4.
taneum eſt quod pateris, at merces erit ſempiterna, ſic te geras, quaſi nec videas quippiam nec audias, donec primum hunc ſpiritalis tyrocinij tui impetum ſuperes. Poſt grandes tempeſtates plerunque ſerenior exiſtit dies. Memineris, oro, perplures alias longè te & nobiliores, & iuniores, & delicatiores, in eodem verſatas certamine, & hoſtes omnes ſumma cũ laude profligâſſe, atque ex ijs nonnullas in eo conflictu non parum diu perſtitiſſe, & atrociſſimas dæmonum impugnationes ſuſtinuiſſe, quod nunc eis maximam adfert animi voluptatem. Agè igitur filia tuam mihi porrige manum, inniteriſq; fortiter non mihi, ſed præpotẽti Deo, cuius cauſa in hoc te certamen coniecisti. Id tibi planè perſuadeas, non poſſe eum vnquam te deſerere, ſi tu illi te totam poſſis permittere & confidere. Duo ſunt, quibus ceu adminiculis quibuſdam facile cuncta ſuperabis. Primum eſt, ne cuiquam applaudas vel auſcultes, neque illum præbeas auditum, qui te vlla velit ratione à ſalubri propoſito auertere. Alterum, ne plus ſatis affabilem & vrbanam te præbeas, nec venenatæ cordis tui aſpidi lingua blandiloqua & plauſibili obſequaris. Mihi potiùs obtemperes. Siquidem eam nolis cras iterùm lexuoſis ad te mæandris irrepere, caput eius penitùs conteras, idque agas celeriter ac arte quadam. Nam ſi cauda ſola eam velis apprehendere, ſtrictiùs adhærebit tibi, & morſibus

Quibus duobus omnia faciſè ſuperentur.

acrioribus tete infestabit. Itaque omninò valere eos iubeas obfirmato prorsus animo, quoquot hactenûs animi tui pacem tam fallaciter & insidiosè perturbarunt Fugias ad DEVM: & quantùm volent campanas omnes aduersum te concrepare ac insonare finas. Noli vel semel respicere. Hac ratione machinas omnes hostiũ breui conteres, & duras animi tui compedes ac vincula subtiliter euades. Verùm vt ad teretuertar filia, (hactenus enim partim commemoraui tibi ea, quæ memoratæ virgini scripseram) est quippiam, quod tibi significare velim, sed vt placidè id feras, obsecro. Equidem in te animaduerti, nondum satis firmam & stabilem te DEO inhærere, quod ad sensus attinet, neque forti animo cunctis te etiamnum valedixisse. Atqui vnum è duobus vt eligas necesse est, vt vel careas, vel perfruaris: vt vel amittas, vel habeas: alioqui nunquam rectè constituta eris. Potestne quisquam duobus seruire dominis? Minimè gentium. Ergò saltum fac virilem, ficque fiet vt salutem consequaris, & in bono perseueres. Ex animo hominem illum repudies ac excludas. Scis quid velim: nec quicquam omninò admittas commercij, quod in eiusmodi pernicioſa amicitia possit incidere, vt est, amicum vel ie præsentem habere, aut crebris eum compellare nuntijs vel literulis aut munusculis: nec quenquam hinc te patiaris vllis vel minis vel blandimentis abducere. Constanti ac præfracto animo illorum familiaritati & contubernio nuntium remittas, qui ad eiusmodi negocium suo vel consilio vel auxilio te promouere ac pellicere nituntur.

Qua ratione spiritalis & hostiũ machinas omnes euertere, & duras animi compedes effringere valeat.

Matt. 6.

Quanta diligentia sit nimia familiaritas ac amicitia, inter sexu maximè differentes, præcauenda.

tur: aut qui eam viuendi rationem adhuc colunt, quam tu iam DEO fauente & vis & debes abijcere: tales enim absque vlla ambiguitate præsentissimum tibi toxicum sunt, vt etiam ipsa minimè ignoras. Caue ne vnquam extra tuum proficiscaris aut euageris cœnobium, neque caluas quasdam aut friuolas comminiscaris causas, quæ necessitatem quādam foràs expatiandi præ se ferre videantur. Nouit DEVS, nôrunt & homines, quid tibi inde periculi ac detrimenti acciderit. Hæc tibi continua sit cura & occupatio, vt vitam male actā pœnitentia expies & emendes, vt à multimodis libereris vitijs & defectibus tuis, vt denique cū tremendo illo iudice DEO redeas in gratiam. Certè non est vt putes satis te tuo defunctam officio, si vix summis labris spineolum attingas. Durè tibi corpus castigandum est, lingua labrica refrenanda, animus vagus ac dispersus ad sese reuocandus, ne cor tuum nihil differat à caupona vel taberna diuersoria aut œnopolio, quo se quilibet conferre potest, licetque quicquid libet aut effingi potest. Facessat procul, discedat ab animo tuo, quicquid eiusmodi rituorum est, aut reuerà nunquam poteris beatissimo DEO ac Domino tuo perfrui. Fac memineris, illum te sponsam sibi delegisse: daque operam, ne ad extremi mancipij vel vilis ancillulæ conditionem deuoluaris. Vale.

Quam periculosum sit religioso extra cœnobij limites euagari.

Quam serio te quis connectere debeat.

De ineffabili gaudio, quo Angelos angelicosq; homines afficit conuersio peccatoris.

EPISTOLA V.

Luc. 15.

EXultet iam Angelica turba cælorum. In Euangelio Dominus testatur, *gaudiũ esse angelis in cælis supe vno peccatore pœnitentem agente*. Porrò angelorum lætitia, cæleste iubilum est. Peruenit quandoque ad notitiam Ministri Sapiẽtiæ fœmina quædam mirè formosa, adeoque omnium grata & plausibilis oculis, vt multi ex ea sauciarentur: intantùm adspicientium animos ad se rapiebat. Dolebat id Ministro Sapientiæ, optabatq; summopere tanta animarum præscindere scandala, eamq; trahere ad DEVM vt inde DEVS laudaretur, atque eius personæ angelus, alijque omnes Angelici spiritus exhilararentur, & homines corrigerentur. Itaque totum se contulit ad rogandum DEVM pro illius conuersione, atque speciatim precibus pulsauit beatissimam Dei Matrem semperq; virginem MARIAM, stellam maris lucidissimam, rogans eam & obsecrans sedulò & perpetim, vt eius fœminæ Mũdo huic plus satis deditum animum & pectus, densissima vitiorum obsitum caligine illustraret, atque à noxijs abstractam, ad DEVM pertraheret. Exaudiuit illa precantem, præstitaq; est Mundano illi pectori ea gratia, ita vt subitò sese atque ex animo conuerteret ad Deum. Quæres tantam Ministri animo aduexit lætitiam, vt quasi cælesti quodam iubilo percitus, hanc illi

Ministeri Sapientiæ, vt animabus venandis insudauerit.

Preces iusti assiduę quam efficaces.

illi personæ Epistolam scriberet. Deinde multo iam elapso tempore, cùm ex omnibus suis literis pauca hæc extraheret, atque alia omnia breuitatis causa omitteret, vbi adhanc ventum est epistolam, cogitare cœpit nihil eam nisi iubilum quoddam cæleste complecti, atque ea re si homines animo sterili & duro corde eam lectitarent, prorsus insipidam illis fore: ea de causa etiam hanc ipsam epistolam reiecit. At mane sequentis diei, qui erat octauus sanctorum Angelorum, in visu spiritali perplures Angelici spiritus habitu & forma egregiorum iuuenum illi apparuerunt, obiurgantes eum, quod eam aboleuisset Epistolam, hortantesq; vt denuò illam conscriberet. Quod & fecit, ita eam inchoans: Exultet iam Angelica turba cælorum, &c. Illucescente ac irradiante clarius stella illa maris splendidissima MARIA, dispellenteque atras cordis mei tenebras, lætus & alacer eam salutaui. Eadem hora certe optatissima, in vocem exultationis fortiter prorupi, adeò vt in sublimi resonaret, dixiq;: Aue præclara maris stella, ex inexhausto omnium te amantium affectu. Inuitabam simul qui mihi apparuerant adolescentes Angelicos, vt eandẽ ipsam serenissimam maris stellam iucundis & contentis vocibus salutarent, dulcissimam, inquam, & præclarissimam cælorum reginam, quæ splendidis ac luculentis radijs suis antedictæ fœminæ cor illustrârat, posteaquã id precibus apud eam impetrare cœpissem. Excelsus animus meus amplissimas deferebat laudes in illam cælestem Ierusalẽ, obsecrabatq; eximias philomenas & dulces alaudas camporum

cæle-

cælestium, vt mecum pariter Dominum laudibus veherent ac celebrarent. Leuabam sursum oculos pleno corde, dicebamque: Exultet iam Angelica turba cælorum. O si quid vnquam tristevel aduersum pertuli, id illic omne prorsus euanuit, versabat in aureo seculo, putabam me in vernantissimis cælicæ amœnitatis & iucunditatis pratis volitare: aiebamque: Lætamini præclarissimi Angelicorum spirituum ordines, qui in cælestibus degitis pascuis, iubilate, exultate, & psallite ob allatum iucundissimum nuncium. Quæso cum admiratione adspicite: filia perdita reuersa est, filia mortua inuenta est: quæ iam emortua erat, ad vitam redijt & reuixit: pratum illud natiuum, miris florum amœnitate vernans, quod iumenta depascebant, supernaturali quodam decore reuiresci: profligata inde sunt iumenta, flores gratissimi certatim erumpunt, aditus & ostia præclusa sunt, fundus amissus suo possessori redditus est. Itaque vos cælorum organa mulca, vos cælestes citharœdi noua depromite cantica, vt per omnes vicos supernæ Ieruſalem longe lateque resonent ac percrebrescant. Quæso hoc ipso exultate cumulatius, quòd impudicissimæ Veneri Gentilium deæ, ipsum eius cor extractum est, præcipua ex eius vertice auulsa corona florea, amica alijs ad turpes illiciendos amores aptissima, prorsus obmutuit. O Munde fallacissime. O amor caduce, impure, ac fallacioſe, depone iam ceruicem. Ecquis te deinceps prædicare velit? Quem posthac tuis poteris implicare fraudibus, qui perinde sit amicabilis, vrbanus, & ad tua studia appositus?

Luc. 15.

Et

En vernans ille ramusculus tuus, quod quidē ad te attinet, iam emarcuit: at eo ipso in diuinum quendam ac spectatu dignum transijt ramulum: vnde lætantes cæli omnes & quotquot DEVM feruenter amant, laudes Deo grates q agunt, dicentes: Gloria tibi Domine, qui facis mirabilia magna solus in tot flagitiosis, deploratis ac desperatis hominibus. Quamuis enim ô dulcissime ac præpotens Domine in cūctis operibus tuis & laudabilis sis & amabilis, attamen multis modis tum laudabilior tum amabilior videris nobis præsertim miseris peccatoribus, quos adeò extra omne meritum tua prosequi misericordia, tibiq attrahere digneris. Nimirùm sanctissime Domine præ omnibus operibus tuis id te vel maximè decet, tuæq benignitati id præcipuè congruit: In eiusmodi facto tuo ferreus exactissimæ iustitiæ tuæ mons quasi scinditur ac perrumpitur. Venite iam & ad me accedite, quotquot eiusmodi Dei beneficio potiti estis, simulque contemplemur & honoremus, laudibus & præconijs efferamus immensam illam benignitatem amantissimi Domini ac indulgentissimi Patris nostri. Eià mitissime DEVS, cerne (obsecro) rem omni admiratione dignissimam. En quæ dudum amplexabantur stercora, te hodie flagrantissimo cordis affectu diligunt & complectuntur. Quæ heri alios perdebant ac pervertebant, hodie suauissimum amorem tuum alijs prædicant & loquuntur. Mirum profectò est, & auditu iucundum, vt quæ prius sese præ teneritudine ferre vix poterant, iam sibijpsis multa subtrahant ac interdicant, nouosque magni

Psalm. 71.

Deum quid maximè deceat.

Quanta Dei bonitas in verè conuersis operetur.

magni rigoris & asperitatis internarumque
tui laude exercitationum effingãt modos, q
te purè ac integrè sibi concilient: quæque n
mio, sui corporis detinebantur amore, iam
lud velut hospitis ac peregrini loco habea
& quæ hactenus omni studio sese compone
ac exornare solebant, vt tuo renuntiarent
mori, id modo vnice sitiant & concupiscan
quo possint placere tibi: atque quæ ante vel
lupi sæuissimi furoris ac iræ stimulis agitab
tur, nunc ceu ouiculæ mansuetæ, ad iniurias
liant dissimulentque: & quas pridem misera
conscientiæ diræ reprehensiones acri dolore
tristitia & angustijs velut ferreis quibusdam
vinculis obligatas premebant ac onerabant
iam alacriter sese vltra omnia, quæ possit
tus præstare Mundus, magna & fidenti expe
taque animi libertate erigant transferantque
& in illam vsque cælestem patriam iucundi
simis ac liberis mentibus subuolantes, mirentur & stupeant adeò se erga teterrimam falla
cissimi amoris Mundani noctem oculis & mente capi potuisse. Equidem mi Domine quodo
lim legeram, hîc iam reuera comperio, nempè
vbi corpus ad spiritum, & bona indoles sine
benè constituta natura ad æternitatem accom
modatur, magnam inde flammam suauissimi
Psalm. 76. amoris tui existere. Hæc reuera est Domine Je
su mutatio dexteræ tuæ: hæc sunt, Domina &
Regina cælorum, opera inexhaustæ pietatis
tuæ. Sed audi nunc filia in CHRISTO charis
sima, vt tu & ego nostrique similes, erga omni
potentem Deum nos gerere debeamus. Ita pro
fectò deinceps vitam instituere atq; exigere de
bemus,

bemus, vt nemo possit DEVM nobis eripere, atque eum in modum nos geremus, quemadmodum faceret ancilla culinaria, si eam rex potens & inclytus, suæ reginæ prætulisset. Haud dubiè ingenti ea regem gratitudine prosequeretur, amaret fidissimè, laudaret medullitùs, & quanto se cerneret indigniorem, tanto eum ardentiùs diligeret. Sic etiam nos, homines innocentes & à vitijs puros superare & excellere conabimur: & si illi vno aliquo Dominum officio coluerint, nos duplo plùs faciemus: si illi simpliciter eum amauerint, nos illum vel millies ampliùs diligemus: atq; vt olim dum animi cæcitate laborauimus, omnem nauauimus operam, vt omnium erga nos amorem prouocaremus, ita posthac cunctos ad meliora incitabimus, Deoq; summoperè placere nitemur. Reduc, oro, in memoriam filia, quam gratum nobis fuerit annis illis superioribus, quibus Mundo dediti eramus, si quis nos præ cæteris laudâsset, prædicâsset, amore & intentione prosecutus esset, vt tum quidem ipsi nobis persuadebamus. Quam igitur bene nobiscum agetur, si nos summum illud bonum DEVS Opt. Max. amore, haud vulgari & intentione prosequetur. Cogita quanto sæpè labore constiterit, amico temporario potuisse perfrui, ex quo tamen, si verba spectes, aut parum aut nihil plerunque oblectationis vel recreationis consequi licuit. Quanto ergò iustius est, etiam Deo causa aliquid laboris perpeti? Credo sanè æterna Sapientia, si te omnium interni obtutus cernerent, vti ego te intueor, caducum omnem amorem euestigiò in illis extinctum iri.

Similes.

Religionem professis quid præ vulgaribus religiosis incumbat.

Quam magnum sit amari à Deo.

Mirari

Mirari profectò satis nequeo Domine, (lic
quondam longè aliter affectus fuerim) posse a
nimum cuiusquam vlla alia in re, quam in
vastissima abysso, acquiescere. Et quare De v
pijssime te miseris illis non reuelas? Tame
fallacissimi seculi amatores quicquid in ipsi
ingratum, deforme, vitiosum est, ilicò absco
dunt: si quid verò fucatæ ac commentitiæ pul
chritudinis habent, id foras produnt ac prob
runt, multumque dolerent, quicquam in ipsi
fugere dilecti adspectum: atque vbi ad amici
sim rem omnem expendunt, non nisi facco
stercoreos sese esse reperiunt, de quibus mer
to possit cogitari: O si quis vel supremam vo
bis cutem detrahat, quam perspicuè rei veritas
eluceseeret, quàm horridum esset videre mon
strum. Tu vero præclarissima Sapientia, quod
in te amabile est, interim occultas, & exhibes
quod molestum est. Profers, inquam, quod a
cerbum est, retines quod suaue est. Sed cur id
facis IESV benignissime? Liceat mihi Dom
ne cum bona venia tua vel verbulum vnum
proloqui: nanque continere me non possum.
O si tu me charum haberes. O si tu me diligeres
IESV dulcissime. O si tuus ego amicus esse
Estne quispiam in terris, qui me pntet à Domi
no IESV amari? Adspirat eo anima mea: cor
meum exultat & agitatur, dum me vel cogito
abs te amari Domine. Vbi huius mihi in men
tem venit, tanto afficior gaudio, vt si quis mo
do obseruet, possit id in me animaduertere.
Denique quicquid intra me est, prę lætitia co
liquescit. Si mihi esset optandi facultas, nihil
neque sublimius, neque iucundius, neque opta

Mundanorũ varietas & vafricies quanta.

tius possem appetere, quam vt singulari me amore prosequaris, atque ad me singulari quadam benignitate respicias. Id verò quis dubitet regnum cælorum dicere? Oculi tui nitidissimi Domine vincunt Solis radios: diuinum ac suauissimum os tuum cuicunque innotescit, rubentesque ac candidæ genæ tuæ tam diuinæ quam humanæ naturę, ac ipsa denique elegantissima species tua longè excedit, quicquid vel optari possit in vita temporaria. Quanto purius ab omni materia disiungeris, tanto iucundiùs ac amabiliùs immenso cum gaudio conspiceris. Quicquid potest amabilitatis, decoris, pulchritudinis vlla ratione cogitari, id omne in te dulcissime DEVS vltra modum omnem reperitur. Nihil iucundum, nihil gratum aut plausibile vllo in homine potest inueniri, quod non purissima quadam ratione infinito copiosius & excellentius in te existat. Iam igitur mortales omnes videte, obsecro, & contemplamini: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem.* Papæ DEVS omnipotens, quam felix ille est, cuius tu amicus es, & qui in hac tua amicitia est æterno confirmatus. At nunc vale filia.

Sapientia æterna quo pacto iucundius menti hominis innotescat.

Cant. 5.

Vt mortem animo imperterrito excipere debeamus.

EPISTOLA VI.

ABsolon fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te? 2. Reg. 18.

Quis, inquam, fili charissime, det mihi amā-

tissimo in CHRISTO patri tuo, vt moriar p
te optimæ spei filio meo? Certè etsi corpore
licet mori, tamen corde moriar tecum Fi
cordis mei. Corpore quidem procul absu
tè, sed animus meus adstat tibi moribun
idque acerbis cum lachrymis: pijsque acam
tissimis querimonijs. Quæso te, porrige m
ægras manus tuas. Quod si ita visum est D
vt moriaris, firmiter retine fidem Catholica
& lætus moriaris. Gaudeas pulcherrimam
nimam tuam (quæ est purus, rationalis,
Deiformis spiritus) ab hoc angusto, misero
graui carcere absoluendam, ac deinceps
vllo impedimento sua beatitudine felicissim
perfruituram. Namque ipse Dominus ait: *Non videbit me homo, & viuet.* Vnum est, quod m
tos inexpertos in morte perterrere solet, e
mortem adfert acerbam & anxiam, id vide
cet, quod dum præteritos annos, dissolutam
& malè transactam vitam suam reducunt
oculos, grandi se debito DEO obligatos sen
unt, neque in illa hora satis perspiciunt, qu
ad id facere debeant. Sed hac in parte cert
tibi præstabo consilium, ex Diuinis literis d
psa veritate petitum, vt hinc possis omn
securus euadere. Siquidem in diebus tuis p
peram te vixisse nôsti, sicut pauci à vitijs
munes viuunt, inde non nimium in extre
hora terreri debes. Postquam sacramentis
clesiæ munitus es, si ea commode possis
tinere, CRVCIFIXI imaginem tibi ob oc
los statuas, eamque intuearis, & tuo appri
pectori, atque in sanguinolenta immensæ m
sericordiæ eius vulnera te reclina, obsecra

Exod. 33.

Ratio cur mortem multi metuant. Moribundo pusillanimi quid consilij aut solatij maxime conducat.

cum, vt in cruentis vulneribus suis Diuina virtute sua cuncta peccata tua abluat pro suâ laude & tua indigentia vel necessitate, ac deinde fide mea securus esto iuxta Ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ nulla ratione fallere potest, si id firmiter ita possis agere, à cunctis te mediis penitus absolutum esse, & hilariter posse mortem oppetere. Est insuper aliud quidam, quod in mortis hora considerare debeas, vt mortem ipsam eo magis possis contemnere. Regio quædam est, cuius (vt fertur) ea consuetudo est, vt dum quispiam nascitur, omnes eius cognati conueniant, acerbosq; edant ploratus, & male se habeant: dum verò quis moritur, rideant & omnigenis sese recreẽt gaudijs: idque hac significatione, neminem scire, quanta homini miseria perferenda sit, atque ideo lugent nascente homine: & quia ea morte finitur, gaudent homine moriente. Et reuerà si quis bene perpendat, hominis natiuitas, qua in hanc miserum editur Mundum, iure meritoq; mors dici potest, ob calamitates, miserias & labores illum manentes: contra verò mors corporis, meritò potest noua appellari natiuitas, ab grauis & molesti corporis depositionem, & laborum in æternam vitam accessum & introitum. Qui oculos bene apertos habet ad hæc probè agnoscenda, is facilius moritur. Qui autem hæc videre non potest, is cum grandi querimonia & angustia, magnaq; incertæ mortis acerbitate moritur. Vide, obsecro, quę sit huius Mundi calamitas, quæ cruces, quæ afflictiones, quæ angustiæ & necessitates vndique existant:

Catholicæ fidei encomiũ.

Thracũ mos peculiaris quis,

Cur meritò quis mortẽ expetere debeat.

& si nihil aliud esset, quam metus pro corpo
ac anima seruandis nos solicitans, mutabil
que huius Mundi inconstantia, meritò hi
exire appeteremus. Si quid cui prosperum
ueniat, rursus decem tristia & aduersa occu
runt. Multi sunt, qui, si quis ex eis scisciter
dicturi sint, se nullum vnquam in hac vita i
tum duxisse diem. Mundus plenus est laqueis
imposturis & infidelitate, nec quisquam alt
fidere potest: siquidem *omnes quæ sua sunt qu*
Phil. 2. *runt.* Si quis igitur ea causa diutiùs viuere app
tat, vt plura sibi possit coaceruare merita,
quidem valde incertum est, vtrum merita v
debita potiùs sibi cumulaturus sit. Abu
multum præmij habet, quisquis iucundissi
Psalm. 44. *speciosi forma præ filijs hominum* faciem semp
contemplabitur, & gratissima ciuium cæles
societate perfruetur. Si mortis hora dolet
acerba est, tamen quandoque perferenda e
Hodiernum crastino præ stare. Nemo vnquam à mortis lege exceptus est. Ita
que qui non est hodie, cras fortè multo min
aptus & paratus erit. Plerunque cum ætate
iam peccata augentur multoque plures inim
nias licet, qui deteriores quam qui meliore
fiant. Si præsens mors amara est, at omni ama
ritudini semel finem imponit. Agè igitur fi
mi, cor manus & oculos in cælestem leua p
triam, atq; ex animi affectu eam saluta. Refig
voluntatem tuam in DEI voluntatem, & n
liber hac in parte. Quicquid ille tecum age
volet, siue sit ad vitam, siue mortem, id tanq
optimum de illius manibus accipe, etiamsi n
hac vice fortassis non agnoscas. Noli timer
en sancti angeli tibi assistunt, teq; vndiq; cingu
&c.

& circumuallant: & benignissimus atque misericordissimus Deus plus quam paterno affectu ex cunctis tuis angustijs te eripiet, si tantum illius benignitati possis confidere. Vale.

Literas hasce consolatorias postquam accepit is, cui scriptæ fuerant, exhilaratus animo, iussit eas bis sibi prælegi: auditisq; tam pijs & suauibus adhortationibus, maiori sumpta fiducia, mortisq; terrore ac formidine superata, quæ eum malè vexauerat, liberè se diuinæ permisit voluntati, & sancta morte obijt.

Vt se quis in externis officijs gerere debeat.

EPISTOLA VII.

CHRISTVS factus est pro nobis obediens vsque ad mortem. Ad Phil. 2.

Quisquis id quod fit ex obedientia faciendum, detrectat, sibijpsi molestam efficit vitam. Enimuerò vel parum aliquid si inuitus facias, longè est onerosius, quam multa quæ libenti animo exæquaris. Quando igitur officium tibi demandatum absque tuo studio & appetitione Deo sic ordinante (non est enim potestas nisi a Deo, vt habes apud Apostolum) in tuos est conuectum humeros, ita illo vtaris, vt nec Deus inde iniuriam, nec tu notabilem aliquam perturbationem incurras. Partium quidem expedit adeoq; necessarium tibi est, vt inuitus fungaris hoc officio: in quo nimirum id ego euenturum tibi arbitror, vt vbi auxilio consilioque leuandum te sperabis, nihil nisi

Religiosus quisque qui suo sibi munere demandato fungi debeat. Rom. 13.

mœrorem & incommodum malumq; con-
lium reportes: atque vbi obedientes te habi-
rum subditos existimabis, rebelles & prote-
uos sentias. Quo fit, vt hac tempestate officijs
dignita fungi, eisque probè satisfacere, non
ocio gaudere, sed vitam miseram ac calamito-
sam viuere. Agè igitur recipe crucem hanc
humeros tuos, id que illius amore, qui tua ca-
sa grauissimum quondam crucis pondus in
recepit, submittasque sponte animum quan-
doquidem ita exigit voluntas eorum, quibus
est parere necesse, neque tuam vel imbecillita-
tem vel imperitiam opponas. Siquidem vbi
feceris, quod optimum esse perspexeris, bene-
rit tuo defunctus munere, etiamsi non sit hoc
optimum. In omnibus semper potior tibi cu-
sit Dei, quam emolumenti vel commodi tem-
poralis: nec permittas vnquam, modo effice-
re queas, vt vlla ex tibi commissis ouibus al-
quod animæ suæ detrimentum vel scandalum
patiatur. In obseruandis illis, quæ Monasti-
exigit vita, communis esto, ita videlicet, vt
amici æquè ac inimici iugum religionis fe-
rant. Hoc nanque pacem conciliat. Eos qui ætate sunt iuuenes, in disciplina serues: quando-
quidem malè educata iuuentus, vitæ religiosæ
exterminium est. Serius eris & grauis, sed dul-
citer tamen ac comiter, magisque amari da-
bis operam quam timeri, vt quæ iusseris, po-
tius ex amore fiant quàm formidine. Qua-
vires excedunt tuas, superioribus expone.
Vbi mordere non licet, saltem latratus quo-
dam edas. Si monasticæ vitæ disciplinam
non potest modis omnibus perfectam effice-
re, ve-

Officium seu prælaturam gerere, quid sit.

Qui suo quis muneri satis faciat.

Quomodo sit imperandum

Quanta diligentia in sibi commissis inuigilare debeat Prælatus.

re, vel id tamen cures, ne deficiat, nec graue aliquod sub te detrimentum patiatur, néve irrepat aliquid in grandem illius perniciem. Vestem antiquam & laceram si sarcire nolis, breui tota corrumpetur. Vbi spiritalia negliguntur, cito etiam temporalia pessum eunt. *Qui spernit modica, paulatim* defluit, & labitur in maxima. Subditis tuis bona semper exempla præferas, plusque factis eos doceas quam verbis. Vnum est, quod præfracto animo perferre necessario debeas, vt vbi præcipuam qualibet in re nauâris operam, alij id pessime interpretentur: & quibus vel maximè gratificare ac inseruire studueris, illi omnium in te ingratissimi sint, maximeque maleuoli. Non potest quisquam æquè placere omnibus. Quod functis placere voles, DEVM & veritatem non poteris non offendere. Improborum maledicentia, bonorum laus est. Da operam, vt intra cœnobij parietes mala contubernia vel prauam sodalitatem, foris autem perniciosam amicitiam totis viribus dissipes. Fac quod poteris, & securus eris. Væ autem cœnobio illi, vbi duo hæc negliguntur. Id nanque primò quidem pacem amitti suam, deinde verò etiam ignominiæ notam incurrit. Sed dices fortassis: Ego si sic agere velim, mox sequetur perturbatio. At ego, Felix, aio, illa perturbatio, quæ sempiternam efficit pacem. Vatillis, qui hæc negligunt ac dissimulant, vt sua possint pace gaudere. De quibus vtiq; Hieremias ait: *Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax.* Sua venantur commoda, delectantur honore

Eccl. 19.

Prælato quid potissime ferendum.

Quæ duo cœnobijs væ minentur.

Turbatio quę qua pace melior.

Hier. 6.

nore temporario, eumqué totius monastitæ honestatis iactura mercantur. Sed væ illis: receperunt enim mercedem suam. At tu fili mi horum non sectaberis exempla. Quæras potius & spectes Dei honorem, laudem & gloriam: sicut ipse Dominus IESVS vsq; adeo patris gloriam quæsiuit, vt ea causa se passus sit in crucem suffigi. Nimium querulus es: & tamen necdum ex acceptis plagis cruor per ora decurrit, quémadmodum sanctis olim martyribus accidit. Priscis temporibus non nisi optimi quique & cordatissimi viri ad huiusce modi officia deligebantur, nõ qui sua quærerent. Velles te quiete & ocio posse perfrui meditandi contemplándique gratia. Sed D. Gregor. sententia est, eum qui præsit, & actioni & contemplationi debere posse satisfacere, ita vt res postulauerit. Atqui cum ad hanc necdum prohdolor perfectionem pertigeris, tuam interim ob oculos versa exiguitatem, & superbiam summoperè deuita. Cogita quis sis, & quam breui prorsus in puluerem redigendus sis. Itaque cum es reprehensurus aliquem, prius teipsum obiurges. Studiose in eam incumbas curam, vt vincas in bono malum. Satanas satanam non expellit. Ex miti & mansueto corde tum lenia, tum dura verba proferas, prout causa exegerit. Diuinum ante omnia cultum vel maximè promoueas. Nec tui ipsius sis immemor: sed crebrò per diem ad te te redeas, & intrò te recipias, speciatim verò duabus vicibus, nempe mane & vesperi, atque interim, rerum ac negociorum externorum oblitus, sursum ad DEVM te erigas, doloresq; omnes & afflictiones tuas ex illo recipias, illi causa

Gregor.

Roman. 12. Luc. 11.

causa feras,& cum illo ac per illum superes,idque facias suauiter & quodũ recreationis modo. Poteris hoc pacto vna horula totius diei molestias deuorare & obliuisci. Perfecta vita non in eo potissimum sita est, vt consolatione abundes,sed vt voluntatem tuam diuinæ permittas ac resignes voluntati, tam in amaris quam dulcibus,humilique obedientia te submittas homini Dei erga te vices gerenti. Hac ratione pluris ego fecerim talem animi siccitatem & ariditatem,quam extra hanc,sui abnegationem,quantumuis profusam, & præ deuotione colliquescentem suauitatem. Id quod satis cõfirmat præclarissima filij DEI obedientia, quę in aridissima siti & acerbitate consummata est. Nec tamen hæc ita dicta sint, vt(quod multi faciunt)rete ad officia offerre debeas: sed vt impositum tibi iugum moderate feras, & pro viribus agas quicquid poteris. Nam si hæc tibi non esset imposita crux,fortassis alia longè deterior accidisset. DEVS omnipotens,quem intentione spectas, quique tibi hanc admouit crucem absque tuo studio, poterit haud dubiè ad præcipuam salutem & suam gloriam, eam dirigere ac moderari. Vale.

Perfectio quę in quibus cõsistat.

Matt 27.

Vt in diuinæ dulcedinis affluentia agendum sit.

EPISTOLA VIII.

ANnunciate dilecto, quia amore langueo. Cantic. 5.

Pulchra collatio.

Si quispiam cellam vinariam residens, pro

voto bene potus esset, atque alius in sterili positus campo ad asperam recubaret iuniperum, siccisque faucibus illius grana carperet, vt ægrè affectis mederetur, compellaretque vino madidus siti arescentem, vt suaues citharę modulos, qui solent in tabernis adhiberi, auscultaret, non absque stomacho is illi respondere t, Iure tu ebrius crederis, qui perinde omnes affectos esse putas atque tu es. Equidem longè aliter affectus sum: non pari vsu sumus dapside. Plenus stomachus facile capur subrigit & exhilarat. Hunc in modum videor mihi filia charissima te compellare posse, postaquam gratissimum ad me perscripsisti nuntium, flagrantissimam in tuo corde accensam facem sitientissimi & feruentissimi erga æternam sapientiam amoris, & vt nouam illa lucem & inusitata ac incomperta intra te mira operetur, in quibus cor tuum suaue sentiens vulnus, blandumque dolorem ac amorosam liquefactionem, denique & excessiuum quoddam experimentum vel mentis ex cessum, vnde nihil possis verbis proloqui: optasque à me institui, vt in his erga DEVM amicissime te gerere, & cuiusmodi erga hæc mira exhibere te debeas. Crede mihi filia, ineffabili me gaudio afficit, quòd tam blandum & amicabilem se DEVS exhibet: cuius iam & tibijpsi & quibusdam alijs certum præbet experimentum: qua de re sæpius dixisse me certus sum, nimis quàm suauem & amabilem eum esse, vtque id omnibus æque ac mihi exploratum foret, libenter me velle eius sensibili gratia fraudari. Equidem plus satis stupeo tam paucis eò te

perti-

pertigisse annis. Sed id effecit integra illa ad Deum conuersio, & perfecta à rebus caducis omnibus auersio, atque etiam seria illa strenuitas, & corporis afflictio ac castigatio, quibus expiâsti ac pessum pressisti veterem, & cuncta penitus proculcasti. Vbi quis primum vinum bibit, sapit id illi gratissimè. Ita & tibi iam euenisse puto ex syncero, præclaro ac mellitissimo æternæ Sapientiæ amore, qui te tam efficaciter penetrauit ac superauit. Porrò nihil ego aliud id significare arbitror, quam inuitare ac prouocare te velle DEVM, & propediem inexhaustum illum euocare fontem, cuius tu nũc guttulam quandam percepisti, aut certè sua eum hîc in te velle declarare mira ac stupenda opera pro sua immensa benignitate. Itaque in his ita te geras, vt eius obserues voluntatem, nulla hinc propria captans oblectamenta. Non est sanè quod his formides. Omnia ex DEO profecta sunt, & sunt Dei quidam ludus in anima: rectèque agitur, & ita est vt esse debet. Attamen virium corporis rationem habere ne omittas, ne hæc nimium te absumant. Fieri poterit, vt vbi hæc nonnihil processerint, rursus tibi vtilius auferantur, & ad perfectiora traharis ac proueharis. Visio illa iucunda, quæ tibi Dominicæ natiuitatis nocte præstita est, qua vidisti, quam luculenter æterna Sapientia modo quodam festiuo & plausibili cum Ministri anima coniuncta foret, mãdaretq; illi meritò sese hilarem & alacrem præbere, vt posset Sapientiæ Ministrum: ea, inquã, visio altos meo ex pectore extorsit gemitus. Neque enim hac ego me gratia dignum puto:

Discretionis quanta vbiq; ratio habẽda.

Visionis iucũdæ recẽsio.

sed

sed videor mihi seruus esse conductitius Domini mei, qui accinctus per densum proficiscor lutum, omnem nauans operam, vt miseros ex cœno vitiosæ vitæ extractos, ad amœna perducam loca: meritoq; sufficere mihi debet, si vel arundineum mihi præbeat adminiculũ in manum. Est tamen quod silentio præterire non ausim, nempè sæpè eum luculentam illam in me celebrasse auroram, quando cantari debuit ad Missæ initium festiua illa cantio de splendore Paternæ gloriæ, ipsa æterna Sapientia, videlicet, LVX FVLGEBIT, &c. Erat mane illius diei Minister in sacello suo, & externorum sensuum quadam potitus requie & tranquillo silentio, per visum in quoddam sibi templum adduci visus est, vbi Missæ sacrum decantaretur. In eius templi chorovel adyto frequens erat cœtus cælestium spirituum, quos eo DEVS miserat, vt cælicum quoddam modulatis vocibus carmen concinnerent. Id quod illi tum fecêre, nouam quandam & longe suauissimam succinentes melodiam, cuiusmodi nunquam ille audiêrat: eiusque tanta erat dulcedo, vt sibi videretur totus animo prę intimis gaudijs colliquescere. Speciatim verò SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, &c. tam celebriter decantabant vt & ipse vna cum illis caneret. Deinde vbi ad dictionem illam, Benedictus qui venit, peruentum est, voces Angeli mirificè exaltabant, atque tum simul etiam Sacerdos Christum leuabat, quem Minister cum submissa erga verissimam tum Diuinam tum corpoream illius præsentiam veneratione respiciebat, videbaturq; ipsi quiddam amicabilis ac intelligibi-

Alterius adhuc iucunditatis.

ligibilis splendoris ex illo ad ipsius animam proficiscí, quod quidem nulla possit lingua explicare, atque interim cor & anima Ministri nouo quodam ac flagrantissimo desiderio & intima luce vsque adeò complebatur, vt cunctis omninò viribus destitueretur. Erat id perinde, ac si cor cordi nuda quadam ac intelligibili ratione coniungatur: atque ita anima Ministri in tãtum colliquescebat, vt nullam possit illi corpoream accommodare similitudinẽ. Atque dum ita viribus destitueretur, & debilis appareret, subrisit cælestis ille iuuenis iuxta eũ assistens, quem tamen minime agnouerat. Itaque ridentem illum sic affatus est: Eheu quid ita rides? Cernisne præ amoris vehementia iam iamque viribus me destitutum iri? His dictis in terram collapsus est, perindè vt solent qui præ debilitate deficiunt viribus: dumq; collaberetur, ad se redijt, & aperiens corporis oculos, sensit eos lachrymis madidos, & animam suam luculenta completam gratia: deinde ad altare processit, vbi corpus Domini seruabatur, tacitusque eam succinebat melodiam, Benedictus qui venit, &c. etiamnum in eius anima resonantibus supradictis Angelicis & spiritualibus vocibus ac sonis. Bene vale.

Vt ad cordis pacem pertingatur in Deo.

EPISTOLA IX.

IN omnibus requiem quæsiui. Eccl. 24.

His verbis Sapiens quidem homines erraticos docet, vt inter incertos vitæ labentis cursus

Veritas suapte natura simplex & nuda est.

cursus ad pacem pertingere debeant, quoad eius fieri possit. Veritas quidem in seipsa simplex, nuda & expedita est: sed ex ipsa natura ita comparatum nobisque inditum est, vt per similitudines quasdam eam capiamus, donec corpus hoc corruptibile exuamus, & repurgatus intelligentiæ oculus, in æterni solis axem immota acie defigatur. Interim velut cæci, quidam palpamus ad parietem, incertum habentes vbi vel quomodo veritas reperienda sit: & licet ipsam iam teneamus veritatem tamen vix certi sumus nos verum assecutos, nihil ab illis diuersi, qui rem inquirunt, quam manibus retinent. Neque est mortalium quisquam in hac vita temporaria, qui penitus ab hoc modo immunis sit: siquidem peccati originalis reliquiæ sunt. Pro meo sane iudicio animæ Deum quærenti id foret optatissimum, scire quidnam potissimum ab ipsa exigat Dominus, vt illi se gratam placitamq; exhiberet, quomodo illius singulari quodam amore & familiaritate perfrueretur. Sæpe nanque animus DEI amore impensius flagrans, eò adducitur, vt mortem cupiat perpeti, quò in euentu vel re qualibet huius possit perspicuam ac discretam habere notionem. Hoc desiderium patriarcham Abrahamum compulit egredi è terra sua & cognatis suis, quãuis nesciret ipse quò pergeret, Deumq; longius quæsiuit, vt propè eũ inueniret. Idem ipsum electos omnes à mundi exordio in hanc vsq; diem incitauit ac permouit, nec permouere ac vrgere desinit. Ille nanq; amicus omnium suauissimus, fortiùs adsera-

Flagrantia diuini amoris quid in amantis agat affectu. Gen. 12.

Deus vt amãtes animas sibi conglutiner.

pit amantes animas quam adamas vllus ferrũ, ligat-

ligatq; & stringit tenacius quam vel mille funes. Felix ille & nimium felix, qui illum inuenit, nec ab inuento vnquam auertitur. Incidit hic iam animo meo sententia quædam, quam olim legisse me memini, cum naturali philosophiæ darem operam, sed minimè tunc, quid sibi vellet, assequebar. Erat autem sententia eiusmodi: Præclarus ille princeps principum simplex illa essentia mouet quidem omnia, sed immota in se permanens: ita mouet, vt decet amicum longè desideratissimum: præstat cordibus vt properent, affectibus vt cursitent. estque in se tranquillus & immobilis vt scopus quidam, cui inhiant & quò tendunt res creatæ omnes. Sed tamen non vna cunctæ ratione trahuntur, & tendunt. Cælum quidem facit immensos efficere circulos, ceruis cursum præbet celerrimum, falconibus volandi pernicitatē. Quorum omnium licet nonvnus sit modus, ad vnum tamen finem properant, qui est essentiæ ipsorum ex primi entis scopo profluentis conseruatio. Idem cernere licet in magna illa amicorum DEI hoc summum bonum participantium differentia. Quidam nanque ex eis cum ingenti currunt vitæ austeritate. Alij cum metaproperant abstractione & secessu ab hominibus. Alij cum sublimi volitant contemplatione, singuli quique ita vt trahuntur à DEO. Quid verò ex his optimum & compendiosissimū sit, non potest ex scripturis certo cognosci. Quid verò singulis quibusque priuatim ac separatim compendiosius sit, prout cuiq; cōgruit ac expedit, nec id quidem facile dici potest. Sed probare omnia, vt Apostolus ait, & per sese experiri,

Scopus entiū omniū quis.

Quanta amicorum Dei differentia.

1. Thess. 5.

Gregor. Dionysius. Exercitatio quæ quid cõferat.

experiri, vt D. Gregor. inquit, ac diuinitus illustrari, quod D. Dionysius habet, ea nimirum adminiculo sunt homini, vt possit tranquillitate animi & quiete potiri. Corporalis exercitatio confert etiam nonnihil, si non sit nimia: at vera in omnibus tum certis, tum incertis rebus resignatio suî, in supremi illius omnia scientis DEI voluntatem, hominem proculdubio extra casus & pericula omnia eripit, atque in omnibus vera eum facit pace gaudere, si modò illis rectè atque ordine vti nôrit. Quidã nonnihil susceperat ad DEI gloriam exequẽdum. Interrogatus num sciret velle Deum vti ageret, respondit: Minimè. Immò, ait, nec scire id velim. Malo esse nescius. Si nanque id scirem, nimia inde secundum spiritum delectatione fruerer: at nunc moriendũ mihi est. Homo sapiens non debet in occupationibus externis sua interna abijcere studia: nec in internis penitùs recusare externa, sed in actionibus externis operam dabit, sesèq; occupabit sanctis quibusdam desiderijs, vt celeriter ac breui intrò reuertatur: rursusque in exercitijs internis ita erit animo resignatus, vt possit etiam externis negotijs vel occupationibus satisfacere, vbi id tempus & ratio postulauerit. Ita nimirum & egredietur & ingredietur, & in omnibus requie perfruetur, vt Sapiens docet, & vtrobique anima eius pascua inueniet, & ipse Saluator ait. Hæc idcircò scripserim, quandoquidem Dominum DEVM tam longe secutus es in exilio, vt illum & propè & longè reperire scias. Nanq; in omnibus rebus ille moratur & inest. Noui ego hominem quẽdam, qui afflictionem suam

Paradigma & apophtheg. ma loco idum

Discretionis quantus vbique sit vsus.

Eccl. 11. Ioan. 10.

miserã-

miserabilem ac omnis consolationis expertẽ cum vice quadam in cruce miserãdum in modum sine vlla consolatione pendenti Domino IESV exposuisset, intùs de cruce sibi Dominũ respondentem audiuit: Volo te propterea nullius esse charum, vt mihi dilectus efficiaris: & nihilipendi ac despici te volo, vt sis meus amicus: denique ea causa vilis ac nullius eris precij apud homines, vt mihi sis honori.

Paradigma.

Despecti mũdo efficax consolatiuncula.

De purgatione, illuminatione & perfectione hominum.

EPISTOLA X.

ESTOTE perfecti, sicut & Pater vester cæleſtis perfectus est. Matth. 5.

His verbis est vsa æterna Sapientia Dominus noster Iesus Christus ad discipulos suos longè charissimos, sublimi vitæ inhiantes. Porrò D. Dionysius in libro cælestis hierarchiæ author est, inferiores angelos à superioribus purgari, illuminari, & perfici, idque totum fieri radiantissimo iubare siue micantibus radijs æterni ac supersessentialis solis, ac communicatione diuinorum effluxuum cum nouæ veritatis illuminatione siue irradiatione. Huius simile quiddam etiam in plerisq; hominibus in hac temporaria degentibus vita inuenitur. Purgatio autem ipsa in eo sita est, vt quicquid creatum est, ab animo excludatur, remoueanturq; inde rerum creatarum simulachra, adeò vt etiam ipse summus Seraphicus spiritus, vel D. Ioann. Baptista, vel quicquid demum creatum est,

Dion. Hier. 7. Inferiores angelos à superioribus purgari ac perfici.

Animi purgatio vera in quo consistat

quantum ad ipsorum imagines attinet, non in
trò admittantur, sed illis moriatur homo. Sc
hic possent homines bene fideles & simplic
errare, quamuis bona id intentione facerent
at intentio bona non semper sufficit. Olim pr
Deut. 16. Mosen Dominus præcepit, dicens: *Iustè qu*
Purgationem quid consequatur. *iustum est persequêris.* Nam si secus fiat, quo
iustum est, fit iniquum. Deinde post purgatio
nem succedit illuminatio, & luminis claritu
do. Siquidem veritas lux est, ignorantiæ tene
bras dispellens. Atque hæc lux nonnunquam
cum medio, interdum sine medio suscipitur
ipsaque animi renouat lætitiam, & diuinis
complet formis ac simulachris. Id verò quan
to copiosius præstatur homini in hac vita, u
perfectius quicquid vanum & caducum ac te
renum est, in ipso moritur, stolaque incorru
ptibilis & indeficiens futuræ illius ac æterna
lucis magis illi fit propria, ita vt tædio qua
dam ac nausea teneatur cuiuslibet rei tempo
rariæ: Vndè mox vera existit ac emergit per
fectio, quæ sita est in suprema virium vnio
cum rerum omnium principio ac origine Deo
idque per sublimem contemplationem, arden
tissimum amorem, & fruitionem suauissima
summi boni, quantum quidem permittit gra
uis corporis huius imbecillitas. Sed quatæ
corporis infirmitatem non potest anima pr
dignitate purissimo illi bono nudè semper ad
hærere, debet sanctas quasdam habere imag
nes, per quas rursum intro reducatur: inter hæ
Imaginum omnium vtilissima quæ. autem, quantum equidem capio, primas ob
vendicat ipsa D. Iesu imago & exemplar, qu
est DEVS & homo, & sanctorum omnium au
thor

thor & sanctificator: in quo vita ipsa inuenitur, in quo denique merces præcipua & summa vtilitas capitur. Atque in hanc dum quispiam transformatur imaginem, reuelata facie gloriam Domini speculatur, & tanquam à Domini spiritu transformatur à claritate dulcissimę humanitatis eius in claritatem sempiternæ diuinitatis illius. Quanto enim crebriùs cupidos cordis oculos in eum intendimus, omnemque vitam nostram illi cõformamus, eo essentiali eius beatitudine in cælis præclariùs perfruemur. Vale. 2 Cor. 3.

Depicturis & sententijs quibusdam ad Dei amorem prouocantibus.

EPISTOLA XI.

VOcatum est nomen eius Iesus. Luc. 2. Salutiferum illud nome IESVS, Minister Sapientiæ in Sacello suo fecit eleganter depingi adiectis ad illius ornatum sententijs quibusdam haud contemnendis: idque eo animo, vt corda omnium ad Dei prouocaret amorem. Atque vt homines afflicti suas voces mitius ferrent, arborem etiam quandam ceu rosas temporalium afflictionum ferentem, quæ adspectantibus non parum erat consolatoria, in eodem sacello pictura expri- mi iussit: itemque alteram arborem temporum ac Diuini amoris differentiam & effectus contrarios ex diuinis literis indicantem verbis simplicib⁹, sed Latinis. Hęc verò spiritalis eius illa vertit Germanicè, in rhythmos ea redi- Picturæ quæ quò conducant.

gens, vt homines nouarum rerum auidi, qui non possunt semper æquè esse serij, multa ad diuersa habeant amoris diuini & virtutum incitamenta.

Querimonia hominis afflicti.

COrdis sum priuatus gaudio, doloribus magnis refertus sum. Equidem conqueror miserum me esse oportere, & voluntati renunciare propriæ, ac DEI causa adhibere soluendas matutinas preces pergere, atque etiam honorem mihi ereptum omnem, & cunctis pedum inuolumentum me esse omnibus. Et canes rabidi me lacerârunt, & linguæ maledicæ famam læsêre meam. Tanta equidem perpessus sum, vt vix quisquam verbis possit consequi. DEVS ipse per capillos me arripit, quod mihi sanè permolestum est. O quam ille mei oblitus est, qui sum magnis & immensis correptus angoribus & miserijs. Meritò quidem paucos debet amicos habere DEVS, qui tam parum compati nouit.

Iob. 1. Afflictiones cui iure perferendæ 2. Tim. 3.

RESPONDET AETERNA SAPIENTIA: *Pellem pro pelle dabit homo*, quod ego profectò affirmauerim: & qui vult singulari Dei amicitia perfrui, iure debet afflictiones petere. Multa sunt illi aduersa toleranda, qui cupit esse amicus DEI. Rosas ego in illum perplures reijciam, & multas illi cruces conficiam. Quæso contemplamini inuictos martyres, qui mei amore suum fudêre sanguinem. Agedum strenui milites viriliter agite: nulla vos frangat crux vel afflictio. Facilè cruces vincit omnes, qui mente suâ æternitatem adspicit. Esto virilis

virilis & infracto animo Christi miles, certus mollem & ineffœminatum hominem nullo vnquam esse honore potitum.

De discrimine temporarij ac diuini amoris.

CORPVS LOQVITVR.

MVlta nobis de amore dicuntur: sed corpus ego amare statui. Ecquid potest esse sensibus plausibilius, quàm vina fortia, & delicati morselli?

AETERNA SAPIENTIA RESPONDET.

O cadaver putridum, merces tua pessima ac putrida est. Stolidi ac amentes tua cupiunt experiri oblectamenta, sed sapientes ea execrantur.

Amor diuitiarum & honoris loquitur.

AMicis, honoribus ac opibus affluere, ea Mundi est dulcis melodia. Quotquot ijs abundant, in magno precio habentur: quamobrem etiam ego ea appeto.

RESPONDET AETERNA SAPIENTIA.

MVndi sapientia, diuitiæ & honores multis terribiliter imponunt: bonaq; labentia animos innumeros deprauârunt. Itaq; fugiendasunt, & ad DEVM confugiendum.

Amor carnalis loquitur.

NIhil ita oblectat animum, vt forma & elegans adspectus fœminarum: quas quidem fugere molestissimum est, & ipsa morte acerbius.

RESPONDET AETERNA SAPIENTIA.

DIci non potest, quàm innumeros perdat Eccl. 9.

Fœmini obsequi & placere velle, quid inferat emolumenti

ſpecies mulierum. Aduerſum hanc nulla neque prudentia, neque virium facultas præualere poteſt: vnicum remedium eſt procul abeq; fugere. Qui verò cupit placere & obſequi fœminis, multa illi incommoda ferenda ſunt. Quod ſi nolit non habet gratiam, ſuoque fruſtratur amore. Hæc igitur attendant caueantque miſeri, & tandem ſapere diſcant. Breue gaudium & prolixus dolor, veſtis eſt amoris fœdi & vaniſſimi.

De amore diuino.

SApientia ex DEO patre genita æternum Verbum eſt in diuinitate: cuius natura & eſſentia ſimplex, prorſus eſt modi expers & incognita. Corda omnia illi inhiant, nec tamen poteſt quiſquam quicquam inde proloqui. Vincit Solis pulchritudinem & ſtellarum

Sap.2. ſplendorem. Quieſcit autem in animæ fundo, atque inibi vel millies munda anima eam amplexatur. Non patitur cor hominis vlli præterquam ſibi ſoli eſſe deditum. Meritò ſanè illius eſt ſtudendum amori, & amicæ loco aſſumenda eſt. Nuſquam illi ſimilis eſt toto orbe terrarum: eam eſſe adeptum, id planè eſt poſſidere cælum.

De ſalutifero nomine Ieſu.

Prou.18. IESVS in noſtrarum animarum intimis penetralibus charorum omnium chariſſimum eſt. IESV nomen turris fortiſſima, quæ nõ poteſt vi vlla expugnari. Nullum perinde ornat monile, vt IESV nomen ſalutiferum. Citharæ ſuauiſſimæ tinnulus reſonat ſonus, vbi IESV nomen exprimitur. O IESV pijſſime, ob honorem

norem nominis tui obliuiscere peccatorum meorum. IESVS cor meum sanciauit, cuius signum est, in illo locum eius expressum esse. IESV pijssime Domine, nomen tuum mihi sit conclaue & asylum tutissimum. Benedicat mihi Dominus IESVS nunc in extremo spiritu. Amen.

Vt salutari nomine Iesu quilibet sese consignare debeat, quo sit à malis omnibus immunis & securus.

EPISTOLA XII.

PONE me vt signaculum super cor tuum, Cantic. 8.

Omnipotens & æternus DEVS petit ab anima munda, vt ipsum ceu signaculum ponat super cor suum. Itaque quilibet sincerus DEI amator nunquam non pias quasdam imagines vel sententias animæ ore debet retinere, vnde cor illius erga DEVM permoueatur ac inflammetur. Siquidem in hac vita ea vel summa est perfectio, vt crebrò simus memores DEI, corde sæpius ad illum suspiremus, de illo frequenter loquamur, eius dicta animo affigamus, propter illum agamus & omittamus omnia, nec quenquam nisi illum duntaxat spectemus & intentione prosequamur. Omnes nostri illū amanter adspiciant, aures eius adhortationes auscultent, cor, sensus & animus amabiliter eum amplectantur. Vbi eum offendimus, precibus illum conciliemus. Dum nos cruciat, illum feramus placidè: vbi se occultat, quera-

Perfectio summa quæ.

queramus eum, nec ceſſemus vnquam donec inueniamus: Inuentum, dignè retineamus. Siue eamus, ſiue ſubſiſtamus, ſiue bibamus, ſiue edamus, monile illud præclariſſimum nominis Ieſu ſemper noſtris debet eſſe impreſſum pectoribus. Quando nihil aliud præſtare valemus, ſaltem per oculos noſtris eum infigere cordibus debemus. Nomen eius dulciſſimum ſemper in ore circumferamus, & dum vigilamus, tum ſeriò illius ſimus memores, vt dormientes inde ſomniemus: dicamuſque cum Propheta: O DEVS æternæ, ô dulciſſima Sapientia, quam bona es animæ quærenti te, & ſolam concupiſcenti. Hæc nimirum eſt omnium optima exercitatio. Enimuerò exercitiorum omnium ceu corona quædam eſt iugis oratio ad quàm cætera omnia velut ad ſcopum referuntur. Quid quæſo in cælis aliud agunt, niſi quod DEVM contemplantur, amant & laudant? Quanto igitur amabilius Dominum Deum noſtrum, æternam illam Sapientiam noſtris infigimus cordibus, quanto etiam ſæpius eam contemplamur, & vlnis cordium noſtrorum ſtringimus, tanto etiam & in hac & in futura vita ſuauius illa nos complectetur. Adſpiciamus exempli cauſa ſacratiſſimum CHRISTI Apoſtolum Paulum, vt ille nomen IESV intimis cordis ſui viſceribꝰ inſculpſerit. Nam ſimulatque caput illi præciſum fuit, tribus vicibus fertur nomen IESV pronunciâſſe. Diuus quoque Ignatius cum in ſua paſſione CHRISTI nomen idemidem compellaret, & a tortoribus cur id faceret inquiſitus, reſponderet ſuo cordi illud nomen inſcriptum eſſe, defuncti

Thren. 3.

Exercitiorũ omnium corona quæ.

S. Ignat.

Miri quiddam.

functi corpus sciderunt milites, & in eius corde aureis litteris passim exaratum viderunt nomen IESV, qui sit benedictus in secula. Amen.

Hanc extremam Epistolam filiæ suæ spiritali scripsit Minister Sapientiæ. At illa cum aduertisset multis indicijs magnam eum animi pietatem ac deuotionem & fiduciam gerere erga sacratissimum nomen IESV, didicissetque ex eodem diuina familiaritate nomen illud dulcissimum suo in pectore eum exarasse, singulari inflammata eiusdem nominis amore, vt se magis ac magis erga illud excitaret, filis sericis rubri coloris in exiguo panno candido ipsum consuit hac figura, IESVS, volens ipsa secreto illud apud sese nomen circumferre: ac deinde eiusdem schematis innumera cõfecit nomina Iesu. Cum verò Minister Sapientiæ ò peruenisset, vbi illa morabatur, rogauit eum magna animi pietate, vt ea nomina cunctis ad pectus suum applicaret diuino cum feruore ac desiderio, sibiq; ea postmodum redderet. Fecit ille vt erat rogatus. Tum ea nomen quod sibi confecerat, ad tunicam suam interiorem assuit, vbi non poterat à quoquam videri: fecitq; id eo desiderio, vt cordis sui deuotio erga DEVM augescere eo magis, maioriq; prosperitate & salute inde potiretur. Reliqua nomina per Ministrum misit cunctis eius spiritalibus filijs eo loci degentibus, vt & ipsi eadem mente ac intentione apud se illa gestarent: id quod factum est. Ipsa verò clam apud se suum tulit nomen IESV, donec vna cum eius corpore in sepulchro conditum est. Porrò ante-

Nota zelum erga nomen Iesu.

quam Dominus sanctam illius vitam felicierat obitu clausurus, contigit, Ministrum adeá postremo aduenire. Tum illa his eum verbis cõpellauit: Multa per te Pater diuinitus mihi bona præstita sunt, vt merito sempiternas debeam grates laudesque Deo agere. Sed vnum aliquid adhuc pijssimum animũm tuum obsecro, quod vt præstes mihi venerande Domine & spiritalis in Christo pater meus, te compromis oratum velim. Certum habeas, me in præcipua positam deuotione sæpiùs à Deo admonitam, vt hanc tibi precem offerrem. Itaq; Dei voluntas est, vt illi morem geras. Respondit Minister se facturum, quicquid secundũ Deum exigeret. At illa: Quisquis, inquit, mi Domine pater fidele cor tuum perinde vt Deus atq; ego perspectũ habet, auditq; ignitos sermones tuos, & flagrantissima legit scripta tua, aduertit nimirum, diuinum Iesu nomen, cuius excellentissimam dignitatem scriptura omnis commorat, tam profundè tuo infixum pectori, vt in mortales omnes noua quædam virtus inde possit etiam sensibiliter procedere. Quamobrẽ misera ego & afflicta filia tua vice omnipotentis Dei per eiusdem sacratissimi nominis dignitatem & excellentiam te obsecro, vt antequam moriaris, nec per teipsum id efficere possis, hac eadem hora manum tuam nudam imponas salutifero illi nomini, quod tuo cordi ardentissimo Dei amore insculpsisti, atq; eadem manu nobis omnibus facta cruce benedicas, quotquot tuo desiderio secum statuunt idem nomẽ Iesu quotidie semel venerari pijssima illa matutina salutatione, quæ tibi diuinitùs illuxit,

Hæc matutina salutatio habetur infrà

ipsum-

ipsumq; eadem amanter salutare, & creaturas ad eius dignissimam prouocare laudem : aut certè honorare idem nomen vna oratione Dominica, Angelicaq; salutatione & venia, vt vocant, vel humi deosculatione in laudem DEI, cui iure flectitur omne genu cælestium & terrestrium, vt pijssimus DEVS seruet eos ab omni pernicioſa aduersitate, sitque illis auxilio, vt suas afflictiones superent pro ipsius laude & eorum perenni salute ac vtilitate. Itaque cernens Minister sanctæ illius personæ seriam petitionem & deuotionem, Deiq; intelligens voluntatem, magno cum feruore nudam manum suam ad nomen Iesu aliquamdiu apposuit, ac deinde erecta manu in omnipotenti eiusdem nominis virtute crucem fecit, ingentiq; desiderio illis omnibus benedixit ac benè precatus est, qui pio affectu prędictam matutinam salutationem in nominis IESV honorem dicere vellent, rogauitq; DEVM, vt sanctum obitum & vitam illis præstet æternam.

(?)

in exercitio de æterna Sapientia, & ita incipit, Anima mea desideranit te in nocte, &c. Phil. 2.

D. HEN.

D. HENRICI SVSONIS VIRI SANCTISSIMI, DE VERITATE DIALOGUS, *vbi maxima ex parte inter se colloquuntur.*

VERITAS ET DISCIPVLVS.

CAPVT I.

ECCE enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi. Psalm. 50.

Fuit homo in Christo, qui in iuuentute sua modis omnibus sese exercitârat, quibus exercentur illi qui bonam vitam inchoant: sed interior eius homo non exercitabatur, quantum ad supremam & compendiosissimam sui resignationem attinet. Sentiebat autem ipsemet quippiam sibi deesse, licet nesciret quid id esset. Cùm ergò multis annis ita se gessisset, quodam tempore intrò receptus est, atque inibi ad seipsum reductus, eiusmodi audiuit vocem. Noueris interna animi resignatione hominem ad supremam veritatem euehi. Ista sententia etiamdum ignota & peregrina illi fuit, at nihilo minus magno eam studio complectebatur, acriterq; vrgeri cœpit, vt nósse cuperet si vel ante obitum suum eam posset fundi-

Resignatio quæ quo hominẽ euehat.

funditus habere cognitam, & perfectè exequi. Itaque intus prænonitus fuit, propositumque est illi, sub eorum forma verborum scopum ipsum falsæ latere libertatis, & immanem totius Catholicę religionis perniciem. Vnde plus satis territus, cœpit multo tempore ab ea interna inspiratione abhorrere. Quadam vice fortiter in seipsum adductus, ex diuinę veritatis irradiatione didicit, non se ob eam inspirationem extimescere debere: quandoquidem semper ita & fuerit & futurum sit, vt mala sub boni specie lateāt, nec tamen propterea reijcienda esse bona. Ita & in veteri Testamento cū per Mosen DEVS vera ederet miracula, etiam Magos suas præstigias admiscuisse. Et in Christi veri Messiæ aduentu quosdam se eodem nomine falso ostentasse. Atque hunc in modum in omnibus euenire solere, nec ea causa bona cum malis refutanda, sed bona ex malis cautè eligenda, vt ipse DEVS hortatur, vbi ait pretiosum à vili separandum: eademq; ratione internas intellectuales, quæ tamen bonæ sint, inspirationes refellendas non esse, modo illi ex quibus proficiscuntur, intellectum suum communi Ecclesiæ iudicio submittant: nec etiam sententias spirituales, quæ probatæ vitæ tertam contineant veritatem, damnandas esse, eo quod exacuant & expediant hominem, & bestiali sensu exuant, propriamque ipsi ingenuitatem, & diuinæ essentiæ excellentiam, rerumque aliarum omnium nihilum indicent, id quod merito hominem à rebus omnibus aduocat, & ad veram prouocat resignationem. Hac ratione ad priorem illam inuitationē ac impul-

Exod. 7.

Actor. 19.

Hier. 15.

Sententiæ quæ vtrum damnandæ.

impulsionem veræ resignationis, ad quam provocatus fuerat, redijt. Optauit autem ab æterna Veritate certam sibi præstari discretionẽ, quo ad fieri posset, qua internosceret eos qui ad ordinatam tendunt simpliciratem, ab illis qui ad inordinatam feruntur libertatem: discretio ex eadem virtute, quænam vera sit resignatio, qua ad destinatum posset scopum pertingere. Responsum est autem illi iuculenta quadam ratione, fieri ista debere sub expressa quadam similitudine, qua Discipulus scisscitantis, Veritas respondẽtis personam sustineret. Et principio quidem ad ipsas sacras est remissus literas scriptaque sanctorum patrum, per quos æterna veritas loquitur, vt illic inquireret & auscultaret, ecquidnam eruditissimi ac exercitissimi Patres, quibus Deus incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit, inde tradidissent atque sensissent, aut quid sancta hinc affirmaret Ecclesia Catholica, vt certæ illi veritati inhæreret. Itaque ex iam dictis eiusmodi hausit lumen & institutionem.

Psalm. 50.

Vt homo resignatus ab veritate inchoet, & in ea disponat, vtque diuina essentia anonyma & incomprehensibilis sit.

CAPVT II.

QVotquot in suam optant reduci originẽ, eos comprimis nôsse conuenit suijpsorũ & aliarum rerum omnium principium: siquidem in eodem etiam vltimus eorum finis est. Itaque sciendum, eos omnes, qui de veri-

tate

tate vnquam sermonem habuerint, in eo consentire, esse quippiam, quod omninò primum sit & simplicissimum, & quo nihil sit prius. Hanc impenetrabilem essentiam D. Dionysius Areopagita perspicuè contemplatus, ait vna cum cæteris doctoribus, eam omnino esse anonymam. Cum enim, vt tradunt dialectici, nomen rei nominatæ naturam & rationem exprimere debeat, & iam dictæ essentiæ natura infinita & immensa sit, nec possit ab vlla creatura intelligentia comprehendi, certum est apud omnes probè eruditos, essentiam modi nesciam, etiam anonymam esse. Quamobrem D. Dionysius ait, Deum non esse quicquam eorum, quæ nos illi pro creato captu possimus attribuere. Quicquid enim hac ratione illi assignatur, id quodam modo falsum est, & eius negatio vera est. Atque hinc posset æternum nihilum dici. Verum enimuerò vbi de re aliqua sermo habendus est, quamuis ea rationem & tonsiderationem omnem excedat, tamen aliquod ei assignandum est vocabulum. Huius tranquillæ simplicitatis essentia, eius vita est: atq; ipsius vita, eius essentia est. Ipsa est vitalis atque essentialis mens, seipsam intelligens, estque & viuit in seipsa, atque est suaipsius vita. Non possum hinc explicatius verbis eloqui. Hanc ego sempiternam & increatam appello veritatem, quæ est ipse DEVS: siquidem in eaſunt omnia ceu in sua origine & fonte perenni: vbi homo resignatus, & incipit & desinit ordinate introreceptus, vt deinceps declarabitur.

Diuin. Nom. cap. 7.

Myst. Theo. cap. 5.

Veritas increata quæ.

Vt in

Vt in summa vnitate possit esse personarum diuersitas.

CAPVT III.

DIscipulus hunc in modum interrogare cœpit: Equidem admiror, vnde eueniat illa appellationum diuersitas quæ Deo tribuitur, si tam est simplex in seipso: Alius enim sapientiam, alius bonitatem, alius aliud quippiam assignat, vt nobis tradunt Theologi in Symbolo de diuina Trinitate confecto. Cur non potius patimur eum esse in simplicitate sua, in qua tamen est? Mihi sic videtur, vnicuique huic vni plus satis actionum & diuersitatis attribui. Nam qui possit esse simpliciter vnum, cui tanta ineſt multiplicitas?

VERITAS respondit: Omnis hæc multiplicitas in ipso fundo non nisi simplex vnitas est. DISC. Ecquid tu fundum vel originem appellas? VER. Fundum ego dico originem, vnde emanationes proficiscuntur. DISCIP. Quid est hoc Domine? VER. Ipsa est natura & essentia diuinitatis: atque in hac inexhausta abysso personarum Trinitas redigitur in vnitatem suam, & omnis multiplicitas quodam modo illic deficit: vbi etiam iuxta hunc modum nulla est extranea actio, sed tranquilla quædam & introuersa caligo. DISC. Dic, obsecro, mi Domine, quæ diuinæ emanationis sit prima origo, & maximè propriæ illius actionis suæ, quæ est communicare sese. VER. Nimirum facultas & omnipotens virtus eius.

DISC.

Disc. Et quę illa? Ver. Diuina natura, in qua pater est existendi principium: qui hoc ipso fœcundus est generationis & operationis. Siquidem nostro more loquendo, quatenus noster capit intellectus, Diuinitas hîc in Deum profluit. Disc. Non ergo sunt vnum Deitas & Deus? Ver. Vtique vnum sunt, sed tamen Diuinitas nec generat nec operatur, Deus autem & agit & gignit. Id quod ex personarum diuersitate accidit, quas intellectus vtcunque distinguit. In ipso autem fundo vnum sunt. In diuina nanque natura non nisi essentia est, & relationes personarum nihil ad hanc essentiã adiungunt: sed ipsæ eadem sunt essentia, licet inter se distinguantur propter relationem alterius ad alteram. Nam diuina natura si secundum idem fundum suum accipiatur, non est in seipsa simplicior, quam Pater vel quæuis alia persona in eadem natura accepta. Solum imaginatio te fallit, qua sic hæc intueris, vt sunt in creaturis. In seipsa autem non nisi vnica & simplex est diuinitas. Disc. Equidem animaduerto me iam in summę simplicitatis abyssum peruenisse, vltra quam penetrare latius nemo potest, qui tamen à veritate aberrare nolit.

Deitas & Deus quomodo sint vnum, & quo differãt.

Personæ diuinæ quo distinguantur.

Vt homo & creaturæ omnes in Deo ab æterno secundum ideas fuerint, & vt ex Deo per creationem profluxerint, in quem redire deberent.

Caput IV.

Discip. Vellem scire Domine, vt creaturæ in Deo ex omni æternitate fuerint.

Exemplar quid.

VER. Fuerunt ibi vt in suo æterno exemplari. DISC. Ecquid est exemplar? VER. Sempiterna Dei essentia, quatenus per sui communicationem creaturæ se comprehendendam & cognoscendam præbet. Sunt autem creaturę omnes ab æterno secundum ideas Deus in Deo, ibi distinctæ fuêre essentialiter, sed vt dictum est, eadem cum DEO vita, essentia & potentia sunt, quatenus in DEO sunt, idemque cum ipso vnum sunt, nec illo minores. Quatenus autem ex DEO emanârunt per creationem, suam singulæ sortitę sunt substantiam propriam distinctam forma, quæ illi naturalem præbet essentiam. Forma namque præstat essentiam à diuina essentia & cæteris substantijs separatam: vt, verbi gratia, naturalis forma lapidis id ei præstat, vt peculiarem habeat essentiam suam: quæ vtique non est Dei essentia. Non enim est lapis DEVS, nec DEVS est lapis: Tametsi certum est & lapidem & omnes creatas omnes ex Deo habere id quod sunt. Atque in hoc effluxu creaturæ omnes omnipotentem & æternum obtinuêre DEVM suum. Vbi enim creatura se agnoscit creaturam, ibi Deum & creatorem suum confitetur. DISC. Estne Domine creaturæ essentia potior vbi in Deo est, quam vbi in seipsa est? VER. Essentia creaturæ quatenus in Deo est, non est creaturæ. Sed cuiuslibet creaturæ creata essentia ipsi vtilior est, quàm ea essentia, quam habet in Deo. Nihil enim propterea lapis, vel homo, quæ creatura plùs habet in sua creata essentia, quod ab æterno in DEO vnum cum DEO fuerint. DEVS nimirum res omnes pulcherrimè ordinauit.

Forma quam constituat essentiam.

Essentia Creaturæ potior quæ.

nauit. Nam singulæ quæque ad primam suam respectant originem. Disc. Vnde ergò mi Domine peccatum & iniquitas, Tartarus & ignis Purgatorius, vel dæmones & eiusmodi extiterunt? Ver. Vbi creatura rationalis vel intellectualis in suam se debebat referre originem, quæ Deus est, vnus & simplex in natura, illa ad se ipsa inordinata cum complacentia & proprietate se reflexit, & à Deo auertit: inde dæmones, tartarus & malitia omnis sumpsit exordium. Vnde infernus ac dæmones.

Dextra sui introuersione, quæ fieri debet ab homine resignato per Christum, verum Deum & hominem, & vt resignare, vnire & excedere in Deum debeamus.

CAPVT V.

Disc. Vt creaturæ emanatio ex Deo sese habeat, iam satis didici. Velim autem etiam edoceri, quomodo quis per omnia penetrare, & per Christvm in Devm transire, & beatitudinem adspici debeat. Ver. Sciendum est, Christum æterni Patris filium quoad iam cum cæteris hominibus habere cõmune, & præ cæteris quiddam peculiare. Cõmune est, natura humana, quod verus est homo. Suscepit autem naturam humanam, non personam: quod ita accipiendum est, sumpsisse eum naturam humanam in indiuisibili materia, quod Damascenus vocat, in Atomo. Atque ita susceptæ communi humanæ naturæ purissimus ille benedictæ Virginis Mariæ sanguis respondet, ex qua naturam Quid Christo cum hominibus cõmune, quid peculiare sit.

induit corpoream. Quamobrem natura hu
mana secundùm seipsam considerata, nõ pro
I. pterea quod Christus ipsam susceperit, nac
personam, id habet iuris, vt quilibet hom
ea causa eodem modo possit esse Deus & hom
Sed solus Dominus Iesus hanc obtinet nullis
lij comprehensibilem dignitatem, vt naturam
humanam ipse quidem susceperit, sed ea pu
tate, vt neque originis, neque vllum aliud
adhæserit peccatum. Vnde etiã solus ipse su
qui æternæ damnationi obnoxium humanu
II. genus posset redimere. Alterum ipsi Christ
peculiare est, quòd aliorum hominum op
meritoria, quæ cum vera sui resignatione pe
agunt, ordinant ac disponunt eos per Chris
merita ad eam propriè capessendam beatitu
Beatitudo quæ vbi consistat. nem, quæ est virtutum præmium. Atque hæ
beatitudo in perfecta consistit diuinitatis fru
tione, omni medio vel impedimento proxi
ablato. Porro vnitas cõmunicationis in Chri
sto, quandoquidem in vna est personali exis
tia, excellit vtique vnionem mentis beatorum
cum Deo. Nam ab ipso Conceptionis suæ mo
mento in virginis vtero verus Dei filius fui
adeò vt assumpti hominis suppositum, vt vo
cant, fuerit ipsum Verbum, verus Dei filius.
Cæteri homines suam subsistentiam in na
rali essentia sua habent: & quantumuis sese e
cedant, quamuis purè sese deserant, & à se de
ciant, non tamen vnquam in diuinam trans
III. unt personam, sua subsistentia amissa. Tertiu
Christi peculiare priuilegium est, quod ip
sanctæ Ecclesiæ caput est, quemadmodum
humano corpore caput sese habet erga cæt
membra

membra. Vnde scriptum est: *Nam quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quisquis igitur rite cupit redire in Deum, & Patris effici filius in CHRISTO, is cum vera resignatione a seipso ad illum se conuertat, sicque quò debet, peruenire poterit. Rom. 8

DISC. Quid est Domine vera resignatio? VER. Aduerte notabili cum discretione duas hasce voces, Seipsum resignare: quas si rectè expendere ac funditus exploratas habere, & vera cum distinctione considerare poteris, facilè veritatem apprehendes. Age principio priorem illam capiamus dictionem, nempe (Sese) Habet nimirum vnusquilibet homo quintuplex (Sese) Primum illi commune est cum lapidibus, & dicitur (esse). Alterum commune habet cum herbis, & dicitur, crescere vel viuere. Tertium cum brutis animantibus, & vocatur, sentire. Quartum, cum alijs hominibus, & est ipsa rationalis humana natura, in qua omnes homines vnum sunt. Quintum, peculiariter ad ipsum pertinet, quæ est ipsius persona secundū substantiam & accidentia. Quid ergò est, quod hominem ab eius æterna salute impedit? Extremum videlicet (Sese) vbi homo à Deo ad seipsum sese extrouertit, cum deberet introrsus redire, atque secundum sui extrouersionem proprium sibi (Sese) constituit, id est, ex cæcitate animi sibi vsurpat & vēdicat quod DEI est, atque in creaturas vitiosè sese effundit, & defluit in hac temporaria. At verò si hoc (Sese) ordinatè vellet relinquere, triplici illi interna consideratione vtendum foret. Primo intimè

SESE quotuplex quisque habeat.

Quotuplicī interna consideratione quibus vtendum.

ac profundè inſpiceret proprij (Seſe) vel eſſen
tiæ ſuæ nihilum, attẽderetque tum ſuum, tu
rerum omnium (Seſe) vel eſſentiam nihil eſſe
excludatur ab illa eſſentia, quæ eſt vnica om
nipotentis Dei virtus & facultas. Secundò no
diſſimulanter contueatur, in hac penitiſſim
ſuî à Deo diſtinctione tamen ipſum homine
ſemper propriam retinere eſſentiam, quate
extra Deum proficiſcitur: Sed curandum i
eſt, vt naturam ſuis vitijs depranatam mort
cet, abneget, & in ſuam originem, Deum vid
licet, referat. Tertia conſideratio fiat cum qu
dam abnegatione, deficientia, & libera reſigna
tione ſuî in omnibus, vbicunque ſeipſum ſp
ctauit, quatenus creatura eſt, in inquieta & m
nimè ferenda multiplicitate contra diuina
veritatem, in proſperis & aduerſis, in agend
& omittendo: ita vt magnis viribus abſq; m
do ſeſe excedat, & ſeipſo nonnunquam ſat
ſumpturus vel repetiturus deficiat, atque cu
Chriſto pervnitatem efficiatur vnus, vt ex hi
ipſo ſecundum vnitatem in illo ſemper ag
cuncta accipiat, & in hac ſimplicitate quæ
adſpiciat. Hoc reſignatum vel relictum (Sel
fit Chriſti forme EGO, quemadmodum de
Gal. 2. Apoſtolus dicit: Viuo autem iam non ego, v
uit vero in me Chriſtus. Atque id (EGO) ben
expenſum, (SESE) dixerim. Altera dictio
Reſignare quid ſibi velit. nempè Reſignare, id ſibi vult, quod debeam
noſipſos D. o dedere, vel deferere ac contem
nere, non quod poſſimus id quod ſumus, n
linquere, ita vt penitus redeamus in nihilum
ſed vt deſpiciamus noſipſos vero ex amore D
cum profundiſſima humilitate. Et hoc pacto

rectè nobiscum agitur. Dis. Laus sit veritati. Matth. 25. Psalm. 35.
Dic, oro, mi Domine, num etiam beatis resignatis hominibus nihil prorsus remaneat.
Ver. Fit procul dubio, vbi seruus bonus & fidelis in gaudium Domini sui introducitur, vt ab immensa domus Dei vbertate inebrietur. Euenit enim ei modo quodam ineffabili ceu homini ebrio, vt obliuiscatur sui, nec sit compos sui, sed à seipso penitus sibi defeciſſe videatur, atque in Deum prorsus aberret, vnus cum eo spiritus effectus, perinde vt aquæ guttula multo permixta vino, à seipsa deficit, dum gustum & colorem vini induit. Ita nimirum & illi qui perfecta fruuntur beatitudine ineffabili modo omni humano destituuntur desiderio, atque à seipsis deficientes, omninò in Dei se demergunt voluntatem. Alioqui vera non esset illa scripturæ sententia, quod Deus erit omnia in omnibus, si quippiam hominis maneret ipsi homini, quo non penitus destitueretur. Manet quidem illi sua essentia, sed alia indita forma, alia vestita gloria, alia prædita facultate. Idque illi ex profundissima sui resignatione vel derelictione cõtingit. Vtrum verùm hac vita quisquam ita se reliquerit, vt ad id perfectionis reuerà pertigerit, vt ad seipsum iam nunquam respiciat neque in prosperis, neque in aduersis, sed seipsum non nisi purè propter Deum diligat & spectet secundum perfectissimam comprehensionem, equidem non intelligo. Si quis est, qui id vita assecutus sit, procedat in medium. Pro meo captu videtur id mihi impossibile. Ex his omnibus potes eliquare tuæ quæstionis solutionẽ. Eiusmodi nanq;

Quo pacto verè beatus Deo coniungatur.

1. Cor. 15.

Relictio sui quæ, quam rara.

Resignatio quęnam hominis mortalis beatorum resignationem imitetur.

præclari hominis in hac vita vera resignatio, beatorum imitatur resignationem vel relictionem, de qua dictum est quatenus magis minusve vniti vel vnum effecti sunt. Aduertendum autem speciatim, quod dictum est, eiusmodi hominem à seipso deficere, & in aliam formam, aliam gloriam, aliam facultatem transferri. Ea verò alia forma quid est nisi diuina natura & essentia, in quam ipsi, & ipsa in eos diffunditur, vt sint vnum cum ea per gratiam, non per naturam? Quid est alia gloria, quam essentiali illo, quod minui non potest, illustrari lumine? Quid denique est alia facultas, quàm quòd ex eadem vnitate homini diuina quędam potestatur virtus & facultas ad agendum & omnia tendum quicquid ad eius salutem pertinet? Et hac ratione homo à seipso, vt dictum est, deficit. DISC. Potestne id fieri Domine in hoc seculo? VER. Potest beatitudo ante commemorata duobus appræhendi modis. Primus est secundum supremum gradum, omnem excedentem facultatem: qui non potest obtineri in hac vita. Habet enim homo adiunctum sibi corpus, cuius multiplex necessitudo non sinit hominem eo pertingere. Alter est secundum participem quandam communionem. Et hic vtique possibilis est, licèt multis impossibilis videatur: nec immeritò, quando non potest vllo sensu vel ratione compræhendi. Interim tamen nō desunt qui scribāt, inueniri homines quosdam singulariter electos & exercitatos, qui tam defæcato & deiformi sint animo præditi, vt virtutes in eis, iuxta quandam Dei similitudinem stabiles persistant, vtpote qui in primo exem-

Beatitudinis obtinendæ modi quot.

exemplaris sint transformati & translati vnitatem, atque propemodum in perfectam temporariæ vitæ adducuntur obliuionem, & in diuinam transformati imaginem, vnum cum eo effecti sint. Sed id certum est illis solis congruere, qui hâc beatitudinem in supremo gradu sint adepti, aut certè paucissimis quibusdam, ijsque longs optimis, etiamnum in corpore degentibus.

De sublimibus ac frugiferis quæstionibus, à veritate discipulo præstitis de similitudine hominis resignati.

Caput VI.

Post hæc Discipulum quædam incessit cupido cognoscendi, num quisquam vspiam tam præclarè resignatus esset homo in terris, qui per Christum reuerà esset intro receptus, vt is ipsi diuinitus innotesceret, eiusque familiari colloquio perfrueretur. Cumq; hac inseria petitione versaretur, in seipsum adductus, & supra sensus raptus, visus est sibi in regionem quandam intelligibilem duci, vbi inter cælum & terram vidit ferri quandam hominis speciem iuxta crucem benigno vultu, eiusque caput vltra crucem eminere ac radiare: & duplicis generis homines circumire crucē, non tamen ad eam accedere: atque ex his alios intus tantum inspicere hanc speciem, non foris: alios foris, non intus: & vtrosque asperitate & duritia quadam versos ad ipsam similitudinem vel speciem: tum verò demittere sese Visio.

ipsam speciem tanquam verum hominem, & iuxta ipsum residere, iubereq; vt quicquid vellet, quæreret, ad omnia responsum reportaturus. Tum ille altius ingemiscens, ita orsus est loqui: Ecquid istud est, æterna Veritas, aut quid sibi vult ista hæc visio? VER. Species quam vidisti, vnigenitum Dei filium, quatenus humanã assumpsit naturam, significat. Quod autem nisi vnam vidisti imaginem, & eam tamen infinitæ variam ac multiplicem, eos designat homines, qui eius sunt membra, qui per ipsum & in ipso effecti sunt filij Dei: sicut sunt multa membra in vno corpore. Porrò, quod caput mirificè radiare perspexisti, significat eum esse primogenitum ac vnigenitum filium, secundũ excellentissimam illam vnionem, qua in ipso humana natura diuinæ personæ vnita est. Alij verò designant pios omnes Christianos, qui transformantur in eandem imaginem, eiq; vniuntur. Cæterum crux id sibi vult, probè designatum hominem secundum interiorem ac exteriorem hominẽ, perpetuò debere totũ sese permittere ac offerre ad ea omnia, quæ illum pati & resignare velit Deus, vt vbi sese occasio obtulerit, quadam moriẽdi ratione propenso animo eam ex Dei manibus accipiat, & patiatur in laudem Dei Patris omnipotentis. Atq; eius generis homines intus præclarè admodũ, & foris rectè, securè ac probè sunt constituti. Quod verò species ipsa iuxta crucem multam præ se tulit benignitatem, id designat, homines istos quantumuis multa patiantur, præ sui resignatione hoc eos floccipendere. Quoquo autẽ se vertat caput, eo vertitur & corpus, hac nimi-

Visionis antedictæ explicatio.

Conditio hominis plenè resignati quæ

rum

rum significatione, mira esse simplicitate præditos fideles sectatores purissimæ vitæ & optimarum institutionum eius, ad quas sese fidenti animo adiungunt, eisq; se totos conformant. Illi verò qui eum intus, non foris, adspiciebãt, eorum typum gerunt, qui illius vitam solo intellectu quadam contemplandi ratione considerant, non autem modo actiuo, quo propriã mortificarẽt ac edomarent naturam vitijs depravatam, atque in eius imitatione sese exercitarent. At illi interna hac contemplatione ad naturæ voluptatem & falsam libertatem eam trahunt, ac ea se tuentur, putantq; eos rudes & plumbeos esse, qui in eadem cum eis sententia non sint. Atqui alij, qui foris duntaxat, non intus, eam intuentur, rigidæ & asperæ vitæ videntur: habentque seuera & dura exercitia, viuunt custodite atque alijs honestum præferunt viuendi exemplum. Sed intùs Christum inspicere dissimulant, cuius vita mitissima fuit. Isti verò asperi sunt erga alios, eosque facilè iudicant, & in errore versari putant, quotquot ipsorum non viuunt instituto. Itaq; dissimilem ab eo vitam gerunt, quem tamen intentione prosequuntur. Id quod potest hinc animaduerti: Si enim requirantur, statim prodũt se non esse resignati animi: nec deserũt sese, nec suæ naturæ vitiosæ moriuntur, nec in seipsis extinguunt ea, quæ propriam fouent ac tuentur voluntatem, vt est LIBENTER & INVITE, atque id genus alia: quibus propria seruatur ac propugnatur voluntas, adeò vt non pertingat homo ad veras diuinasq; virtutes, vt est, Obedientia, Patientia, Resignatio, & aliæ eiusmodi,

Duo hominũ genera à vera Christi imitatione defectentia.

Primi vt se fallant.

Secundi.

modi, quæ hominem ad Christi imitationem componunt, Christoq; conformant.

Vt beatitudo obtineatur per Christi imitationem.

CAPVT VII.

DISC. Quînam modus ille appellandus st, quo quis ad piscitur beatitudinem? VER. Potest dici modus generationis, sicut apud D. Ioannem scriptum est: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui* non nisi *ex Deo nati sunt.* Quod fit ea ratione, qua generationem vsitato more dicimus. Cum enim hoc pacto quippiam aliud generat, facit id simile sibi, atque tum essentiæ tum actionis suæ quandam illi præbet similitudinem. Itaque in homine designato, vbi solus Deus est pater vel generans, & in quo nihil nascitur temporarium cum proprietate, interni patefiunt obtutus, vt seipsum intelligat, accipitque inibi beatam planè vitam & essentiam, estque vnum cum Deo. Siquidem illic omnia vnum sunt in vno DEO. DISC. En ego montes & valles, aquam, aërem, & varias cerno creaturas: & qua tu ratione affirmas non nisi vnum esse? VER. Plus aliquid dicam: Nisi quis duo contraria simul in vno capiat siue intelligat, profectò nec tutum, nec facile est, cum illo de his colloqui. Nam vbi hæc intelligit, iam primum hac ex parte cœpit calcare viam vitæ illius, de qua ipse loquor. DISC. Quænam sunt illa contraria? VER. Aeternum nihilum, & temporaria sui existentia.

Ioan. 1.

Duo contraria simul de eodem prædicari.

DISC.

Disc. Duo contraria de eodem posse simul prædicari, omnes disciplinæ negant. Ver. Vt video, non eodem itinere vel semita nobis occurrimus. Tu alia, atque ego, pergis via. Tua quæstio ex humanis sensibus proficiscitur: & ego ex illis loquor sensibus vel sententijs, quæ omnem humanam considerationem ac intellectum excedunt. Necesse est sensibus superior euadas, si huc voles pertingere. Nam non cognoscendo veritas melius perspicitur. Ijsdem ergò temporibus mira Discipulo suî mutatio euenit, interdum namque & quidem crebrò decem vel duodecim plus minus hebdomadibus tam efficaciter sensuum externorum operatione destituebatur, vt siue inter homines, siue extra homines esset, apertis sensibus corporeis ita eorum officia sopirentur, vt per omnia in rebus omnibus non nisi simplicissimum illud vnum, quod Deus est, sentiret, omniaq; in eodem vno perciperet, absque vlla huius vel illius multiplicitate. Loquebatur tum illi veritas intus in hunc modum: Agè, quidnam accidit tibi? Num verum dixi? Respondit Dis. Plane verum. Quod ante credere nõ poteram, iam certo noui. Sed miror cur non perpetim perseueret. Ver. Fortassis nondum omninò in habitum transijt. Disc. Vbi definit, aut quò tendit hominis resignati intelligentia? Ver. Potest quis in hac vita eo pertingere, vt se vnũ intelligat in eo, qui nihil est eorum omnium quæ sensibus capi, aut verbis proferri queant. Quod nihil, communi modo Deus appellatur, qui tamen est in seipso supereſſentialissimum (vt ita dicam) ens. Atque hîc homo eiusmodi

Veritas qua ratione magis illucescat

seipsum

Deum vocari Nihil.

seipsum agnoscit vnum cum hoc nihilo, idemque nihilum ipsum perspectum habet absque actu intelligentiæ. Sed latet hic quiddam, quod penitus hortetur ingredi.

Vt in nihilo illo quod Deus est, nos amittere debeamus, quo Deus sit nobis omnia in omnibus.

CAPVT VIII.

DISCIP. Loquiturne scriptura sacra vel sanctorum Patrum monimenta de hoc ipso Nihilo, quod non ideo nihilum dicitur, quod nihil sit, sed ob suam incomprehensibilem excellentiam? VER. D. Dionysius agit de quodam anonymo, quod potest dici hoc nihilum, vnde ipse ago. Nam si quis id Deum, vel essentiam, vel quouis alio nomine appeller, nō hæc illi nomina propriè conueniunt, ita vt creaturis intelliguntur. DISC. Sed quid est occultum illud, quo vlteriꝰ intrare monet, quod ipsum huic nihilo tribuisti, vnde, pro tua sententia, existentia cuncta promanârunt? Cum sit pura simplicitas, quî potest ibi vel vlterior introitus vel exitus esse? VER. Quandiu homo intelligit vel sentit vnionem aut quippiam eiusmodi, quod possit sermone explicari, adhuc habet penitus ingredi. Nihil illud, non potest in seipsum vlterius penetrare, sed vbi supra captum nostrum, id est, sine vllis formatis luminibus vel imaginibus quæ esse queant, intelligimus, quod tamen nullus intellectus formis & imaginibus consequi potest, inde iam nihil

Dionys.

possu-

possumus verbis promere. Nam si de tali re loquamur, quæ possit ratione demonstrari, quãtumuis multa inde dicamus, non potest tamen nihilum istud declarari quid sit, etiam si duplo plures sint & doctores & codices. Quod autem hoc Nihilum sit ipse intellectus, vel essentia, vel fruitio, verum quidem est eo modo, quo inde nobis dici potest: sed reuera tam illi remotum, immo infinito remotius est, quam cælum terræ. DIS. Quidnam sibi vult, cùm dicitur: Nihilum hoc, quod Deus appellatur & gignere potest, vbi in seipsum se recipit, hominem se ab illo non posse internoscere? VER. Tum quidem Nihilum hoc in seipso nihil est, quod ad nos attinet, dum ita in nobis operatur. Vbi autem in seipsum ingreditur, quantũ ad nos spectat, iam non nouimus illud, quatenus nostra interest. DISC. Velim hinc certius edoceri. VER. Non capis efficacissimam illam à seipsa deficientem introuersionem in nihilũ illud, omnem in illa abysso distinctionem amittere, non quod ad essentiam, sed quod ad nostrum captum attinet? DISC. Moueor adhuc eo dicto, quo affirmâsti posse eò peruenire hominem in hac vita, vt se inueniat vnum in eo qui solus est. Et qui tandem id fieri possit? VER. Ait Doctor quidam æternitatem esse vitam, quæ sit supra tempus, & omne tempus in se complectatur absque præterito vel futuro, siue ante vel post: & si quis intro recipiatur in æternum illud Nihilum, eum possidere omnia in omnibus, nec habere ibi ante vel post: imò si quis hodiè intro recipiatur, eũ non breuius illic fuisse, si ad æternitatem spectes, quàm qui

Nihilum Dei nullo humano ingenio aut declarari, aut intelligi posse.

Æternitas quid.

Quis omnia in omnibus possideat.

qui ante annos mille introò admissus sit. DISC. Hanc suî intromissionem, vt scripturæ testantur, non nisi post mortem homines expectant. VER. Verum id est, si de perfecta possessione loquaris, non autem quantum ad prægustationem maiorem minorémve pertinet.

De hominis cum Deo cooperatione & vnione perfecta in hac vita.

CAPVT IX.

DISC. Sed quî se habet hominis cum Deo cooperatio? VER. Quæ inde dicta sunt non debent accipi ita vt sonant, sed secundum excessum illum, quod homo à seipso deficiens, in vnum illud, quod Deus est, se recipit ac aberrauit, atque cum illo vnum effectus est: vbi iam homo non vt homo operatur. Atque hinc intelligi potest & debet, vt istiusmodi homo res creatas omnes & omnem voluptatem inspiciat & capiat in vnitate, adeoque etiam illam voluptatem, quæ ex corporeis percipitur actionibus, sine corporali ac spirituali actione: quandoquidem ipsa idem est in antedicta vnitate. Sed aduerte hîc distinctionem quædam. Veteres illi Philosophi res naturales perueſtigabant ea duntaxat ratione, quatenus naturales habent causas, atque ita etiam inde loquebantur & differebant. Sed nostræ Religionis Doctores, itemque viri sanctitate cõspicui, ita res capiunt, vt ex Deo promanârunt, atque hominem post eius obitum in Deum reducunt, dum hîc ex eius voluntate viuunt. At verò illi introò recepti homines, ex excellentissima ac

De rebus naturalibus quõ Philosophi, quõ etiam Theologi tractent.

stabili

stabili vnitate vel vnione sui cum Deo, tam seipsos quam res omnes velut ex omni æternitate capiunt. Disc. Estne ergo quædam hîc diuersitas? Ver. Immò sanè qui rectè constitutus est, scit & fatetur se creaturam, non secundum vitia, sed vnionem suî cum Deo: & cum non esset, scit se secundum ideam in Deo fuisse idem quod Deus est. Huc facit quod legis apud D. Ioannem: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Disc. Et qua ratione potest id verò esse consentaneum, quando innuere videtur, animam duas esse res, creatam & increatam? Qui verò possit anima & creatura esse & non creatura? Ver. Non potest homo creatura esse & Deus, ita vt nos more nostro loquimur. Sed Deus trinus & vnus est. Itidem potest & homo aliquo modo, vbi seipsum in Deo amittit, esse vnum cum illo, & externa ratione vel modo contemplari & agere, & similibus esse deditus. Cuius potest ista dari similitudo: Oculus dum cernit quippiam, obliuiscitur suî: nanque ipso videndi actu vnum fit cum obiecto, & tamen in seipso permanet id quod est. Disc. Quisquis vnquam in scripturis versatus est, satis nouit animam in illud nihilum, quod Deus est, fieri transformari, aut secundum essentiam penitus interire oportere: quod tamen hîc non fit.

Ioan. 1.

Homo quatenus cum Deo vnum efficiatur, permanens homo.

Simile.

Ver. Anima semper manet creatura: sed in hoc Nihilo dum se amisit, vtrum sit creatura vel hoc Nihilum, id est, vtrum creatura sit, nec ne, id minimè hic cogitat, sicut nec hoc quidē, vtrum sit vnita Deo, necne. At vbi ratio adhuc suo potest officio fungi, ibi vtiq; id benè percipitur.

pitur. Atque hoc totũ homini permanet. DIS. Optiméne cum iſtiuſmodi homine agitur? VERIT. Optime quidem, dum id quod habet, illi non aufertur & aliud quippiam eo præſtantius donatur, ita vt idem perſpicacius intelligat manetque id illi. Attamen totum hoc, vnde diximus, ſecundum ſuî extrouerſionem aſſequi non poteſt. Nam ſi huc pertingere debeat, in ipſo ſit fundo oportet, qui in memorato latet Nihilo, vbi nihil ſcitur, nihil eſt, nullus locus eſt, ſed quicquid de eo affirmatiuè dicatur, ni niſi in illius cedit derogationem: quia quid ſit, verbis exprimi non poteſt. Ac nihilo minus iſtiuſmodi homo in ſeipſo nihil eſt, licet hęc illi cuncta permaneant, vt eſt ante dictum. DIS. Ioan. 17. Dic hoc apertius. VER. Aiunt doctores, animæ beatitudinem in eo potiſſimum ſitam eſſe dum Deum ſine medio contemplatur. Omnem ergo vitam & eſſentiam ſuam, & quicquid eſt, quatenus felix & beata eſt, ex huius Nihilo fundo haurit, & quatenus aciem mentis hîc defigit, nihil neque de cognitione, neque de amore, nec de alio aliquo dicere nouit. Tota enim ſitit & conquieſcit in vno illo Nihilo, nec niſi ſe Iam nouit eſſentiam, quæ Deus eſt, vel hoc Nihilum. Vbi verò ſcit vel cognoſcit iſtud ſe Nihilum ſcire, contemplari & intelligere, hîc foras egreditur, & naturali quodam ordine ex hoc primo ad ſe reflectitur. DISC. Velim id adhuc enucleatiùs ex ſcripturis dici. VER. Doctorum ſententia eſt, dum creatura in ſeipſa Veſpertina cognitio. cognoſcitur, eam eſſe & dici cognitionem veſpertinam: eo quòd hîc creatura quadam diſcretione conſpiciatur. Dum verò creaturæ in

De

Deo cognoscuntur, eam & appellare & esse cognitionem matutinam, quod hîc creaturæ sine vllo discrimine absque vllis formis in vno illo, quod est Deus in seipso cernantur. Matutina.

Disc. Potestne istud capere quispiam in hac vita?

Verit. Secundum rationem naturalem spiritus non video, vt id possit intelligere. At quatenus vnitus est Deo, vnitum se intelligit in eo, vbi hoc Nihilum seipso fruitur & generare potest. Quod potest fieri corpore adhuc in terris degente, si communi more loquamur: sed spiritus supra tempus translatus est.

Disc. Vnio isthæc animæ fitne per ipsam animæ essentiam, an per vires illius?

Ver. Animæ essentia cum Nihili huius essentia vnitur, & vires animæ cum ipsius Nihili actionibus, quas actiones ipsum Nihilum in seipso habet.

An peccare possit, & vt operetur homo perfectus in Deum raptus.

Caput X.

Disc. Liberatur hic homo ab omni vitio, vel potest etiam peccare deinceps, dum se creaturam intelligit, non secundum vitia, sed secundum vnionem sui cũ Deo?

Ver. Quatenus homo sibi relinquitur, potest haud dubiè delinquere, vt est apud D. Ioannẽ: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* At quatenus seipsum excessit, iam non peccat, vt idem testatur D. Ioannes in epistola sua: *Omnis*, inquiens,

Num quis omninò cũ Deo vnitus peccare possit. 1. Ioan. 1.

quiens, *qui natus est ex Deo, peccatum non facit,* 1. Ioan. 3.
quoniam semen ipsius in eo manet. Quamobrem quibusum rectè hîc agitur, ij non nisi vnum agunt opus, cum sit vna tantum generatio, vnique fundum, videlicet per vnionem. DISC. Non video vt possibile sit, hominem non nisi vnum opus efficere, quando in ipso CHRISTO gemina fuit operatio. VER. Illum ego sentio vnum duntaxat opus facere, qui ad nullum respicit opus, nisi vt diuina ac sempiterna id efficit generatio. Si DEVS pater filium suum continenter non generaret, Christus Dominus naturales actiones nullas vnquam effecisset. Vnde non nisi vnam ego sentio actionem, nisi pro humano captu velimus accipere.

DISC. Aiunt tamen Philosophi, rem nullam sua peculiari actione destitui. VER. Nec ego affirmo hominem proprias suas actiones prorsus amittere: sed eatenus eæ illi non manent, quod eas per quæsitionem propriam non attendit. DISC. Actiones humanæ quæ homini manent, quasque efficere potest creatura modo, cuiusnam sunt? ipsiusne hominis, an alterius cuiuspiam? VER. Si debeat homo ad potiora prouehi, mortuus sit oportet naturæ vitijs deprauatæ & ad seipsam semper reflexæ, atque vt in Deo spiritaliter regeneretur, & ipsa regeneratio in eo vt resurrexerit necesse est.

Nulla opera nisi per gratiam nobis prodesse.

Huius aduerte rationem: Quicquid operis agimus, vndecunque id adueniat, nisi per gratiam in nobis deuuò nascatur, nihil nobis confert: quia solius naturæ est, quæ sine gratia nihil meretur. Ista autem spiritalis regeneratio, post hominis ex gratia in DEO resurrectionem

nem non qualemcunque, sed perfectam, tam parum habet commercij cum corpore, & cum illis quæ sola natura in homine operatur, vt cum brutis animantibus eæ actiones, quæ ad hominis rationalem vitam pertinent: nihilq; ferè homini magis actitandum remanet modo actuoso, quam ante ipsius resurrectionem: sed quodam possidendi modo, id est, ex virtutis habitu diuinitus ipsi infuso sua agit opera, non naturæ, sed gratiæ ductu. Ita nimirum vinum illud factitium, quod vulgo crematum vel distillatum dicitur, non minus habet efficacis, licet tacitę, operationis, quam vinum natiuum nihil immutatum. Disc. Adfer, oro, discrimen quoddam æternæ generationis, & huius regenerationis, quę fit in homine modo supernaturali. Ver. Aeternam generationem ego appello, quod res omnes æternas causas & rationes suas habent in vnica illa omnipotenti virtute, quæ Deus est. Regenerationem verò, quæ ad solum hominem pertinet, cuiuslibet eius rei vndecunque accidentis vel occurrentis, in suam originem Deum relationem, secundum ipsius originis rationem, idque absq; vllo ad seipsum reflexu, vel respectu. Disc. Quandoquidem hac ratione anima cognitione destituitur, cessatne etiam in ea vsus omnis naturalis rerum externarum?

Quonãmodo quispiam vere resignatus in Deo, sua ęterna peragat opera.

Discrimen inter generationem æternam & regenerationem hominis spiritualem.

Ver. Cunctæ animæ vires debiliores sunt, quam vt in hoc possint Nihilum pertingere modo supradicto. At tamen vbi anima in hoc esse Nihilo amisit, vires secundum suam originem à Deo aguntur. Dis. Cuiusmodi est illa amissio, qua se quis perdit in Deo? Ver. Si di-

In Deo sese amittere, quid sit.

ligenter aduertisti, iam supra perspicuè declaratum est. Cum enim ita quis supra se rapitur vt nec seipsum, nec quicquam nôrit, totusque consopitus est in æterni Nihili fundo, merito seipsum amisisse dicitur. DISC. Deficitne etiam voluntas ipsa in hoc Nihilo? VER. Desinit quidem secundum ipsius velle. Nam quamuis libera sit voluntas, tamen tum demum vera esse adepta libertatem: quippe cui iam nihil quod velit, supereſt. DISC. Qui potest homo sua voluntate exui, cum tamen Christus suam retinuerit voluntatem, volendi (vt sic dicam) ratione? VER. Amittit homo voluntatem sic, quatenus ex proprietate nunc hoc, nunc illud vult agere. Atqui hîc nullam habet eiusmodi voluntatis actionem cum vitio coniunctam, vt est ante dictum: sed voluntas eius libertate donata est, adeò vt non nisi vnum agat opus, quod ipse est secundum vnionem, & idem tempore operatur. Quòd si quis vsitato vtendi more loqui, nihil vult mali agere, sed vult bona omnia. At propriè loquendo, omnis eius vita in Deo libertas est, quæ sine dubio illius est sustentatio, erga quam patiendi modo se habet. DISC. Voluntatis emanatio non se habet ista ratione. VER. Voluntas ista cum diuina est vnita voluntate, nec vult nisi quod ipsa est, quatenus ipsius velle in DEO est. Quod vero iam dictum est, non debet accipi, quasi homo penitus mutetur in Deum, vt plerunque sonare videtur: sed secundum quandam sui transformationem & omnimodam abnegationem: siquidem adeò hîc homo Deo vnitur, vt ipse Deus fundum eius sit. DISC. Manet etiam

Nota sanctis in hac vita voluntatem esse liberam, & vt tamen non peccent.

iam homini personæ suæ distincta essentia in huius Nihili fundo? Ver. Totum hoc intelligi debet pro hominis introreceptione, id est, secundum intuitum illum introrsus spectantem modo quodam deficiendi à seipso, nec hoc nec illud considerandi, vbi licet Deus & homo intimè coniungantur, manet tamē quisque id quod est. Vnde est apud D. Augustin. Tolle hoc bonum, tolle illud, & considera bonum in se, si potes, & illud est summum bonum, in quod tendimus. August.

Disc. Is qui secum hoc Nihilo vnum intelligit fruendi ratione, semperne id illi permanet?

Ver. Non manet id illi perpetim fruendi modo, sed tamen nunquam penitus amittitur.

Discip. Impeditúrne interior homo per externum? Ver. Si esset homo secundum corpus extra tempus, nunquam esset impedimento. Non enim esset fames, neque labor, neq; id genus pleraq; alia: sed externa spiritalis contēplatio non impedit internam, vbi libertate fruitur. Fit etiam interdum, vt quanto natura siue corpus acrius premitur, tanto veritas diuina in homine locupletius resplendeat & exuberet. Disc. Vnde trahit originem cordis grauedo vel tristicia? Ver. Si ea non nisi ex naturalibus proficiscatur causis, & interior homo liber sit, nihil pendenda est transit enim cum corpore: si autem interior fundus illi admixtus sit, non rectè habet. Disc. Vetus pariter & nouum Testamentum in hoc consentire vidētur, non posse in hac vita quemquam eo pertingere, vnde iam dictum est. Tristitia quæ qualis.

VER. Verum id est, quod ad certam possessionem & perfectam eiusdem cognitionem attinet. Quod enim hîc degustatur, illic perfectè capitur sicuti est, & vt potest vtcunque intelligi in hac vita. DISC. Is qui sempiternum suum Nihilum vtcunque intelligere incipit non per mentis excessum, sed ex auditu duntaxat, an sine hoc ipso per imagines introceptas, quid illi faciendum incumbit? VER. Quisquis nondum id adeptus est intelligentiæ, vt capiat supernaturaliter, quid sit antedictum Nihilum, in quo cuncta secundum suam proprietatem nihil fiunt, is cuncta sinat id esse quod sunt, quicquid illi occurrat, & communi Ecclesiæ Catholicæ assertioni ac dogmatibus acquiescat. Vt est cernere perplures simplices, eosque pios homines, qui vitam agant laudabilem & DEO gratam atque sanctam, nec tamen huc vocati & perducti sint. Sed quo quis propius huc accedit, eo melius. Qui verò certam est assecutus horum veritatem, is ei innitatur, nec dubitet se in recto constitutum itinere. Hæc enim veritas cum diuinis literis consentit. Alioqui periculosum fuerit eam sequi. Si quis enim hac in parte negligens sit, is vel in desperationem, vel inordinatam securitatem deuoluitur.

In quibus aberrent illi, qui falsam sectantur libertatem: & de vera discretione ac recto ordine.

CAPVT XI.

DOminica quadam die, clara luce sedit Discipulus intrò receptus & cogitabundus. Cumq

Cumque animi quodam interno silentio, & tranquillitate potiretur, species quædam rationalis vel intellectualis hominis ei occurrit, qui verbis erat acutus & subtilis, sed factis & vita nihil erat exercitatus, abundabatque miraquadam foris sese prodere gestiente perspicacitate. Eam hominis speciem ob inusitatum illius loquendi modum, placet hîc ferum vel monstrosum hominem, vel potius monstrum appellare. Viso igitur monstro, ait ille Discipulus: Vnde venis? Respondit MONSTRVM: nunquam inde recessi. DISCIP. Quid es tu? MON. Nihil sum. DISC. Quid tibi vis? MON. Nihil volo. DISC. Mira loqueris. Dic quî voceris. MON. Anonymum, equidem monstrum appellor. DISC. Rectè tu quidem monstrum diceris, quando verbis adeo monstrosis ac peregrinis vteris. Dic quis tuæ sit scopus intelligentiæ vel rationis. MON. Ociosa libertas. DISC. Ecquid tu vocas ociosam libertatem? MON. Dum quis pro suæ voluntatis libidine vivit absque contradictione, absq; vlla præteriti vel futuri consideratione & solicitudine. DISCIP. Procul aberras à veritatis tramite. Eiusmodi nanque libertas ab omni hominem salute abducit, & vera cum libertate priuat. Nondum discernere nouisti veram à falsa libertate: Equidem de vera libertate loquor: tu contra de falsa loqueris. Erras igitur. Qui enim discretione caret, is nec ordinem seruat. Quicquid autem verum ordinem non habet, vitio obnoxium est. Vnde ipse Dominus Iesus ait: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Qui verò pura conscientia, & custodita viuendi ratio-

Falsa libertas quæ.

Ioan. 8.

Quis vera libertate potiatur.

rationeingreditur in Christum, seipsum examinemo resignãdo, is veram obtinet libertatem, vt idem Dominus affirmat: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. MON. Quid tu ordinatum vel inordinatum appellas? DISC. Ordinatum ego dico, cùm ex ante memoratis vtutibus, & ad rem pertinentibus nihil omittitur, neque foris neque intus. Inordinatum vero sentio, si quid horũ prætermittatur. MON. Ociosa libertas his omnibus nuncium remittere, eaque neglectui habere debet. DISC. Et temeritas cum omni veritate pugnat è diametro, estque similis falsæ libertati: vtpote quæ illum deserit ordinem, quem æternum illud Nihilum quod Deus est, quadam generandi fœcunditate, vel communicandi ratione rebus omnibus attribuit. MON. Quisquis in sno æterno Nihilo redijt in nihilum, discretionẽ non nouit. DISC. Sempiternum illud Nihilum quod cunctis bene cõstitutis mentibus vel cuilibet rectæ rationi satis constat, non ideo nihilum dici, quod non sit, sed ob excellentissimam suam essentiam, hoc, inquam, nihilum in seipso minimum distinctionis habet secundum essentiam: quatenus verò fœcundum est, ex ipso rerum omnium ordinata proficiscitur discretio. Nec vnquam adeò homo in hoc nihilum redigitur in nihilum, quin sensibus eius propriæ originis discretio, & rationi sui electa maneat, tametsi in primo suo fundo hæc non attendantur, vel respiciantur. MON. Quid igitur cuncta hæc non aliunde quam in eodem & ex eodem fundo capiantur? DIS. Id rectè fieri non possit. Non enim in eo duntaxat fundo

Ioan. 8.

Ordinatum aut inordinatum quid.

sunt

sunt, sed etiam in seipso totus homo est creata quædã essentia, manetq; id quod est. Atq; ita etiã accipi debet. Quod si ita discretioni destitui diceretur secundum essentiam, sicut profertur, non posset tolerari: sed id non fit, vt supradictũ est: cuius debet apud nos semper esse sanum discrimen. MON. Ex alijs didici, eximium quendam doctorem omnem reijcere discretionem. DIS. Quod tu dicis omne eum discrimẽ negare, sid de diuinitate accipis, posset intelligi, loqui eum de personarum discretione in fundo vnitatis, vbi non sunt distinctæ personæ, sed non quatenus mutua est inter ipsas relatio: vbi proculdubio personalem distinctionẽ admittunt. Sin verò de hominis in Deum recepti deificẽtia id intelligis, inde iam superius dictum est, vt hoc accipiendum sit nõ secundum essentiam, sed nostrum dicendi modum. Simul etiã hic aduertas, aliud esse separationem, aliud distinctionem: vt notum est, corpus viuum ab anima non separari, cum sit anima inserta corpori, nec possit viuere corpus ab anima separatum: sed distincta est anima à corpore: neque enim corpus est anima, nec anima corpus est. Ita ego sentio rem nullam posse ab illa simplici essentia separari, cum ea rebus omnibus essentiã subministret: sed distinguuntur vtique à Deo, quando diuina essentia non est eadem cum lapidis essentia, nec ediuerso: neque vnius creaturæ essentia, etiam alterius est essentia. MON. Audiui idem Doctor quodam loco in hunc modũ: Christus Dominus vnigenitus filius est, nec regeneratur. DIS. Ipse nimirum est filius Patris naturalis & consubstantialis, vt qui ex ipsa

Separatio & distinctio quid differant.

patris

Hebr. 1. Gen. 1. patris substantia gignitur. Sed nos homines non sumus filij naturales Dei. Nostra ergò generatio potiùs regeneratio dicitur, eò quòd ad naturæ eius quandam similitudinem & conformitatem tendat. Ipse est Patris æterni imago: nos ad Dei imaginem facti sumus: nec potest quisquam, vt idem affirmat, in hoc pares esse filio.

MON. Audiui ego asserere eundem doctorem quicquid Christus operatur, id eiusmodi hominem operari. DISC. Sed ille idem alibi sic dicit. Iustus homo operatur, quicquid ipsa iustitia agit: idq; verum est, inquit, vbi iustus verus est iustitiæ vnigenitus sicut scriptum est

Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Atq; hoc ait, in solo Christo verum est, & non in vllo alio homine. Nonnim habet ille aliam quàm patris essentiâ: nec quicquam creat Pater sine filio. Ergò quicquid agit Pater, id facit & filius. Porrò id in cunctis alijs hominibus, ait idem, fallit. Ex his dictis habes verborum eius veritatem. MON. Verba eius id subindicant, quicquid Christo collatũ est, hoc etiam mihi collatum esse. DISC. Intellige de perfecta essentialis beatitudinis fruitione, sicut ipse Christus dicit: *Omnia dedit mihi*

Matth. 11. Ioan. 13. *Pater*, & hæc omnia etiam nobis dedit, sed longè dissimili ratione. Atque idem multis affirmat locis, habere Christũ ea omnia ob incarnationem, nos verò per deformem vnionem. Habet ergo ea Christus tanto excellentius, quãto ea præclarius capere potuit. MONSTRVM. Inuenies apud hunc Doctorem negare illum omnem similitudinem & vnionem, atque nos

nudos

nudos & similitudine destitutos, in ipsa nuda Dei vnitate constituere.

Disc. Deest tibi haud dubiè lumen discretionis illius, vnde supra diximus, vt homo debeat vnum fieri in Christo, & tamen manere distinctus à Christo: atque vbi vnitus sit, seseq; vniat & vnum sit, necdum ex interna illustratione didicisti. Quod enim lumen, ordinem ac discretionem tollit, id negat erumpentem foras multiplicitatem. Acuta consideratio & intelligentia tua, subtili ratione, naturalis lumini sargumentis innititur. Naturale autem lumen diuinæ veritatis luci admodum simile est in multis. Monstrum his auditis tacuit, & cum submissa sui subiectione orabat Discipulum, vt vtilissimum hoc discrimen latius prosequeretur. Discipvlvs respondit: Præcipuum, quo te tuique similes laborare constat, vitium est, quod rationalis veritatis nullum verum habetis discrimen. Quod qui perspicuè obtinere volet, nec in hos errores impingere, quotidiè hæc quæ diximus, suos versetob oculos, hoc ipso citra impedimentum sanctam ac beatam vitam assecuturus.

Quam præclarè se gerat, homo in omnibus probè resignatus.

CAPVT XII.

Posthæc Discipulus denuò sese ad æternam veritatem seriò conuertit, orans sibi aliquid dari discretionis, qua possent agnosci secundum externam viuendi rationem homines

Ratio vitæ hominis verè resignati.

mines bene resignati, & vt illi se gererent, sic sciscitatus est: Quæso te æterna veritas, vt is habet eiusmodi homo quibuslibet rebus illi occurrentibus?

VER. Sibi ipsi moritur ac vitijs rebusq; creatis omnibus. DISC. Vt se gerit erga tempus? VER. In quodam præsenti Nunc versatur, nihil cum proprietate proponens, & summum profectum æquè in minimis vt in maximis faciens. DISC. Apostolus ait, iusto non esse legem positam.

1. Tim. 1. Iustus quatenus talis vt se gerat.

VER. Iustus homo quatenus iustus est, longè se submissius gerit, quam alij homines. Siquidem intus in fundo intelligit, quid quenquam foris deceat, & sic singula quæque accipit. Quod autem nulli est adstrictus legi, indeeuenit, quod ipse vltro & prompto ac resignato facit animo, quod plerique faciunt coacti & formidine pœnæ.

DISC. Qui in hac interna resignatione in Deum receptus est, nunquid ab externis exercitijs absolutus est? VER. Pauci eo perringunt non exhaustis viribus, quod tu caueas. Namque sese resignandi & mortificandi studium intimas eorum exedit medullas. Vbi igitur animaduertunt quid agendum, quid omittendum sit, communia sectantur exercitia pluſue minusue, pro suarum virium facultate, aut vt aliæ res postulant. DISC. Vnde est illa quorundam, qui tamen boni videntur esse, ingens & nimia conscientiæ angustia, & quorundam aliorũ inordinata laxitas? VER. Vtrique adhuc ad seipsos reflectuntur, sed diuersa ratione, alij spiritaliter, alij carnaliter. DISC. Vacatne semper

Conscientiæ angor, eiusdemque remissio in diuersis vnde existat.

semper eiusmodi homo resignatus, aut quæ est illius actio? Ver. Eius actio nihil est aliud, quam resignatio, atque illius operari est otiosum manere: siquidem agendo quiescit, & operando ociatur. Disc. Vt se habet erga proximos?

Ver. Viuit familiariter cum hominibus absque imaginum impressione, amat eos sine affectus adhæsione, & compatitur eis sine ánia solicitudine in vera libertate.

Disc. Estne obligatus confiteri? Ver. Cõfessio quæ de amore fit, excellentior est, quam quæ de culpis. Disc. Quo pacto orat, aut facit ne vllas vnquam preces? Ver. Oratio eius vtilissima est. Enimuerò per sensus penetrans (spiritus enim est Deus) diligenter explorat, ne vbi fortè medium aliquod inter Deum & se contraxerit, vel vtrum vspiam sese spectet secundum sensitiuæ portionis obiecta, atque hîc in supremis eius viribus quædam irradiat lux, certum eum efficiens, Deum esse essentiam & vitam illius, & qui in ipso operetur, ipsum verò non nisi eius instrumentum & adoratorem ac cooperatorem esse. Disc ip. Quo pacto eiusmodi homo edit, bibit, dormit? Verit. Secundum externam & sensitiuam partem, edit externus homo: sed si secundum internam viuendi rationem loqui velimus, non edit: alioqui cibo frueretur, & in bestiali sui parte quiesceret. Idem sentiendum est de aliis externis rebus homini necessarijs. Disc. Cuiusmodi est illa externa conuersatio?

Verit. Non habet multa instituta, neque verba, atque ea ipsa simplicia sunt: & eius conuersatio

Resignati hominis affectio erga proximos, quæ.

Ioan 4. Oratio vere resignati qualis.

Conuersatio hominis resignati externa.

uersatio bene morata est, vt res necessarias sim illo ex ipso proficiscantur: Estque sensibus qu etus & sedatus. DISC. Num omnes æquè con stituti sunt? VER. Non: sed plus minusve in habent pro accidentium diuersitate: sed esse tialis scopus in eis idem est. DISC. Habent i iuscemodi homines perfectam veritatis not tiam, vel ducuntur etiamnum opinionibus VER. Vbi sibijpsis relinquuntur, simul etiam opinantur: vbi autem seipsos excedunt, in id quod est omnis veritatis perfecta scientia, hoc est, in DEVM, ibi nulla est in eis opinio. Siquidem vnum cum illo effecti sunt, nec tamen quicquam inde sibi vsurpant. Atque hactenus tibi dixisse satis sit. Non enim percuntando, sed seipsum funditus resignando ad hanc occultam veritatem pertingitur. Amen.

(?¿?)

AP

APPENDIX QVARUNDAM SUBLIMIUM QUÆSTIONUM, AUTHORE D. HENRICO SUSONE VIRO SANCTISS.

De duplici genere hominum, pietatis speciem præseferentium.

CAPVT XIII.

SICVT Aquila prouocans ad volandum pullos suos. Deut. XXXII.

Posteaquã spiritalis Ministri filia, de qua in eiusdem Ministri vita multa dicuntur, ex illius pijs institutionibus, quantum ad æternam & actuosæ vitæ sanctitatem attinet, secundum exteriorem hominem in mollis ceræ modum ad ignem resolutæ, vt possit sigilli formam recipere, compo- Via tutissima.
sita & constituta fuit, atque per exemplarem Christi vitam, quæ est via tutissima, diu satis ordinatè deducta fuisset, scripsit illi Minister in hunc modum: Tempus iam est filia, vt ad anteriora ac viciniora te extendas, atque extra nidulum consolatoriæ circa formas & imagi-

nes occupationis, quæ est hominum incipientium, te proripias. Fac quæso vt solet Aquilæ pullus iam volare idoneus: id est, vt bene firmas & ad maturitatem perductas alas tuas, hoc est, animæ supremas potentias vel vires in diuinæ contemplationis celsitudinem, quæ est hominum perfectorum, subrigas ac sustollas. Scis tamen quid Christus suis dixerit discipulis, plus nimio ipsius corporali præsentiæ affectis: *Expedit vobis*, inquit, *vt ego vadam: alioqui Paracletus non veniet ad vos*. Præterea exercitia tua, dubium non est, commoda quædam adminicula ac præparamenta fuisse vlterius proficiscendi per bestialis ac sensualis vitæ desertum in promissam terram puri & trãquilli cordis quod hîc est vitæ beatæ inchoatio quædam, & in futuro seculo perpetuò perseuerat. Vt autem sublimis hæc & intellectualis via perspectior tibi fiat, equidem lumine quodam perspicuæ discretionis tibi prælucebo: qua nimirum discretione obtenta, nõ possis in vllos errores incidere, quamuis sublimiter sensibus volites. Agè ergo animum aduerte: Duplex est modus vel institutum eorum, qui pietatis speciem præ se ferunt. Alij rationabilem, alij irrationabilem modum sequuntur. Priores illi sunt, qui suam eo rationem & intellectum accommodant ac referunt, vt quicquid intelligunt, quicquid agunt vel omittunt, vera cum discretione peragatur, idq; secundum mentem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, in laudem Dei & mortalium omnium tranquillam pacem: seruantque solicitè & inuigilant verbis & moribus suis, vt quantum ex ipsis est, nemo inde patiatur offen-

Ioan. 16.

Duplex piorum modus.

diculum,

diculum, nisi sui animi vitio ac prauitate, vt crebrò fit, quisquam id patiatur. Eiusmodi honestum, custoditum, ac religiosum viuendi institutum natura & ratio ac intelligentia probat & confirmat. Atque est ea deiformis & laudedigna ratio vel intelligentia, vtpote quæ solida veritate in seipsa relucet, quemadmodum cælum stellis ac sideribus. Alij, qui bonos se videri volunt, & irrationalem sectantur vitæ modum, ij sunt, qui ad seipsos reflexi cum natura indomita & immortificata, ratione sua duntaxat per contemplationem res acutè speculantur, atque inde apud imperitos arroganter dicere nôrunt, idque adeò, vt facilè contemnant, quantumuis alij id sibi displicere factis & verbis testentur. Horum lux rationalis foras erumpit, non introrsus tendit. Et sicut ligna putrida noctibus lucere videntur, & tamen nihil habent luminis: ita etiam istiusmodi hominum interna lux & externa conuersatio prorsus dissimilis est Christo, cuius deberet referre similitudinem. Plerunque isti agnoscuntur ex infrenatis & dissolutis dictis suis: è quibus exempli causa vnum tantum hîc proferemus, vnde possit de cæteris coniectura capi. Quidam ex eis quodam loco sic ait: Iusto nullum est fugiendum medium vel impedimentum. Hæc, & eius generis aliæ sententiæ, apud parum oculatos alicuius ponderis esse videntur: sed à prudentibus reprobãtur, quippe qui, quid sibi velint, probè capiãt. Id autem ea, quæ iam recitata est, sententia satis declarat, nempe iusto non esse vitandum impedimentum. Quis ergo est iustus, & quod impedimentum? Iustus,

Ratio viuendi optima quæ.

Lignis putridis qui cur similes.

Iustus quis dicendus.

Iusto impedimenta vitanda.

si vsitato velimus more loqui, quatenus creatus est accipitur, non autem secundum ideam, quam habet in Deo. Iustus enim non per se subsistit, sed subiectum aliquod requirit: atque ita Iustus dicitur. Quod autem est impedimentum? Peccatum videlicet, quod hominem separat à Deo. Num igitur Iustus peccatum non deuitabit. Quis id non videat prorsus discordare à vero & ab omni recta ratione? Verum quidem est, Iustum nullum pati medium, quatenus secundum Ideam, sicut & cæteræ res omnes, in supereſſentiali Dei intelligentia vnum cũ Deo est. Sed in eo simplici ac supereſſentiali Diuinitatis fundo non est iustus homo, corporeus homo. Non est enim quicquam corporeum in Deo, sicut nec medium vllum vel interstitium.

Iustus quatenus noxia cuncta vitare debeat.

Sed extra hunc fundum quilibet homo, hunc vel illum se hominem esse intelligit. Hîc enim mortalis est, illic minimè. Quatenꝰ ergo mortalis est, certum est eum natura vitiata indutũ, vnde satis opus habet cuncta vitare noxia impedimenta. Quod si persuadere mihi velim, nulla me iam creata ratione præditum, atque ita tanquam pro non existente habere me velim, & sine vlla Dei ac meijpsius distinctione cunctas actiones corporales efficere, tanquam Idea, quę est in Deo increata, eas efficiat: id profecto longe flagitiosissimum fuerit. Indè ergò potest animaduerti, tales sententias nihil habere rationi consentaneum. Nec tamen hæc ita dicta sint, quasi damnare velimus rationales vel intellectuales institutiones, aut rationales ac circumspectè prolatas sententias, vel lucubrationes, quæ hominem bestialitate exuunt,

Sententiæ quales cum ratione repugnent.

atque

atque ad intelligibilem percipiendam veritatem ordinatè introducunt, licet non ab omnibus intelligantur. Certum est enim, crassę quorundam cæcitati & imperitæ bestialitati neminem commode satis loqui posse. Ad hæc eius filia respondit: Grates ago Deo pro tam dilucida distinctione. Velim autem etiam abs te discere Pater, quid inter ordinatam & curiosam rationem, quid item inter falsam & veram Resignationem interfit.

De discrimine inter ordinatam & curiosam rationem.

CAPVT XIV.

POST prima illa certamina, quæ ad mortificandam carnem & sanguinem suscipiuntur, ad profundum peruenitur iter, vbi multi demerguntur: atque ipsum est Ratio curiosa. Eam autem ego rationem curiosam appello: Nimirum postquam homo à vitijs & formis inhærentibus est expeditus, atque vltra tempus & locum hilariter sese subrigit, qua in parte ante præpeditus erat, vt naturali sua dignitate non posset vti, incipitque sese Rationalis aperire obtutus, potioriq; homo delectatione afficitur, quæ ex veritatis cognitione, Diuinæ beatitudinis fruitione, æternitatis cõtemplatione atque id genus alijs hauritur, creataque intellligentia sempiternam illam ac innõminabilem intelligentiam partim in seipsa & rebus omnibus intelligit, admiratione quadam & stupore perfunditur homo, dum

Ratio curiosa quid.

seipsum qualis dudum erat & qualis nunc sit, considerat, comperitq; se prius non nisi miserum, indignum, Deo vacuum, cæcumque & à Deo prorsus remotum fuisse: at nunc videtur sibi Deo plenus esse, nec quicquam esse quod Deus non sit, sed Deum & res omnes prorsus vnum esse. Atque hoc pacto rem nimis quam vehementer, impetuosè ac intempestiue aggreditur: efflorescitque & luxuriat ratio illius, perinde vt mustum efferuescens, quod necdum sedatum est Hinc iam in id, quod intellectu assecutus est, aut fine discretione illi obiectum est sub quadam illius similitudine, qui solus id est, cui vni inhærere debeat, non cuius alij, totum se effundit, vultque tum pro sensibus suis cuncta interpretari ac intelligere. Quo fit, vt creaturas omnes, puta cælum, tartarum, angelos, dæmones impropria sumptos natura abneget & refutet, quod se putet in illis Deum cõprehendisse: nec tamen hæc adhuc fundimis perspecta habet, quatenus discreta sint, quatenus maneant, & quatenus deficiant. Fit ergo id genus hominibus haud secus quàm apib⁹ mellificis, quæ vbi primum ex suis erumpũt alvarijs, passim huc illucq; errabundæ vagantur, incertæ quo tendant: quædam penitus aberrant & perduntur. Aliæ verò commodè ac ordine ad suas sedes reuertuntur. Sic & isti homines dum incomposita ac irreformata ratione Deum contemplari volunt, quatenus ipsorum fert naturalis captus, hæc atque illa abnegare volunt, sed nesciunt quo pacto oporteat. Verum quidem est, qui rectè secum agi velit, illi abneganda esse omnia, sed non capiunt vt hæc

Apibus errabundis qui cur similes.

Abnegatio quæ qui futura.

vt hæc abnegatio fieri debeat, voluntque temere hæc atque illa abnegare, & tum se tum res omnes non nisi Deum volunt capere, idque sine distinctione aliqua. Quod illis vitij accidit vel eximmortificata naturæ calliditate. Putant enim plerique se compræhendisse omnia, si hîc possint relinquere sese & resignare. Sed verum hoc non est. Siquidem iam primum vltra fossas præsidiorum minimè expugnatorum irrepserunt, post quæ præsidia sese callidè & subtiliter occultant, nec etiamnum possunt secundum spiritalis essentiæ suæ ordinatam deficientiam occumbere in veram paupertatem spiritus, cui quodam modo excidit omne extraneum obiectum, & quicquid Deus non est, & simplex ac sempiterna diuinitas illi respondet in suo minimè impedito sancto ocio quemadmodum in subditis perspicuè demonstrabitur. Hoc ergo est, in quo nonnulli multis annis occultè hærēt, vt nec intrò, nec foras se possint recipere. Sed à me certa tibi proferetur discretio, vterrare non possis.

Vt vera à falsa resignatione possit internosci.

CAPVT XV.

SCire hîc conuenit, triplicem esse suæ essentiæ excessum. Primus est, cum quid omninò suam perdit essentiam, vt postea illius nihil supersit, sicut vmbra redit in nihilū. Sed hoc modò spiritus (id est, anima rationalis) in suo exitu & abnegatione ad nihilū non redigitur. Aeternum anima permanet ob rationalē

Triplex essentiæ excessus. I.

suam dignitatē & vires deiformes. Deus enim supereſſentialis eſt mens & intelligentia, ad cuius imaginem ipſa anima formata eſt: quamobrem impoſſibile eſt ſic eam redire in nihilū, vt perit corpus dum in cinerem ſoluitur. Alius eſt dimidius exceſſus, qui ſuum poſcit locum & tempus, vt fit illis, qui per contemplationem in ipſam Dei eſſentiam rapiuntur, vti D. Paulus Apoſtolus: aut extra hoc, dum quis cunctas excedit formas & imagines, & ſeipſum tranſcendit, quod tamen non eſt diuturnum. Quando Paulus ad ſe redijt, eundem hominem reperit, quem prius, quod ad eſſentiam attinet.

II.

2. Cor. 12.

III. Tertius exceſſus dicitur infinita quædam ſui Reſignatio, qua quis propriæ voluptatis reſignatione, ſeipſum permittit Deo, vbicunque ſe inuenit, tanquam ſeipſum neſciat, & ſol' Deus ſuo iure vbique dominetur. Hæc reſignatio nō facilè poteſt integra & inuiolata permanere, quamdiu corpus & anima cohærent. Nam vbi ſe quiſpiam modo reliquit ac reſignauit, putatque ſe quantum ad portionem ſenſitiuam vel ſenſualitatem attinet, exceſſiſſe in Deum, ita vt nolit vnquam poſthac ſeipſum repetere vel vſurpare, mox in momento ipſe & nequa natura illius ad ſeſe reflectitur, eſtq; idem qui erat prius, atque hoc pacto iterum iterumq; ſeſe relinquere & abnegare ſeu reſignare habet. Ergo ſi quis ex hac fragili reſignatione velit agere quicquid libet, id planè falſum & errore obnoxium fuerit: licet verum ſit, quatenus à ſeipſo deficit & auertitur, atque per exceſſum hunc in Deum recipitur, eatenus eum in veritate perſiſtere. Cæterum pōſſe profuerit, duplicem

Duplex reſignatio.

cem inueniri resignationem, quarum vna dicitur antecedens, altera subsequens resignatio: cuius potest ista proferri similitudo: Fures ex depravata natura sua istigantur ad furandum: sed reclamat Ratio, ne id agant, eò quòd nefas sit. Hic si fures abnegarent sese & rationi se permitterent, ea diceretur antecedens ac præclarior resignatio. Maneret enim illis innocentia. Si autem nolint relinquere sese, sed suæ obtemperent libidini, ac deinde capti & morti adiudicati, ad mortem ipsam æquanimiter se resignent, quando ita necesse est, ea dicetur subsequens resignatio: quæ quidem bona est, & eis æternam præstat salutem. Sed prior illa infinito ac incomparabiliter præclarior potiorq; fuisset. Non est igitur, cur quisquam temere sese ad omnia etiam vitia resignet, vt amẽtes quidam aiunt per scelera & peccata omnia vadandum esse, si quis velit ad perfectam resignationem pertingere. Quod est à verò longè remotissimum. Nemo enim illum insanum dubitet dicere, qui se suapte sponte idcircò in cœnũ proiicit, vt post euadat mundior. Itaque præcipui Dei amici ita affecti sunt, vt sese optent fundituus relinquere, & in præcedenti illa resignatione stabiles perseuerent absque illa sui repetita usurpatione, quantum fert humana imbecillitas. Quod vbi non satis præstant, gemunt & dolent: quanquam præ cæteris id ipsi peculiarius habent, quod expeditius sese ab omni impedimento excutere nõrunt. Dum enim sic gemunt & dolent, hoc ipso subsequens in eis existit resignatio, quasub itò in pristinum gradum restituuntur: quæ est dum se adhuc homines

Antecedens.

Subsequens.

Ad vitia neminem sibi resignandũ.

Verorũ Dei amicorũ cõditio quæ.

esse sentiunt, & tamen in Dei laudem id ferunt. Atque hæc subsequens resignatio habet interdum vtilitatem suam ex ipsa sui agnitione, vbi mox deficit gemitus & lamenta, quatenus eiusmodi sunt, ac simpliciter regenerantur in id quod ante erant. Quod si tum quispiam ita adhuc iamnum imperfectus sibijpsi vellet fraudulenter ac improbè obsequi, & suis malis desiderijs obtemperare, cogitaretque vbi quis ex accidenti rursus sese vsurpat, seseque resumit, & secundum exteriorem hominem aliquid perpetrat vitij, nihil id obesse, modò secundùm habitum & essentiam absque vlla sui repetita vsurpatione eodem animo persistat, equidem illiegans plane confirmo, quod seipsum non capiat, & quid dicat ignoret. Quòd sanè eruditi Theologi omnes probè nouerunt, si saltem non nesciant quid accidens sit. Id enim accidēs dicimus, quod subiecto potest vel inesse vel non inesse absque illius corruptione, vt est color in asse vel tabula. Sed hic secus est. Corpus enim & anima, quæ ipsi ex insciti a accidentia vocant, duæ substantiæ sunt, quæ homini non accidūt, sed vt eius essentia insunt. Quamobrem quilibet homo, quantumuis sublimiter intelligat quid sit resignare vel vsurpare sese, habet in seipso vbi & virtutem & vitium operetur. Enimuerò spiritus annihilatio, in simplicem diuinitatem excessus, denique excellentia omnisde perfectio non ita accipienda sunt, quasi hominis creata essentia in Deum transformetur, vt sit Deus idem quod homo est, nec tamen id homo ob suam ruditatem intelligat: aut quod homo fiat DEVS, sua substantia in nihilum redacta:

Accidens quid.

Vera resignatio sui in quo consistat.

dicta: sed in eo potius illa consistunt, vt quis à seipso deficiat, seque despiciat ex diuinitatis contemplatione: atque in hoc raptu spiritus ordinatè excedit, & hic demum rectè habet, quando Deus illi est omnia in omnibus, & omnia propemodum illi in Deum mutata sunt. Siquidem cuncta illi eo respondent modo, vt sint in Deo, & nihilominùs singula quæque id manent quod sunt secundum naturalem essentiam: quod tamen irrationalis cæcitas, ac inexercitata ratio pro hac vera discretione neque vult neque potest ritè perpendere. Porrò de hac ipsa discretione eas quæ sequuntur sententias & institutiones spirituales ac intellectuales annotare poteris, quibus homo à sua bestialitate retrahitur, & ad supremam suam beatitudinem dirigitur. 1. Cor. 15.

De rationali hominis exterioris in ipsius interiori introductione.

CAPVT XVI.

VItæ tuæ ratio & conuersatio interna sit, neque foras te proferas aut erumpas, siue verbis, siue gestibus, moribus, & conuersatione. Veritati simpliciter faciat satis: atque in eis, quæ tibi euenerint, non nimium tibipsi subuenias, neque inordinatam admittas solicitudinem. Enimuerò qui plus satis sibijpsis subueniunt, ijs à veritate minus fertur subsidij. Quando hominibus ades, ab animo excludas visa & audita, atque vni Deo, qui intùs habitus tibi est, inhærescas. Sedulò id cures,

vt

Delectatio qui capienda.

vt in actionibus tuis ratio sibi primas vendi-
cet. Nanque dum portio sensitiua siue sensua-
tas primas occupare finitur, omne malorum
genus inde emergit. Delectatio non secundum
sensus, sed iuxta veritatem capienda est. Deus
quidem nos delectatione priuare non vult, sed
perfectam atq; modis omnibus absolutam in
seipso nobis delectationem præbere appetit.

Abiectio quæ quid momenti habeat.

Fortissima sui abiectio vel submissio, supremi
in se ascensionem complectitur. Qui in intimis
versari petit, is omnem fugiat oportet multi-
plicitatem, renuncietq; omnibus, quæ ab vno
eo illo vno aliena sunt. Vnum nanque, vt Do-

Luc. 10.

minus ait, est necessarium. Vbi natura ex sen-
sibus vel sensualitate operatur, ibi labor est,
dolor, & rationis obnubilatio. Nulla maior
voluptas est, quam vbi me vnum inuenio in
Deo, totusq; Deo sum in omnibus, ita vt me o-
portet. Hominis probè resignati exercitatio
est, à seipso deficere. Quando amor noster circa

Imagines quoad ferendæ.

imagines & personas versatur, iam accidentia
amantur: idque non rectè habet. Attamen fe-
rendæ sunt imagines piæ, donec decidant. In-
terdum nanque ex interno simplici fundo id
proficiscitur, neque illic imaginis præsentia
diligitur. Atqui vbi omnia & nosipsos quoque
abnegamus, vnumque sumus, inibi Deus est.
Qui inordinatè foras prorupit per sensus, is &
in prosperis & aduersis crucem ferat ac patia-
tur. Siquidem patiens vel afflictus aliquis, plus
amat vno anno, quam alius foras erumpens
annis tribus. Si creaturis omnibus prodesse cu-

Creaturis qui omnibus prosit.

pis, à creaturis omnibus ad Deum te conuerte.
Dum quis rem siue causam comprehendere
nequit,

nequit, si se possit expedire in Deo, iam ab ipsa re vel causa comprænditur. Vide ne sic vnquam te foras recipias, vt ab interno proposito tuo & Christi exemplo discordes. Naturæ vbique sese admiscentis propositionibus inuigilandum est, eæque propter Deum supprimendæ ac mortificandæ. Si vnitatem aut simplicitatem ferre nolis, feras necesse est multiplicitatem. Vsque adeo à cunctis rerum simulachris & imaginibus te nudam serues, ac si nulla præter te in terris creatura sit, tumq; ita dicas. Equidem tibi esse non possum, vt tu mihi es. Natura quidem naturam diligit, seseque semper spectat. Plerique natura sunt nimis indomita & immortificata, & eorum exterior homo foris permanere cupit, & in maximis versari periculis. Sese intus continere, maiores vires præstat, quam possint res externæ. Atque ex vna inordinatione alia proficiscitur. Vide ne natura prægrauetur, atque vt externus homo cum interno consentiat. Obserua hominem tuum internum. Siquidem in hoc externa pariter & interna vita consistit. Perfectissima exigit resignatio, vt natura perpetim freno contineatur, tamque præsenti animo sibi quisque semper inuigilet ac moderetur, ne natura vltra limites feratur & excedat. Quereris te nimis etiamdum actuosam, irresignatam & impatientem esse. Sed ne desperes. Quanto ad tui mortificationem propius accesseris, eò melius. Vitiorum omnium radix, totiusque veritatis obnubilatio, est amor rerum labentium. Sed sensuum occubitus, veritatis exortus est. Quando vires animæ à sua actione deficiunt, & elementa, ex quibus

Naturam sese vbique spectare.

Resignatio quæ quid exigat.

Occasus qualis qualis fiat exortus.

quibus corpus constat, repurgantur ac defæcatur, iam vires æternam suam obtinent nobilitatem, dum se in suam originem Deum recipiunt. Cunctarum animæ virium vna essentialis actio est, ea videlicet, vt æternę veritati (id est Deo) satisfaciāt. Neque quicquam frugiferum est, nisi quod intimo diuinæ naturæ functioni conforme fit. Multi quidem diuina se gratia moueri senserunt, sed illi morem non gesserunt: internusq; & externus homo eorum longè à se dissident: atq; hoc defectu complures laborāt. Natura liberæ voluntatis arbitrio subiecta est, quanto igitur longius per sensus euagamur, tanto sumus à Deo remotiores: quanto autem magis intrò ingredimur, eo efficimur Deo propinquiores. Qui diuinitus verè illuminat' ea, is ea quæ sensibus agenda sunt, præclarius efficit. Quisquis naturam, dum ea adhuc in puritate & veritatis cognitione versatur, freno quodam retinent, hoc ipso eo illam adducit, vt externa rectius administret & exequatur. Alioqui in res temporarias effunditur & diffluit, ita vt nihil rectè exequi possit. Puritas, & intelligentia, & virtutes naturam reddunt locupletem. In subtractione autem fit nonnunquam, vt creaturę hominem propius in Deum ire compellant. Quid quæso est, quod homines vsque adeo incitat illicitos sectari modos prauosq; mores? Nimirum quod propria venantur oblectamenta. Vera autem oblectamenta non nisi in resignatione inueniuntur, non autem in improbis studijs. Quod quosdam tam crebrò inordinatus animi mœror occupat, ea causa est, quod sibijpsis non semper exactè inuigi-

Qui Deo magis propinquetur.

Natura quibus locupletior reddatur

Oblectamēta quę qualia

lant

lant & cauent, ne quid vnquam culpabile admittant. Iniuria opprimi, est amicorum Dei victoria. Intus tecum commoreris. Multa quidem sese vt necessaria offerent, sed non nisi quædam naturæ fomenta sunt. Non caret vitio, multa aggredi, nec tamen quicquam absoluere. Constanter perseuerandum est, donec perspicuum sit, Deusne an natura operetur. Da operam, vt natura ex prima sua puritate agat in DEO absque extraneis rationibus. Probè resignatus homo his quatuor nauabit operam. Primùm est, vt conuersatione honestus ac bene moratus sit, ita vt bona omnia ex ipso sine ipso proficiscantur. Secundum, vt sensibus modestus & quietus sit, nec vltrò citroque rumusculos & hominum dicta circumferat: (nanque id multas parit imagines) atque ita sensus interni quodam ocio & libertate perfruentur. Tertium, vt nulli rei amore adhæreſcat, certus videlicet, vana esse & nihil omnia. Quartum, ne contendat aut pugnet verbis, sed amice se gerat erga eos, per quos Deus eum excitare, expedire, & extra seipsum suamque proprietatem ejicere molitur. Stabilis tecum perseuera, donec extra teipsam absque teipsa agaris. Obserua num bonorum hominum amicitia ex sensuali quodam affectu vel fauore, aut ex simplicitate procedat. Nemini te admodum offeras. Nam qui se plurimum offerunt, sæpe minimum placent. Tuum est vitam agere internam, siue introrsus tendentem. Dedecet plane quenquam aduersus suum institutum agere. Beatus est, qui non multis vtitur verbis

Mœroris inordinati causa quæ.

Resignato cui quibus quatuor incumbendum.

II.

III.

IV.

Beatus quis.

verbis atque modis. Multa nanque verba multique modi, plura quoque adferunt accidentia & imagines. Intus tete contineas, neque absque ratione erumpas foras: alioqui crucem reportabis. Quidam ex gratia sensibili in prosperis & aduersis casibus operantur. Sed non licet in ea seipsum quærere. In perfecta suî abnegatione & submissione cuncta consummantur. Quando Christus ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, tum demum consummata erant omnia. Deus & diabolus nō eodem modo sunt in homine imperfecto, seipsum spectare volente. Qui autem sese funditus abnegat & resignat is poterit nôsse differentiam. Vis perpetua gaudere quiete & tranquillitate? In prosperis & aduersis eodem amore, pari fidelitate atq; eadem fide in Deo perseuera. Qui in externis deuotionem animi conseruat, eius deuotio interior & solidior est, quam qui in solis studijs internus deuotus & internus est. Idque fit, num sensus quam quærit & spectat. Grandior numerus est hominum soli intellectui curiosè excolendo vacantium, quam simplicium. Intellectui soli vacantes eos voco, in quibus intellectus primum sibi locum vendicat. Simplicitas autem ob suam nuditatem, rerum iuxta sensus consideratarum amittit multiplicitatem, neq; multis sese occupat. Siquidem quodammodo in hominis transijt essentiam, vtpote qui velut puer effectus est. Qui omnia sibi esse vult, is sibijpsi & rebus omnibus nihil fiat oportet. O verè beatum illum, qui stabilis absque multiplicitate perseuerat. Copiosus nanque illi in cælestia datur accessus. Bona intētiō nō semper

Luc. 23.

Perpetuę quietis & tranquillitatis amatori quid agendum.

Intellectui soli vacantes qui.

sufficit. Siquidem haud rarò veræ vnitati vel vnioni medium obijcit. Oculos nostros nunquam quicquam attente considerare oportet, nisi quod ab imaginibus nos expediat. Lapsum Adæ, & pœnas atque miserias omnes illum consecutas, longanimi patientia libenter perpeti debemus. Nam qui resignatus est, nullam aduersitatem animo suo imprimit. Quod autem homines queruli sunt, & aduersa molesté ferunt, id vtique imperfectionis est, atque ob eam rem profligandum est. Inordinata siue iniusta omnis libertas, seipsam pro scopo habet, siue ad sese reflectitur. Rationabili ac iusta occupatione velle esse absolutum, id iniquissimum ocium est. Homo resignatus, creaturarũ destitui imaginibus, & Christum sibi imprimere, atque in diuinitatem transformari debet. Qui sese cum Christo capit, is cuncta in suo permittit ordine. Vbi quis à sese defecit, atque vnum cum Christo effectus est, iam benè habet. Dum quis sese ad veritatem intrò recipere & accommodare instituit, intus ei defectus & excessus sui illucent, aduertitque etiamnum creaturas, per quas auersus est, sibi inhærere: dumq; ob id intus reprehenditur, patienter sustinet, videns se necdum expeditum atque in nihilum redactum esse. Porrò sic perpeti, id nimirum est simplicem effici. Peccatum conscientiæ mœrorem parit. Sed dum inde auertimur, rursus decidit. Si quæras quod sit hominis probè resignati obiectum in omnibus, id nimirũ est, sibi ipsi excidere, aut sese resignare in omnibus. Tum verò vna cum ipso cuncta illi excidunt. Minimum inter Deum & animam medium,

Querelæ hominum vnde

Hominis resignati quid sit.

Minimũ medium & maximum inter Deum & animam quæ.

dium, est cogitatio. Maximum autem medij est propriæ inhærere voluntati. Deceret sanè nullam homini resignato præterire horam, qua non & Deum & seipsum obseruaret atintueretur. Idemque non id semper attẽdere deberet, quibus opus habeat, sed etiam quibus carere possit. Cum istiusmodi homo resignatus intrò se recipere atque ad veritatem adiungere & applicare constituit. Primò curabit, vt introrsus penetret, & sensus excedat. Siquidem *Spiritus est Deus.* Secundò considerabit, num quod medium contraxerit. Tertiò perscrutabitur, num aliqua in re aut vllo sensuum obiecto sese quærat & spectet. Quartò in eo lumine totius diuinæ essentiæ præsentiam attendet, persuadebitq; se illius solius esse. Quantum se quisque & à seipso & caducis creaturis omnibus auertit, tantum in Deo vnitur & beatus efficitur. Si verè resignata esse cupis, da operã, vt quomodocunque Deus & seipso & creaturis suis omnibus in tristibus & iucundis rebus sese erga te gerat, semper in ijs æquali sis animo, eaq; ac deferas quod tuum est. Sensus tuos cunctis præsentibus formis ac imaginibus præclude. Expedita & libera semper sis ab omnibus, quæ ratio foras spectans & externis dedita eligit, quæ voluntati inhærent, plausibilemque ingerunt voluptatem: neque vlla in re extra Deum acquiescas. Dum te præsente quippiam mali admittitur, non te admisceas, neque cooperaris. Qui perpetuò secum habitat, magnas acquirit vires. Hominis resignati secundum corpus recreatio, restricta ac necessaria erit commutatio siue innouatio operum

I. Ioan 4.
II.
III.
IV.

Vt quis verè sic resignatus, quid agendum,

eius

eiusmodi, à quibus animo expedito sese possit auertere. Prout quisque plus minusue resignatus est, ita etiam magis vel minus rebus temporarijs afficitur ac promouetur. Homini cuidam semi resignato, cum duros nimirum sentiret dolores, eiusmodi intus verba dicebantur: Tam studiosè meî curam geres, neque adeò contemnes, modo scias mecum rectè ac prospere agi, vt nihili facias vtcunque tecum agatur. Homo resignatus dum sensibus intrò versis in secreto sese collocat, quo minus intus reperit adminiculi siue sustentaculi, eo magis intus cruciatur: sed quo celerius emoritur, eo citius superat ac euadit. Sensuum in externa effusio, vitam internam & animi deuotionem interturbat. Vide ne foras trahentes causas vel occupationes aucuperis. Dum autem eiusmodi causæ te requirunt, quantum fas est, non te sinas reperiri. Semper celeriter introrsus te recipe. Vita naturalis in motibus siue effectibus ac sensibus sese prodit. Sed qui in his se deserit, atque à seipso deficit, is vitam supernaturalem inchoat. Quidam citra impedimentum affcendunt in DEVM, sed non stabiliter perseuerant. Nudam amplectere & sectare resignationem. Enimuerò desideria immoderata possint mentem occultum efficere. Homo resignatus, vires animæ suæ vsque adeò domare debet, vbi sese intus adspexerit, cernere id possit. Homo resignatus adeò à seipso manet expeditus, ac si nihil de se nôrit. Siquidem in vno illo, quod Deus est, cuncta in ipso honestissimè ordinata sunt. Studium adhibe erga hominem exteriorem, vt homini interno vniatur, idque

Sensus in externa effundere quam malum.

Vires quæ qui domãdæ.

bestiales omnes ac sensuales calcãdo voluptates. Resignata conuersio siue reuersio, nonnunquam Deo gratior est, quam sibi placens perseuerantia. Collige animam tuam ab sensibus externis, per quos in rerum externarum multiplicitatem dispersa est. Introrsus rẽdi, iterum atque iterum intrò reuertere in vnitatem, & DEO fruere, fortiter perseuera, nec vnquam contenta sis, donec in hac vita temporaria, quatenus humanæ imbecillitati possibile est, id assequaris, quod in æterna semper præsens est.

Resignata cõuersio quam Deo grata.

Quid sit Deus.

CAPVT XVII.

POST eiusmodi rationalem hominis externi in internum introductionem, extiterunt in spiritali illa Ministri filia sublimes intelligentiæ, de quibus cum ex Ministro esset sciscitata, vtrum percontari sibi liceret, ille respondit: Licet plane: quandoquidem ordinatè per oportuna & congrua media siue exercitia progressa es, permissum est spiritali rationi tuæ de rebus sublimibus inquirere. Itaq; quicquid voles interroga. Ait illa: Dic mihi pater, quid sit DEVS, atque vt sit DEVS, id est, vt & simplex sit & trinus. Respondit Minister: Hæ nimirum sublimes sunt quæstiones. Quod ad primam quæstionem attinet. Quid sit Deus, noueris quotquot vnquam Doctores extiterint, eam absoluere nõ potuisse: siquidem sensus & rationem omnem excedit. Tamen qui studiosus est, si quærendi non remittat diligentiam,

Deus quid sit perfectè ciri aut dici nequit.

tiam, obtinet quandam Dei notitiam, sed valdè remotam: In ipsa autem Dei cognitione vita æterna & suprema hominis beatitudo consistit. Hac ratione priscis seculis Deum inuestigârunt quidam non cõtemnendi Philosophi, maximè acutissimus ille Aristoteles, qui ex rerum natura & ordine ipsum naturæ authorem explorauit. Quęsiuit sedulò, inuenitque naturę aptissimo confirmatus ordine & cursu, necessariò vnum aliquem esse principem & Dominum totius vniuersi, quem nos Deum nuncupamus. De hoc Deo ac Domino nostro ea nobis cognitio suppetit, esse eam substantiam immortalem, æternam sine ante vel post, simplicem, nudam, incommutabilem, incorpoream ac existentem spiritum, cuius substantia vita illius & operatio est, cuius viuacissima intelligentia in seipsa & per seipsam cuncta nouit, cuius essentia in seipsa abyssus quædam est deliciarum & gaudiorum, qui denique suijpsius & omnium ipso in futura vita fruiturorum supernaturalis, ineffabilis & iucundissima beatitudo est. His auditis suspiciens Virgo, ait: Horum sanè iucunda commemoratio est, istaque audire iuuat, quippe quæ cor ipsum excitant, eriguntque spiritum sursum longè vltra seipsum. Perge igitur mi Pater de his sermonem texere. Ait Minister: Diuina essentia, de qua loquimur, eiusmodi intelligibilis vel intellectualis substantia est, vt oculis corporeis non possit seipsa conspici: potest tamen in suis effectibus cerni, vti egregium artificem ex eius opere probamus. Vt enim Apostolus confirmat, *inuisibilia Dei à creatura Mundi per ea, quæ facta* Rom. 1. *sunt,*

Deum qui quō inuenerint.

Deus quid.

Diuina essentia qualis sit substantia.

sunt, intellecta conspiciantur. Sunt namque creaturæ ceu speculum quoddam, in quibus Deus relucet. Quæ cognitio, speculatio dicitur, qua illum præstantissimum Mundi architectum in eius opere contemplamur. Age iam sursum & circumcirca per cuncta Mundi climata respice, cerne quàm amplum, quàm celsum & cælum ornatissimum, quam cursu velox, quã mirificè suus ipsum opifex decorârit septem illis errantibus sideribus quæ planetæ vocantur, quorum singula, luna dempta, sua magnitudine longè vincunt orbem terræ: quàm denique innumera micantium stellarum numerositate præclarè ornatum sit. Perpende, quæ fœcunditatis, quos fructus, quas opes Sol efficiat in Terra, dum æstiuo tempore nullis impeditus nubibus radios suos diffundit, vt prata virescant, vt folia & gramina erumpant, flores germinent, vt syluæ & plani æquora campi philomenarum variarumque auium cãtu suauissimo resonent, vt generis omnis bestiolæ ob seuam hyemis asperitatem reconditæ prodeant lætabundæ, atque vt fit inter homines alia nascantur, aliæ senescant, & præ nimia alacritate hilares appareant. Si ergo Omnipotens DEVS tam amabilis & iucundus es in creaturis tuis, quam in teipsa felix, beatus, omnis plenus gaudij, quam formosus & pulcher es? Accede vlterius filia ad ipsa elementa contemplanda: Contuere Terram, Aquam, Aërem, & Ignem, & cuncta quæ in his versantur mira & stupenda, infinita inter se diuersitate discreta, multiplicemque varietatem hominum, animalium, auium, piscium, & mari-

Cæli ornatus quantus.

Sol quas rebus sublunaribus confeȝat opes.

marinorum monstrorum. Atque hæc omnia laude & honore prosequuntur inexhaustam illam immensitatem, quæ intra te est. Ecquis tandem Domine cuncta hæc conseruat, & nutricatur? Nimirum tu Domine singulis pro suo modo prouides, magnis & exiguis, opulentis & egenis. Tu Deus ista facis, tu reuerà solus es DEVS verus. En filia DEVM tamdiu quæsitum nunc inuenisti. Suscipe modo nitentibus oculis, hilari vultu, exultanti corde, eumque intuere & amplectere extentis animæ & mentis brachijs, eique laudes & gratias age, tanquam creaturarum omnium vnico ac præcipuo Imperatori. Ex hac speculatione in homine piè ac amanter affecto intimum cordis iubilum exoritur. Iubilum namque gaudium cordis est, quod lingua effari non potest, licet cor animamque efficaciter perfuderit. Eheu animaduerto ego, nunc in meipso os animæ meæ hactenus clausum, tibi iam patefactum esse: cogorque in laudem Dei quippiam secreti tibi edicere, quod hucusque nemini adhuc enunciaui. Dominicanus quidam Monachus, mihi probè notus, in suo exordio toto ferè decennio eiusmodi excellentẽ gratiam quotidiè bis à Deo præstitam sibi sensit, putà manè & vesperè, idque tanto temporis spatio, quo potuissent bis legi Vigiliæ (quas vocant) Mortuorum. Interea ille adeò erat absorptus in Deum æternam sapientiam, vt nihil inde eloqui posset. Quandoque familiare cum Deo miscebat colloquium, non ore, sed mente, alias lamentabiliter ad illum suspirabat, interdum vbertim plorabat, nonnunquam taci-

Deus conseruator omniũ

Iubilũ quid.

Paradigma.

tus secum ridebat. Sæpè sibi videbatur ferri sublimis in aëre, atque inter tempus & æternitatem in profundo mirabilium diuinorum, quæ nemo satis capere sufficit, natare ac perui gari. Vnde cor eius adeo redundabat, vt interdum manum illi admodum laboranti admouens, diceret: Eheu cor meum, quantum hodie tibi laboris accidet? Quodam die per visum spiritaliter vidit cor paternum sine vllo medio, modo quodam ferè ineffabili ad ipsius cor suauiter applicari, idemq; cor paternum, id est, æternam sapientiam intrinsecus sine formis ipsius cordi loqui. Tum ille spiritali illo perfusus iubilo, hilariter dixit: Eia dilectè vnice atque amantissime, nudato corde & simplici omnium rerum creatarum nuditate complector formæ nesciam diuinitatem tuam. O Deus amicorum omnium longè excellentissime. Sanè cuiuslibet temporarij amici vel maximus amor erga amicum suum, tamen discretionem & diuersitatem habet. At tu omnis veri amoris infinita iucunditas, in corda te amantium liquidus influis, atque in animæ essentiã nudum ac totum omnino te infundis, ita vt nihil tuî foris remaneat, sed amantissime cum dilecto coniungaris ac vniaris. Ad hæc Virgo sic locuta est: Ingens profecto ea gratia est vbi sub hac nihili ratione quispiam in Deum rapitur. Velim tamen instituí, num hoc perfectissimum sit an non. Cui Minister, Non est, inquit, hoc perfectissimũ sed est prælium quoddam suauiter illiciens hominem, quô essentialem in Deum excessum ac immersionem obtineat. Interroganti Virgini, quid essentiale vel non

non essentiale vocaret, respondit: Essentialem vel habitualem, vt ita dicam, hominem appello, qui stabili exercitatione virtutum adeptus est, vt pro summa ipsarum perfectione & excellentia iucunde & delectabiliter eas efficiat, quemadmodum Solis splendor in se stabilis perseverat. Eam autem minimè essentialem dixerim, cui virtutum splendor instabili ac imperfecto quodam modo lucet, vt est splendor lunæ. Prior illa gratiæ plena delectatio, hominis nondum virtutum habitum assecuti, quem non essentialem dixi, spiritum quasi seducit, vt optet eam semper experiri, qua cum fruitur, gaudet: cum priuatur, dolet inordinatè: & dum hæc arridet gratia, ægre & inuitus se transfert ad alia etiam ex DEI voluntate facienda, vt subiecto doceberis exemplo. Minister Sapientiæ quadam vice in sacello quodam obambulabat, eratq; cor eius diuino refertum iubilo. Ecce autem ostiarius eum euocauit ad fœminam quandam confiteri volentem. Tum ille inuitus deserens internam cordis voluptatem, durè accepit ostiarium, iussitq; vt diceret fœminæ, alium sibi accersiri mandaret, se iam illius confessionem recipere nolle. At illa peccatorum pondere pressa & afflicta, dixit se illi speciatim piè affici, & confidere se ab illo consolatum iri, nec se alteri confiteri velle. Cum autem ille exire nollet, cœpit mulier mœstissimo corde in lachrymas prorumpere, recepitq; se in angulum quendam, & plorauit diu satis. Interea Deus celeriter Ministro iucundam illam subtraxit gratiam, moxq; cor illius in filios morem obduruit. Illo autem scire cupiente

Essentialis homo quis.

Paradigma aliud de suo nō quærendo

vnde id accideret, intus ei respondit Deus: Et vt tu miseram illam miserè afflictam, consolationis expertem à te repulisti, ita etiam ego Diuinam abs te consolationem subduxi. Ille medullitus ingemiscens, pectusque tundens, repentè ad portam properauit: vbi cum fœminam non inuenisset, malè se habuit. Ostiarius autem vndiq; cursitans, flentem eam inuenit, iussitq; ad portam redire. Quam venientem Minister placidus excepit, eiusq; mœrore contractum animum blanda consolatione erexit. Deinde ab ea recedens, ad sacellum redijt, ac eodē momento benignissimus Deus cum sua consolatione redijt, vt ante fuerat. Posthæc Virgo sic locuta est: Facilè ille afflictiones tulerit, cui eiusmodi iubilum & interna præstantur gaudia. Atqui, ait Minister, deinceps ea omnia multum sunt afflictionibus, ijsq; duris valdè compensanda. Verum vbi tandem Ministri cruces remitti cœperūt, Deoq; commodum visum fuit, eiusmodi iubili gratia illi reddida est, & perpetua in illo perseuerauit, siue domi, siue foris, siue inter homines, siue solus fuisset. Crebrò ad mensam aut in balneis sedenti eadem præstita est gratia, non tamen eo modo qui foras erumperet, sed introrsus tenderet.

Vbi sit Deus.

CAPVT XVIII.

DEinde Virgo ita ait: Didici iam vtcunq; Pater, quid sit Deus: sed vbi sit, etiam sitire ardeo. Audies id, inquit Minister Theolo-

Theologorum sententia est, non esse Deum in certo aliquo loco, sed vbique & omnia in omnibus. Idem Doctores, quod te attendere velim, ex arte dialectica asseuerant, quandoque adrei notitiam ex eius nomine peruenirri. Porrò Doctor quidam primum Dei nomen ipsum Esse appellat. Ad hanc ergo essentiam, eiusque puram ac nudam simplicitatem tuos adverte oculos, ita vt missam facias hanc illamue substantiam, quæ in partes possit distrahi vel separari, solumque eam spectes essentiam in seipsa, quæ nihil admixtum habeat de non esse. Quicquid enim nihil est, negat id quod est. Sic etiam id quod est, negatio est illius quod non est. Quod adhuc fieri debet vel iam fuit, id in præsentiarum non est. Porrò essentia permixta, vel non esse agnosci non potest, nisi omnimodæ essentiæ consideratione. Hæc essentia non est particularis huius aut illius creaturæ essentia: siquidem particularis vel diuisibilis essentia omnis extraneo quodam permixta est, quò possit aliud quippiam suscipere. Inde colligi potest, diuinam illam prorsusque anonymam substantiam in seipsa omnimodam esse essentiam, quæ particulares omnes essentias sua præsentia conseruet. Quanta igitur humanæ rationis cæcitas est, non posse eam id experiri vel probare, sine quo tamen non potest vel cognoscere, vel perspicere. Dum oculus corporis seriò intentus est ad varios contemendos colores, non obseruat vel attendit lucem illam, per quam cætera quæque conspicit, aut etiamsi cernit eam, non tamen obseruat. Ita etiam oculus mentis nostræ, dum in hanc aut

Primum Dei nomē quod.

Essentia quæ qualis.

aut illam substantiam vel rem intēditur, flo-
cipendit eam essentiam, quæ est supra omnia
purissimum ac simplicissimum ens, & cuius
virtute ac beneficio cætera capere potest, id mi-
nime obseruat. Quamobrem sapiens ille Ari-
stoteles author est, oculum intelligentiæ no-
stræ ob suam imbecillitatem ita se habere erga
ens illud, quod in seipso clarissimum est, vt o-
culos noctuæ vel vespertilionis erga Solis mi-
cantes radios. Enimuerò particulares vel diui-
sæ substantiæ animum distrahunt, distendunt
& occæcant, vt non possit intendere in diuinā
caliginem, quæ in seipsa est lucidissima clari-
tudo. Age iam internos intende obtutus, & si
potes, essentiam illam in eius nuda ac simplici
puritate contemplare. Vbi mox reipsa depræ-
hendis non esse eam aliunde, & nec prius nec
posterius illi inesse, neque foris aut intus vllam
ei mutabilitatem posse accidere, sed esse sim-
pliciſſimam substantiam, eandemq; actuosissi-
mam, præsentissimam, & perfectissimam, in
quam nullus cadat defectus, nulla alteratio,
sed semper vnicè vnicam, in simplici nuditate
permanere. Quæ veritas ita est certa & euiden-
rationi illuminatæ, vt diuersum cogitare ne-
queat: quandoquidem alia ex alijs consequi-
tur & confirmantur. Cum enim sit simplex illa
essentia, etiam necesse est primam esse, nec ali-
unde profectam, sed æternam esse. Cum autem
prima sit, & simplex & æterna, consequens sit &
præsentissimam esse, summaque perfectione &
simplicitate constare, cui nihil adiungi, nihil
abiungi queat. Hæc quæ de simplici diuinitate
dicta sunt, si capere potes, non mediocriter in-

incom-

Quantillus intellectus humanus.

incomprehensibilem occultæ diuinæ veritatis lucem introductam te senties. Istud ens purissimum ac simplicissimum, principalis causa efficiens est rerum omnium creatarum, suaque singulari præsentia quicquid ex tempore factũ est, ceu principium & finis omnium circumplectitur. Totum est intra omnia, totum extra omnia. Vnde Doctor quidam: Deus est, inquit, veluti circulus quidam, cuius centrum vbique est, & circumferentia vel ambitus nusquam.

Ens purissimum causa rerum omnium creatarũ

De Trinitate Dei.

CAPVT XIX.

His absolutis, Virgo ait: Benedictus Deus. Quantum capere potui, satis iam audiui, Quid sit Deus, & vbi sit Deus. Hoc adhuc explicandum supereſt, cum sit ita simplex, vt simul etiam trinus sit. Respondit Minister: Vnaquęque essentia quanto est in seipsa simplicior, tãto magis multiplex est efficacia virtutis ac operationis suæ. Quod nihil habet, dare nihil potest: quod multis abundat, potest largiri plurima. Iam ante dictum est de influente & redundante bono illo quod est Deus in seipso: cuius infinita ac supereſſentialis bonitas compellit eum, vt suam beatitudinem nolit habere solus, sed liberaliter eam & intra & extra seſe communicet. Necessariò autem consequitur, summum bonum sublimissima ac propinquissima ratione seſe diffundere: quod non posset, nisi in præsentissimum, intimum, substantiale, personale, naturale, quod à nullo possit cogi, nullius indigum, infinitum ac perfectum

Bonitas Dei infinita qui efficiat.

fectum esset. Quicquid autem aliarum est communicationum in rebus temporarijs aut creaturis, suam trahūt originem ex æterna illa immensæ bonitatis Dei communicatione vel diffusione ac emanatione. Aiuntq; Theologi quidam, quod in creaturarum ex prima origine effluxu circularis quidam reflexus fit finis ad suum principium. Vt enim personarum in Deitate emanatio forma quædam est originis creaturarum, ita & exemplum sit reflexus creaturarum in Deum. At hic oro animaduerte, quid intersit inter communicationem creaturarum, & Dei communicationem. Cum enim creatura sit substātia particularis & diuisa, donatio quoq; & communicatio illius, particularis & finita est. Pater carnalis dum generat filium, partem quandam substantiæ, non totum id quod ipse est, communicat. Siquidē ipsemet particulare bonum est. Dei autem communicatio tanto est interior & præclarior, quanto ipse præstantius bonū est. Cum igitur ille quius alia bona infinito excedat, necesse est communicationem ipsam illius substātiæ ex æquo respondere: quod esse non potest sine essentiæ illius communicatione vel emanatione iuxta personarum proprietates. Hîc si tu potes purgato intelligentiæ oculo summi illius boni purissimam contueri benignitatem, quæ in sua essentia præsens & actualis est origo seipsū naturaliter & sponte amandi, cernis haud dubiè excellentissimam ac supereſſentialem illā verbi ex Patre emanationem, ex cuius generatione & prolatione cuncta existunt ac proferuntur. cernis etiam in summo bono & suprema emana-

Discrimen inter Dei cōmunicationē & creaturarū

tione

natione in Diuinitate existere sacrosanctam Trinitatẽ, Patrem, Filium, & Spiritumsanctũ. Si ergo suprema emanatio ex summa illa essẽtiali bonitate proficiscitur, fit planè consequẽs, in celsissima Trinitate suprema & coniunctissimam esse (vt ita dicam) consubstantialitatẽ, vel substantiæ communionem, itemque summam æqualitatem & identitatem essentiæ, quã personæ habent in iucundissima communicatione, atque etiam indiuisam substantiam, & indiscretam potentiam trium Diuinarum personarum. Hîc exclamauit Virgo: Papæ, haud secùs mihi in Diuinitate suspensa ferri videor, quam Aquila per æthera volitat. Minister autem cœptum sermonem prosequens: Vt Diuinarum, inquit, personarum Trinitas in essentiæ vnitate possit consistere, non potest verbis edici. Tamen quatenus inde dici potest, Augustinus ait in Diuinitate Patrem esse principiũ de Filij & Spiritussancti. Dionysius Author est, in Patre esse Diuinitatis emanationem, quæ se naturaliter communicet Verbo ineffabili, qui est filius patris: itemque amanter se communicet voluntatis liberalitate filio: rursumque filius eadem voluntatis claritate se refundat in patrem, ita vt DEVS Pater amet filium, & filius patrem, qui est amor reciprocus, dicitusque Spiritussanctus. Quæ licet rectè dicantur, tamen clarius à Diuo Thoma Ecclesiæ splendido Doctore proferuntur, dum ait: In verbi emanatione ex corde Patris id ratio existit, vt Deus Pater suo intellectu sese inspiciat, totamque essentiam suam penitus perspiciat. Nisi patris intellectui non esset proposita diuina essen-

Augustin.

Dionys.

Aquinas.

essentia, non posset verbum conceptum, Deus esse, sed creatura: quod falsum est. Sed hac ratione est Deus de Deo: ipsaq; diuinæ essentiæ consideratio, quæ fit per patris intellectum, debet quandam habere adiũctam expressam naturalis essentiæ æqualitatem: alioqui verbum non erit filius Patris. Atque hîc & vnitas est essentiæ, & Trinitas personarum: in cuius distinctionis certum argumentum, altiuolans illa aquila Ioannes ait: *Verbum erat in principio apud DEVM.* Quod porrò ad Sancti spiritus emanationem attinet, sciendum est, DEVM Patrem per intellectum seipsum semper clarè intuen & cognoscere, & cognoscendo seipsum expr mere. Et hoc est verbum seu filius Patris. Et in seipsum Pater in omni felicitate perfectissimi cognoscens, infinito amore sese & filium suum, & ipse filius eodem amore Patrem diligit. Et hic amor mutuus Spiritus sanctus est, in persona distinctus, sed vnus Deus cum Patre & Filio in vna essentia. Vbi igitur verbum DEI expatris intuitu secundum naturæ formam cum personali distinctione emanat, ista hæc è patre emanatio, generatio appellatur. Vbi autem hæc emanatio fit sub ratione voluntatis & amoris, vnde tertia in diuinis persona ex amoris profluuio proficiscens, ex Patre & ex intima abyisso illius expressa imagine procedit, iam nec filius, nec genita dici potest ea persona. Cum quæ amor iste intellectualiter aut spiritualiter in ipsa voluntate ceu propensio quædam & nexus amoris in amante erga illum quem diligit, ad tertiam personam pertinet emanatio voluntatis, quæ est charitas, dicitur q; Spiritus sanctus.

Ioan. 1.

sanctus: vbi nimirum transformatur homo à diuino lumine, idque tam occultè & abdite, vt nemo nisi expertus, id possit aduertere. Virgo dixit: Ista profecto Domine & excellens & Catholica doctrina est. Sunt autem quidam acuti intellectus, qui abnegent ea omnia, quæ hîc de Deo dicta sunt, putantque ad supremam perfectionem adspirãti, Deum ipsum, pernicioſum & noxium esse impedimentum siue medium, debere eiusmodi hominem & Dei & spiritus expertem esse, & visiones omnes posthabere, atque ad solam irradiantem sese veritatem applicare, quam se comprehendisse affirmant. Respondit Minister: Ista præ se ferunt manifestum errorem: quamobrem fugias ea, potiusque auscultes, quid hinc fides sentiat Catholica. Vulgari quidem modo Deum accipimus ceu Dominum & Creatorem omniũ, qui nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum abire sinat. Ergo qui peccatis dediti sunt, ijs Deus est terribilis. Vnde est apud D. Iob. Semper enim quasi tumentes super me timui Deum. Alij Deo seruiunt spe præmij, Ijs Deus est munificentissimus Dominus, qui possit copiosissime ipsos munerari. Porro quisquis bene exercitatus est in virtutibus, & vitia quæque, quę Deus odit, crebris mortificationibus extirpauit, Deoque ex mero ardentique seruit amore, is Deum medullit' amat, nõ tamen ijs superioribus modis. Nam quod ad eos attinet, non sic ille colit Deum, sed amat eũ vt amicum lõge amantissimum, estque expers timoris seruilis, de quo Paulus ait: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Manet igi-

Cuinã Deus terribilis. Iob. 31.

Rom. 8.

tur eiusmodi deiformi homini Deus & Dominus, & tamen non ità crassè eum colit, quippe qui propius ad eum accesserit per amorem. Vt verò idem ipse spiritus exui debeat, id itidem exponam: Vbi quis in suæ conuersionis exordio sese animaduertit creaturam esse, ex anima & corpore compositam, ipsi corpori & omni sensualitati vel bestialitati nuncium remittit, adiungitque se spiritui & carnem illi subdit, omnisque eius actio interna non nisi quædam meditatio est, vt ad supereſſentialem possit pertingere spiritum, eumque apprehendere, & suum cum illo spiritum vnire. Idgenus homines, occultè sancti vocantur. Cui autem hîc rectè euenit, vbi diu satis hac in parte exercitatus est, & spiritus supereſſentialis eum illicit & inuitat, nec tamen eundem spiritum supereſſentialem potesti apprehendere, iam suam attendit impossibilitatem, & à seipso deficiendo diuinæ virtuti se funditùs permittit ac resignat, atque auersus à sese, ad illam se conuertit, cum contemptu quodam suijpsius & sensualitatis suæ & in summæ essentiæ immensitatem se recipit: atque sub hoc excessu, spiritus quadam suijpsius obliuione capitur, perditque seipsum, vt est apud Paulum: *Viuo autem iam non ego.* Et Christus ipse dixit: *Beati pauperes spiritu.* Manet igitur spiritus, quod ad essentiam pertinet: & deficit, quod ad sensualitatis proprietatem spectat. Denique discrimen inter meram veritatem & incertas visiones etiam patefaciam. Contemplatio immediata simplicis Diuinitatis, non nisi certa ac indubitata veritas est: & quælibet visio quanto magis

Occultè sancti qui.

Gal. 2. Matth. 5.

Visiones quæ quales, aut quę quarum differentia.

est

est intellectualis & formarum expers, & nudæ illi contemplationi similior, tanto & præclarior est. Quidam Prophetiæ imaginarias habuêre visiones, vt Ierem. & alij. Cuiusmodi visiones sæpe adhuc secretis Dei amicis eueniunt, interdum in vigilia nonnunquam in somnis insopito quodam silentio, & abstractione sensuum externorum. Ait Doctor quidam, Angelos sæpius apparere quibusdam in somnis, quã vigilantibus, eo quod in somnis ab externa multiplici actione quiescãt magis, quàm dum vigilant. Quando autem visio quæ fit in somnio, debeat vera iudicari, vt illa Pharaonis de septem bobus pinguibus ac totidem macilentis, & id genus alia multa insomnia, quorum meminit Scriptura, cùm plerunque fallant insomnia, & interdum citra ambiguitatem verum significent: aduertendum est quod Sanctus Augustinus fertur de sua dixisse matre, ex illa se audijsse, eò se diuinitus munere prædita, si quid vel omninò dormiens, vel quasi dormitans vidisset, simul illi à Deo id præstitum discretionis, qua facilè internosceret, num vulgare esset somnium, ac eo ipso nihilipendendum, an imaginaria visio non negligenda. Quotquot idem donum à Deo consecuti sunt, possunt huius rei certius & facilius habere discrimen: quod nemo alteri potest commode verbis tradere: solus id animaduertit, qui accipit.

Cur Angeli dormienti appareant potius, quam vigilanti.

Gen. 41.

August.

Somnia quæ discernenda.

De supremo amantis animi vel spiritus excessu.

CAPVT XX.

HIs itidem expeditis, rursus Virgo ait: Nihil equidem magis scire velim & ex ipsis scripturis edoceri, quam vbi & quo pacto hominis probè exercitati ratio in immensa illa abyssо ad supremum scopum suum tendere debeat, ita vt amorosum experimentum cum scripturæ sententia concordet.

Adhæc Minister ex Diuinis literis rationabile illi respõsum reddidit, cuius ista erat summa, quantum ad arcanos eius sensus pertinet: Eiusmodi præclarus homo simplici ocio verbum illud sensibus grauidum Domini Saluatoris obseruat, quo ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Quisquis ergò aũsterum illud Vbi, quod Dei filius in cruce moriens pertulit, perimitationem non refugit: possibile, immò & æquum est ex illius pollicitatione, vt idem ipse iucũdum illud Vbi Diuinitatis filij, intelligibili ac felicissima ratione in tempore ac æternitate magis vel minꝰ sentiat & perfruatur, quatenus quidem possibile erit. Sed vbinam est iucundum illud Vbi Diuinitatis Verbi? Nimirum in ideali lumine Diuinæ vnitatis, quod secundum ineffabile nomen suum nihil est, secundum introuersionem essentialis quies & silentium, secundum intus permanentem egressionem. Trinitas personarum, iuxta proprietatem suiipsius lumen, iuxta suam increatam virtutum, existentia cuncta producens: vbi spiritus seipsum amittit, & quantum ad actionem

Ioan. 12.

VBI diuinitatis Verbi vbinam sit.

eius

eius attinet, deficit ac perit. Atque hic est supremus scopus, & interminabile Vbi, in quo cunctorum spirituum definit (vt ita dicam) spiritalitas: in quo se amisisse, sempiterna salus est & felicitas. Quod vt exactius perspicias, noueris in ideali lumine Diuinæ vnitatis introrsus manantem esse originem personalis emanationis ex sempiterna Diuinitate, siquidem personarum Trinitas in naturæ vnitate inest, & naturæ vnitas in personarum Trinitate. Vnitas agit per Trinitatem & Trinitas suam habet in vnitate facultatem, vt fere Augustinus ait in Aug. libris de Trinitate. Trinitas personarum in se complectitur vnitatem ceu naturalem essentiã suam: vnde etiam quælibet persona Deus est, & secundam naturæ simplicitatem Diuinitas est. Ipsa autem vnitas in Trinitate distinctè relucet, sed Trinitas quatenus introrsus fertur, in vnitate simpliciter relucet, vti in seipsa eã simpliciter complexa est. Pater est origo filij, & Filius ex Patre æternum emanat secundum personæ distinctionem, & intus manet secundum essentiam. Pater & Filius simul producunt Spiritumsanctum: & vnitas quæ primæ originis essentia est, etiam trium simul personarũ substantia est. Vt autem Trinitas vnum sit, & Trinitas in naturæ vnitate vnum sit, & tamen Trinitas ex vnitate sit, non potest vllis explicari verbis ob abyssũ illius simplicitatẽ. In hoc intelligibile, Vbi, transfert & immergit sese spiritus hominum perfectorum, atque præ infima sublimitate volitat, præ inexhausta profunditate natat, stupens & admirans alta & mira Diuinitatis arcana. At tamen suam hîc

naturam retinet, dum fruitur consempiterni ac eiusdem potentiæ, intus manentibus, & tamen emanantibus personis: manetq; abstractus ab omni occupatione rerũ inferiorum, in diuinitatis stupenda mysteria intenta acie defixus. Quid enim tam est admirandũ, quam simplex illa vnitas, in quam personarum Trinitas simpliciter sese immergit, vbi omnis multiplicitas subducitur, (quod ita intelligendũ est, personarum emanationem semper referre sese in eandem diuinæ essentiæ vnitatem) atque etiam creaturæ secundum ideas quas habent in Deo, in eadem vnitate vitam, scientiam & essentiam æterno in Deo habent, vt est in Euangelio, *Quod factum est, in ipso vita erat*? Ista nuda vnitas est ligonosum silentium, & tranquillum otium, quod capere non potest, nisi cui intus illucet vera libertas nulli malitiæ permixta. Ea enim in vera regeneratione producitur, vnde atq; ea relucet veritas omnis expers falsitatis: quæ quidem in memoratæ nuditatis reuelatione sese profert. Ibi nanq; exuitur homo naturali obscuro illi lumine, quod humano modo eum illuc vsq; comitatum est, posteaquam veritas ipsi patefacta est. Enimuerò alium quendam lucem sese comperit, idq; magis propriè & perspicuè, quam in prioris luminis ratione sese intellexerit. Quo facit quod Apostolus ait: *Viuo autem iam nõ ego*. Atq; ita exuitur planè & fit quasi modi expers in simplicis diuinæ essentiæ modinesciam, quæ rebus omnibus illucet simplici quodam silentio: atq; hic permanens discretæ personarum singulariter acceptarũ, in singulari modinescio modo amittitur. Vt enim aliquid quidam,

Ioan 1. Nuda diuinitatis vnitas quid sit.

Galat. 2.

quidã, sola patris persona separatim sumpta, non præstat beatitudinem, vt nec sola filij, neque Spiritus sancti persona: sed tres simul personæ in essentiæ vnitate cohærentes, veram præstant beatitudinem. Et hæc est personarum naturalis essentia, quæ creaturis omnibus ex gratia substantiam vel essentiam præbet: rerũque omnium ideas in se simpliciter & essentialiter complectitur. Cum igitur ideale illud lumen Dei, sit eius essentia, in ipso quoque res omnes secundum ideas essentialiter, non accidentali quadam configuratione insunt: & quia rebus omnibus illucet, iuxta luminis proprietatem sese habet: sicque res omnes in illa essentia relucent cum interno quodam silentio secundum essentiæ simplicitatem. Idem intelligibile Vbi, vnde iam dictum est, vbi fidelis seruus cum sempiterno filio vna commorabitur, potest accipi existens illud anonymum Nihilum, vbi spiritus ad vnitatis nihilum pertingit. Ea verò vnitas idcirco nihilum appellatur, quod spiritus nihil possit reperire in tempore, quod illi congruat. Sentit tamen spiritus contineri se ab alio quodam & à se diuerso. Itaque verius ibi à nihilo, quam ab aliquo continetur. Et est sanè nihilum spiritui, eo modo quo scire non potest quid sit. Quando igitur spiritus in hac luculenta caligine commorari incipit, idque adeo, vt seipsum nesciat, omne medium & omnem suam proprietatem amittit, vt D. Bernardus inquit. Hoc verò plus ve minusve fit, prout spiritus siue in corpore, siue extra corpus, extra seipsum in eam vnitatem excessit, atque seipsum amisit, in DEVM S. Bernard.

1. Cor. 15. transformatus, qui illi iam probe est omnia in omnibus, vt Apostolus ait. In hac sui absorptione, spiritus à seipso deficit, & transit in Deum, non tamen fit ex natura Deus, sed præstatur id ei per gratiam. Est enim res quæpiam, ab aliquo existente creatus. Itaq; dum spiritus supra se rapitur & in Deum absorbetur, amittit ambiguam admirabilitatem in suijpsius amissione, vbi secundum sensus à seipso deficit, nescit quicquam de seipso vt seipso. Nam si communi velimus more loqui, spiritus luculenta diuinæ essentiæ virtute rapitur supra naturę suę facultatem in huius Nihili nuditatem: siquidem à creaturis modis omnibus absolutus est, & tamen in seipso suum seruat modum peculiarem iuxta suam essentiam. Hic modi nescius modus est personarum essentia, quæ eam in se simplicitatione perfectissimè complexæ sunt. Ista cognitio spiritum (vt dictum est) supra se excedere facit: idq; fit in Nihilo vnitatis secundum ipsi Nihili impenetrabilem cognitionem, ita vt proprium amittat nomen suum spiritus, quippe qui hic sese perdit, seipsum nescius, & rerū omnium obliuiscens. Quod nimirum tum illi euenit, cum à seipso & tam sui quam rerum omnium creata essentia auersus, ad simplicem quam in diuinæ vnitatis Nihilo habet, ideam se conuertit. In hac diuinissimi Vbi arce, perceptibilis quædam est abyssus, cunctis modis spiritibus præludens: atque inibi spiritus in arcanam venit nominis carentiam, & immensam vastitatem, quæ est inexhausta creaturarum omnium abyssus, sed sibimet penetrabilis. Latet eam omne illud, quod ipsa non est, præterquā qui-

quibus ipsa se vult reuelare vel communicare, quos sanè introrsus recipi & ita quærere, & quodammodo ipsam per ipsam cognoscere oportet, vt sacræ habent scripturæ: *Videbimus eũ sicuti est.* Hanc cognitionem non habẽt spiritus hominis ex seipso: sed vnitas trahit eum in Trinitate ad se, id est, in ipsius supernaturalem habitationem, vbi supra seipsum commoratur in eo, qui eum illo attraxit: vbi spiritus moritur, viuens semper in stupendis arcanis diuinitatis. Ea vero mors spiritus in hoc consistit, ℣ in suo excessu distinctionem non aduertit in propria essentia. Porrò secundum exitum vel emanationem seruat discretionem iuxta personarum Trinitatem, finitq; res quaslibet discriminatim esse id quod sunt, quemadmodum Sapientiæ Minister in libello veritatis distinctè explicauit. Est insuper aliud quod hic aduertere debeas, nempe in memorato illo spiritus excessu ex vnitate diuina simplicem radiare lucem: atq; eam modi expertem lucem tres diuinæ personæ in spiritus humani purã substantiam mittunt: atque ex huius coruscatione luminis, spiritus à seipso & virium suarum actione deficit, & opere ac spiritu (vt sic dicam) destituitur: quod fit, dum in ea introuersione extra seipsum in incognitam Diuinitatem aberrauit, amisitq́ue sese in tranquillissimo silentio radiantissimæ Diuinitatis & simplici vnitate. In hoc modo nescio Vbi, summa beatitudo ita est. Ait Virgo: Papæ, quo tandem modo huc pertingemus? Respondit Minister. Audies hoc ipso præclarissimo Dionysio, scribente Timotheo in hunc modum. Tu verò Timothee

Abyssus qua qualis.

1. Ioan. 3.

℣ Mors spiritus in quo consistat.

Myst. Theol. cap. 1 iuxta Camaldul.

charissime intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilium, & intelligibilia omnia, & quæ non sunt, & quę sunt omnia: & vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemq; scientiam est, ignotè ipsum pro viribus intende. Enimuerò abs te ipso atq; ab omnibus liberè & absolutè ac purè excedendo, ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus euolabis. Et paulò ante: Trinitas supersubstãtialis deitate ac bonitate superior, diuinæ Christianorum sapientiæ præsul, dirige nos ad mysticorum eloquiorum supremi incognitum, & lucidissimum, atq; eminentissimum verticem, vbi simplicia & absoluta atque inuertibilia Theologiæ mysteria secundũ superluminosam silentij in occulto docentia, superliquidissimamq; caliginem sunt adoperta in densissimis tenebris eum qui plusquam excellentissime splendet, superillucentem, & in refugiente omnino tactum atq; inuisibili, honestissimis fulgoribus & plusquam pulchris excellenter implentem vacuos oculis spiritus.

Dionysij Areopag. ad Trinitatem aspiratio.

Epilogus quidam eorum, quæ ante dicta sunt, & lucida explicatio.

CAPVT XXI.

DEinde virgo ait: Loqueris tu quidem mi Domine ex propria experientia & diuinis literis de simplici diuinitate, & spiritus effluxu ac refluxu peritè & Catholicè. Sed dicta

dicta hæc mihi satis obscura perquam velim sub quibusdam expressis similitudinibus pro ma intelligẽtia declares, vt ea plenius capiam, & quæ hactenus fusè dicta sunt, in compendiũ contrahas, vt labili memoriæ meæ firmius inhæreant. Respondit Minister: Quod formę expers est, quis potest sub formis proponere? & qᵖ modi nescium est, declarare quis potest, cùm id sensus omnes & rationem humanam superet? Quæcunque enim illi adhibeatur similitudo, infinito eius dissimilius est quam similius. At tamen vt formæ formis excludantur, sub quibusdam figuris & similitudinibus quatenus fieri poterit de ante dictis illis sublimibᵘ & formæ nescijs rebus aliquid dicam, vt videlicet intelligendæ sint, & prolixum sermonem breuibus compræhendam. Ait ergo sapiens quidam Theologus, Deum secundum Diuinitatem suam esse velut amplissimum circulum, cuius centrum vbique sit, & ambitus nusquam. Itaque in imaginaria quadam cognitione vel meditatione hæc tecum ipsa perpendas. Si quis grãde saxum mittat in medium stagnum, mox existit circulus quidam in aqua, & is circulus sua vi statim alium, & hic rursus alium efficit circulum, & pro primi iactus efficacia circuli etiam se extendunt. Posset ergò tanta illius iactus esse vis & impetus, vt plures efficiat circulos, quam possit aqua continere. Sit igitur exempli loco primus ille circulus propositus, vt per eum intelligas omnipotentem Diuinæ naturæ virtutem, eam quæ in Patre infinita est, quæ ex se alium efficit circulum sibi similem secundum personam, quæ est filius, atque ex duo-

Deus qualis circulus.

Simile.

duobus his circulis tertius procedit, qui est Spiritus sanctus. In hac impenetrabili abysso Diuinæ naturæ, Pater loquitur & gignit Verbum alteram in Diuinis personam, quæ tamen secundum essentiam intus manet, nec profertur. Hoc verbum naturam suscepit humanã: Quod si quis sub quadam velit similitudine proferre, capiat formam hominis, ex cuius intimis cordis visceribus similis figura emergat, eadémque in ipsam originem suam perpetuò deflectatur. Hæc spiritalis ac supersessentialis Verbi generatio, causa est & ratio perfecta omnes spiritus & res vniuersas producendi & creandi. Summus ille & supersubstantialis spiritus hominem adeò nobilitauit, vt ex sempiterna Diuinitate sua ipsum irradiet. Atque ipsa est imago Dei in mente rationali, quæ etiam æterna est. Itaq; ex magno illo circulo, qui sempiternam designat Deitatem, vt secundum imaginarias quasdam similitudines loquamur, parui existunt circuli, qui haud absurde præcelsam suæ intelligentiæ possunt significare generositatem. At plerique ab hac mentis dignitate sese perniciosè auertentes, DEI in se splendidam imaginem deturpant, atque ad corporeas Mundi huius sese voluptates transferunt: quibus cũ auidi inhiant ac dediti sunt, mors inopinata eis finem imponit. Qui verò mentis compos est, cum hac micãti animæ scintilla ad id quod stabile & æternum est, vnde traxit originẽ, sese confert & erigit, cunctisq; valefaciens labentibus creaturis, soli æternæ veritati sese adiungit & inhæret. Atque vt hic etiam explicatiùs doceáris, quo ordine spiritus in Deum reuerti debeat,

Spiritus quomodo in Deũ reuerti debeat.

beat, aduerte quæ subiungo. Primò illi danda I.
opera est, vt nudè ac expeditè à Mundi voluptatibus, & vitijs quibuscunque viriliter & magno animo sese auertat, conuertatque ad Deum per orationes cõtinuas, per sui abstractionem, per discreta ac sancta exercitia, quibus carnem spiritui subiectam reddat. Secundo, sponte ac II.
æquanimiter offeret sese ad perferendam infinitam aduersitatum omnium, quæ possint vel à Deo, vel à creaturis ipsi accidere, numerositatem. Tertiò, crucifixi IESV passionem sibi imprimet, suoq; affiget animo illius suauissimas institutiones & mitissimam conuersationem vitamq; purissimam, quã exempli nobis præbendi causa gessit, vt ipsum imitetur, sicq; per eum vlterius penetret ac penitus ingrediatur. Dehinc verò intermissis externis occupationibus, sese in quodã collocabit mentis tranquillo silentio, & tacita tranquillitate, idq; cum efficaci ac forti quadam resignatione, perindè ac sibi ipsi mortuus sit, ita vt nusquam spectare sese, sed Christi duntaxat & cælestis patris eius honorem & laudem aucupari, humiliter ac amanter erga mortales omnes, inimicos æquè ac amicos, sese gerere velit. Inde porrò homo exercitijs sanctis intentus, sensuum externorũ, qui prius in sui extrouersione admodum erant operosi, actione destituitur, & spiritus ad viriũ supremarum, quatenus secundum naturalem operationem vigent, defectum quendam pertingit, & quiddam supernaturale experitur. Atq; hic spiritus seipsum secundæ naturæ inhęsionem amittendo, vlterius introrsus tendit ac nititur per circulum sempiternam diuinitatẽ

signifi-

significantem, atq; locupletem peruenit perfectionem. Suprema autem spiritûs opulentia in propria illius forma in eo sita est, vt absq; vllo vitiorum pondere diuina virtute sese subrigat in luminosam intelligentiam suam, vbi talibus consolationis continuum experitur influxum, potestq; res sapienter expendere & considerare, & prudenter exequi, prout ratio & diuersitas eorum exigit, statq; ordinatè liberatus per filium in filio: at tamen etiamnum foras respicit res ipsas in propria illarum natura, distinctè & sapienter contemplando. Potest id dici spiritus excessus quidam, quandoquidem hîc vltra tempus & locum transcendit, atq; intima & amorosa contemplatione in Deum recessit. Hic vero qui seipsum magis adhuc expedire ac penitus penetrare nouit, cuiq; Deus efficaci quodam raptu excellenter ac singulariter opitulari velit, vt fecit D. Paulo, & alijs etiamnum, D. Bern. teste, præstare posset iam spiritus creatus à supereſſentiali Dei spiritu comprehenditur, rapiturq; eo, quo propria non posset virtute pertingere. Sub hoc raptu imagines, formas & omnem multiplicitatem amittit, atque in sui ipsius & rerum omnium ignorationem perducitur, ita vt nec se nec cætera extra Deum attendat vel aduertat, atque cum tribus sacrosanctis personis in diuinitatis abyssum simplici immersione absorbetur, vbi secundâ supremam veritatem, suam experitur beatitudinem. Hic nulla iam supereſt actitandi vel conandi intentio, quando principium & finis vnum effecta sunt, & spiritus, seiptum excedendo, cum Deo vnitus est. Vt autem excessus spi-

2. Cor. 12.

Bernard.

ritus,

ritur, qui etiam in hac vita temporaria, homini contingunt, durabili vel non durabili modo se habeant, aut vt quis magis vel minus in tempore supra tempus rapiatur, ac à seipso deficiat, & in formæ nescium illud (vnum) transferatur, superius satis, vt reor, expressæ declaratum est. Hic iam filia considereres velim, omnes expressas imagines, & verba per similitudines prolata, tam esse dispares illi formę omnis experti veritati, quam nigerrimus æthiops lucidissimo Soli dissimilis est: idque fit ob eiusdem veritatis formæ nesciam & incognitam simplicitatem. Hæc cum dixisset Minister, sursum erectis luminib⁹ ait Virgo sancta, Gratias ago & laudes æternæ veritati, quod ex prudentissimis & optimis sermonibus tuis mi Pater pulchrè didici, & quæ sint prima exordia hominis meliorem vitam incipientis, & quę amplectenda, quæ fugienda, quę seruanda & exercitanda sint homini proficienti, & quæ sit denię suprema veritas ad perfectos pertinens. Postremò, vbi sancta hæc Virgo à spiritali suo patre præclarè fuit edocta ex Christianæ religionis certa veritate, quibus rationibus ad supremam pertingatur beatitudinem, eaq; probè illius dicta cepit, quatenus in hac vita fieri potest, in extremis suis literis idē pater eius spiritalis, Minister Sapiētiæ inter cætera sic scripsit: Age iam filia, nūcium creaturis omnibus mortalibus remittas, cessentq; deinceps quæstiones tuæ. Audi tuipsa, quid in te loquatur Dominus Deus. Est sanè quod gaudeas præstitū tibi esse, quod multis negatum est. Et licet duros tuleris causa labores & dolores, ij iam omnes præteri-

teriêrunt. Nihil iam tibi agendum supereſt, ni
ſi vt diuina pace in tranquilla requie perfrua
ris, & hilariter expectes horam illam, quam
vita temporaria in perfectam ac æternam cõ
migrẽs beatitudinem. Paulopòſt obijt Virgo
hæc ſanctiſſima, & feliciter deceſſit ex hac luce,
ſicut etiam omnis eius vita non niſi virtutibus
conſpicua fuit. Apparuit autem ſuo ſpirituali
patri poſt mortem ſuam in quadam abſtracta
viſione, eratq; habitus eius niue candidior, &
ipſa ſplendida claritate renitens, cæleſtibus a-
bundabat gaudijs. Acceſſitq; ad eum, & oſtendit
illi quam excellenter in ſimplicem exceſſiſſet
diuinitatem. Quæ ille ſumma cum animi vo-
luptate & vidit & audiuit, eiuſq; anima ex hac
viſione cæleſti eſt conſolatione perfuſa. Vbi ad
ſe redijt, ex imò ingemiſcens pectore, ita cogi-
tauit: Ah DEVS omnipotens, quam ille beatus
eſt, qui tibi vni intentus eſt? Meritò libenter
aduerſa patiatur, quem tu pro ſuis afflictioni-
bus hoc pacto conſolaturus es. Præſtet no-
bis omnipotens DEVS, vt etiam
nos ad hęc beatæ vitæ gaudia
perducamur. Amen.

(·.·)

D. HEN

D. HENRICI SVSONIS VIRI SANCTISSIMI LIBELLVS DE IX. RVPIBVS.

PRAEFATIVNCVLA IN LIbellum de IX. Rupibus.

INsignes huius operis ac memoratu dignas Institutiones, quaeso, mortales omnes seriò animaduertant. Quisquis enim librum hunc à capite vsque ad calcem seriò perlegerit, aut lectitari audierit, is sanè emendare se compellitur, nisi sponte ac dedita opera velit miserrimus emori. Quod si pius est, cupitq; sese ad DEVM conuertere habet hic, vnde perspicue doceatur, modo velit aduertere, quo itinere ad suam debeat originem vel principium, nempe DEVM, proficisci. Facilè nusquehic discere licet, vbinam quis hæreat etiamnum, aut quibus rebus impediatur, quid eum captiuum ac irretitum detineat. Adeoque mortalibus quibuscunque liber hic scriptus est, siue peccatis implicati, siue sanctitate etiam quamuis eximia præditi sint: id quod intelligent, si legere non recusabunt. Quatuor autem quædam complectitur, quorum primum est, vt quidam amicus DEI ad hunc conscribendum librum diuinitus adactus sit: Alterum, vt peregrina illi simulacra vel visa proposita sint: Tertium, Vt eorum qui fidem Christi profitẽtur, vitia perspicue cognouerit: Quartum, vt praelsum quendã

montẽ conſpexerit, IX. diſtinctũ rupibus, quarum ſingulas Chriſtiani incolebant, erantque aliæ aliis ſublimiores, donec in ipſum montis ſupercilium pertingeretur.

VT AMICVM QVENDAM SVVM Deus compulerit hoc opus conficere.

CAPVT I.

QVodam tempore in Aduentu Domini anto Saluatoris natalem diem contigit, vt quidam admodum manè diuinitus admoneretur intrò ſe recipere. Is vt erat admonitus, ſerió id egit, ſecreti cuiuſdam loci, vbi precari ſolitus erat, ad id ſeceſſu petito. Vbi igitur intrò ſe recepit, miræ quædam & rarę ac peregrinæ illi formæ vel ſimulacra proponebantur. Vnde non parum territus, clamauit ad Dominum: Quidnam, inquiens, mi Domine, peregrinis hiſce formis ac imaginibus tibi vis? Scis nimirum nihil me præter te vnum, amore complecti, nihil niſi te concupiſcere, ſpectare & velle. Sicq; modis òmnibus viſis illis ſeſe oppoſuit. Quod cum enixus ageret, formæ magis ac magis multiplicabantur. Et poſteaquam ita queſtus erat Domino, atque aduerſus formas illas renitebatur, intus ei dictum eſt: Noli contra hæc viſa ſeu imagines luctari. feras eas omnes modò neceſſe eſt, aut donec vixeris non te relinquent. Tum ille ad Dominum Matth. 6 & 26 Quæſo, ait, amantiſſime Deus, ne indignè feras. Fiat voluntas tua. Mox igitur vbi ſuam DEO

permiſit

permisit voluntatem, admirandas hasce & peregrinas intus sibi exhiberi sensit formas vel imagines: neque tamen visio hæc salutationis Angelicæ spatium excessit. Quamobrem exterritus valdè, ait: Pijssime Deus, quid sibi volunt hæc visa admiranda? Respondit Deus: Non nisi similitudines quædam eorum sunt, quæ iam visurus es, quæ quidem isthæc multum excellunt. Hom. Siquidem, mi Domine, plura adhuc mira perspecturus sum, vereor ne graui corporis valetudine id luere me oporteat. Neque ignoras creaturis omnibus me nuncium remisisse, quo vera ex obedientia tibi vni ad mortem vsque in omnibus adhæream. D. Agè iam patefac interiores obtutus tuos, & vide. Quibus dictis, mira omnia, quæ subiungentur, homini isti ostensa fuêre. Qui ingenti terrore correptus est. Porrò visio isthæc vix tanto durauit tempore, quanto solet Missæ sacrum cantando absolui.

Hom. Nôsti Domine, nullam me præter tuam vnius consolationem appetere. Quid ergo isthæc mira sibi volunt? Deus. Iam experieris ea omnia, quæ post hîc scripturus es. His auditis, admodum corpore languere cœpit, aitque ad Dominum Homo: Vehementer equidem mi Domine perterritus sum. Nam vt apparet, grauiter in Christianos iratus es, quorum me sanè ex animo miseret. O si pro illis te obsecrare auderem, tametsi me indignum agnosco, D. Quæcunque vidisti, in scripta redigere debebis, idque pro Christianorum salute & commonitione. H. Ecquid mi Domine hoc prodesse? Habent codices innumeros, multosque

Doctores: sed quæcunque eis dicuntur, in ventum tantum proferuntur, nec alicuius ea pensi habent. D. Ne sic loquaris. Tanta est Dei in homines benignitas & amor, vt prinsquam, quâtum in ipso est, vnum aliquem mortalium perire sineret, modo fieri posset, libens denuò illius causa mortem pateretur. Vnde tamethinó nisi vnus duntaxat hinc ad meliorem esset vitam reducendus, at nihilo minus libenter ista scribéres, etiamsi acerbam propterea mortem tibi nósses perferendam. Territus his Homo, ait: Per immensam te oro misericordiâ tuam Deus, liceat mihi hac scriptione supersedere. D. Quid ita? H. Scio Domine, multos te habere Doctores, qui hanc prouinciam & ausint & possint in se recipere. Ego verò miser planè sum, neque commode ista hæc alijs proferre noui. D. Non putes te esse primum, per quem Deus Ecclesiæ suæ suam communicarit gratiam. Fiet hoc Deus etiam per plures alios, nihilo te pertiores. Itaque teipso abnegato, iam incipe manum admouere operi.

Dei in homines benignitas quanta.

H o. Quæso, mi Domine, liceat abstinere, pace tua: siquidem indignus sum, aitq; lacrymátibus oculis: Pijssime Deus, hac in parte oro parcito mihi, quicquid præterea voles, faciam equidem ac lubens. Vereor enim, ne huius scriptionis occasione quippiam mihi hostis ingerat.

D. Tribue honorem Deo, nec inde quicquá tibi arroges: & quicquid deinde hostis tibi ingesserit, id tentationis loco accipe. potiusque hac in causa, atque in alia, patiens esto. Nonenim debet quisquam à cruce velle absolui, do-

Nota.

nec

nec absoluatur à Deo. H. Non id iam ago, vt crucem subterfugiam. D. Ergo nunc incipe, malisque hanc ferre crucem, quàm aliam. H. Ne quæso irascaris Domine. Equidem valde inuitus hoc aggredior ob pusillanimitatem meam. D Quid verò tibi assumas aut arroges homo miser ac putidè? Concede honorem Deo, nec quicquam tibi vsurpes, ac prorsus indeliber esto. H. Timeo, ne Christiani ceu vana mendacia reijciant quæ scripturus sum. D. Eam curam in Deum reijcias. Certè reipsa apud sese comperient, non nisi vera te scripsisse. Neque hoc nostrum colloquium sanctæ Ecclesiæ aut sacris literis repugnat. Immo Catholica fides habet, Deum tum in veteri, tum in nouo Testamento mira & magna cum suis amicis specialibus operatum. Cur ergo hodieq; non illi liceat, vbi velit, & quid ac quomodo velit, efficere? Age igitur scribendi munus aggredere, certus nimirum, annis centum Christianæ Ecclesiæ id neutiquam æque necessariũ fuisse: quando hac tẽpestate vitã Christiani agũt maximè periculosã. Ergo, vt dixi, ad scribendũ accingere. H. Admodum ab hac re meus abhorret animus Domine; nisi me coẽgeris, nunquam id efficere potero. Deus: Compellet igitur te Deus omnigena spiritus & corporis afflictione. H. Iure meritoq; patiar, quicquid tibi visum erit. D. Vtcunq; rem protrahas, aliter fieri nõ potest, quin scribendi fungaris officio. H. Ingratis & nolẽs id ago Domine, tua pace dixerim. Enimuero me vilẽ nimis atq; huic excellenti subeundo negotio impar ẽ agnosco: idq; me medullitus perterret. D. Nisi inobe-

dientia isthæc tua ex humilitate proficiscere-
tur, iam in tartara mergereris. H. Si fieri potest,
oro vti, ne scribere me compellas. D. Vt video
compellendus es. Per sacrosanctam Trinita-
tem iubeo, vt absque mora iamiam hac ipsa
die scribere incipias. Perterritus homo, sic ait:
Ego miser vermiculus sum, adeoque plane in-
dignus, qui in creaturis tuis numerer: tibique
mos gerendus est. Heu me miserum. Quæso a-
mantissime Domine, ne ad vllius vnquam crea-
turæ notitiam perueniat, per quem ista scrip-
seris. Et quia, Deus suauissime, scribendum est,
licetne amicabiles hasce exprimere voces, qui-
bus te compello, vt quòd te amantissimum
Dominum voco?

D. Maximè verò: Amicorum DEI familia-
ris amor & amicabilis familiaritas erga Deũ
hîc incipit, perseueratq; in æuum sempiternũ.
Si quid autem inciderit, quod prima fronte
nõ probè capias, ex me scisciteris: & confestim
explicabitur. In his vndecim Hebdomadibus
sæpiùs accidit huic homini, vt se mox emori-
turum putaret, crebroque tam occultis est affe-
ctus morbis, vt scribi vix possit. Sanè si quis
totum hoc colloquium, miraque ea omnia,
quæ his vndecim Hebdomadibus inter homi-
nem istum & eius dilectum Deum intercesserẽ,
antequam eò adduci posset, vt se scripturum
reciperet, explicare vellet, grande volumen
confici possit. Hoc interuallo temporis frequẽ-
ter compulsus est à Deo cuncta hæc mira con-
spicere, quæ hoc libro continentur. Qua autem
hora Christianorum omnium siue sanctæ Ec-
clesiæ vitia & peccata perspexit, ex hoc ipso
tanta

tanta medullitus debilitate affectus est, vt se illicò spiritum redditurum putaret. Finitis autem his vndecim hebdomadis, cùm seuerum diuinitus præceptum accepisset, dixit illi Deus: Iam nunc ea, quæ vidisti & audisti, in scripta redigas. H. Libenter morem tibi geram Domine, & in tuo nomine scribere incipiam.

Vt anima à Deo creata, pro maxima parte sese à Deo auertant, & per vitia in interitum aberrent, adeo vt vix paucissimæ redeant ad suam originem Deum.

Caput II.

DEvs: Agedum aperi nunc internos oculos tuos, & adspice vbinam sis. Sub his verbis, vidit hic homo montem quendam miræ magnitudinis, sublimitatis ac amplitudinis in cuius fastigio aqua instar maris profunda fuit, adspectu quidem pura & perspicua, in eaq; natantes pisces innumeri pusilli & grandes: ostensumq; est illi, in quadam montis extremitate ingentes vndas illas è supernis in celsum illum profluere montem, ad cuius verticem dum pertigissent, per præcelsas rupes in vallis profunda ruebant, ita vt pisces simul decidentes, admodum attererentur, eratq; vndarum ex rupibus in rupes decidentium fragor ac impetus visu & auditu terribilis, hominemq; istum ingenti concussit horrore. Vidit etiam pisces multos satis in montis cacumine in vnum conglomerari, sicq; vna cum aquis in imam vsque vallem per rupes singulas delabi

præcipites. Itaque homo iste terrore correptus ait ex imo pectore ad Dominum: Dic mihi amantissime Deus, quid sibi vult grandium horum piscium conglomeratio atque in vnum collectio, & subita vna cum vndis per hanc præcelsas rupes in ima prolapsio? D. Vastum atque ingentem hunc montem creauit, constituitque Deus, vt sit horum piscium origo. Piscium autem eorundem hæc natura est, vt postea quàm iustam sunt adepti ætatem, in vnum collecti aduersum sese dimicent. sicq; cum vndis in ima labuntur.

H. Quò verò tum pertingunt, aut quousque procedunt? Cernebat interim homo iste manentes pisces in valle, atque per flumina decurrentes: quanto autem longius processissent, tanto magis semper eos numero imminui. Siquidem vbique locorum extensa eis erant retia, quibus alij post alios capiebantur: natabant per fluuios omnes donec in mare pertingerent, per quod similiter peruagabantur. Iamq; vix media pars superesse videbatur, cæteris captis ac irretitis, dum nimis incustoditè ac dissolutè promanârent. Ait autem summa cum admiratione homo iste ad Dominum: Videntur pisces isti maris extrema attigisse, nec iam facilè posse vltra progredi.

D. Ita se res habet. Nimium sanè progressi sunt. Antequam ad suam reuerti poterunt originem, ad tantam redigẽtur paucitatem, quod ipse admiraberis. Vidit igitur reuerti pisces, atque per mare, cunctaq; flumina regredi: quòtoque fiebant propiores, tanto reddebantur pauciores, eo quod vbique per omne iter la-

qua

quei innumeri tensi erant, quibus detinebantur & implicabantur. Vbi verò ad montis radicem reuersi sunt, tam pauci erant vt ex mille vix vnus redijsse videretur. Deinde conspexit eos per immanes illas ab alto ruentes vndas sursum prosilire, ex valle in montem, idq; tãdiu, donec ad proximam peruenissent rupem, ex qua rursum in aliam exiliebant, sed multi in hanc duram recidebant rupem, penitusque emoriebantur, ita vt pauci numero remanerent. Qui autem mansere superstites, continuè super sese per aquas defluentes tendebant ad montis superiora, in eoq; studio perseuerabãt, donec aliquam multas, easq; sublimes, excessissent rupes. Quibus omnibus maxima cũ difficultate superatis, tum demum ad celsissimam quandam pertigere rupem.

H Dulcissime Deus, etiámne hanc rupẽ scandere debebunt? D. Immò sanè. Enimuerò hæc eis natura ineſt, vt etiamsi vitæ discrimen subeundum sit, non cessent neque desistant, donec ad suam reuertantur originem. Et perplures cum vitæ periculo sursum natare ac prosilire, atque huius excelsæ rupis acumen apprehendere nitebantur: sed quoties sursum exiliebãt, toties aliqui ex eis relabebantur in infimam vsque rupem, vita penitus extincta: sicque paucissimi ad supremæ rupis verticem perferebãtur. Quotquot autem eam apprehenderunt, ab ea in montis fastigium, vbi mare erat confugiebant, atque illic in suam erant reuersi originem. Quo cum peruenissent, pene viribus omnibus destituti videbantur.

H. Quid est, Domine mi, quod tam pauci huc

pertigerunt, ijdemque plane debiles, ac vires penè omnes amisisse videntur? D. Id eis ob magnum ascendendi laborem atque animi contentionem vsuuenit. Postquam verò huius rupis verticem consecuti sunt, ob apprehensam originem suam tãto replentur gaudio, vt mox viribus præ lætitia cõualescant: quamuis pauci sint, vsque adeo tamen fœcundi redduntur, vt tanta ex eis piscium oriatur multitudo, quibus omnes huius montis vndæ repleantur. Et quotquot pisces ad hunc reuertuntur mõtem, colorem mutant & vbi in suam rediere originem nomen aliud accipiunt.

Quemadmodum homini isti totius Ecclesiæ vitia ostensa fuerint.

CAPVT III.

HOMO: Nôsse velim Deus benignissime atque suauissime, quidnam mira hæc significent. D. Nihil sanè aliud, nisi vt quã periculose ac miserè hodiè viuant homines, & quantis in periculis Ecclesia versetur, agnoscas. Vehementissimè territus Homo, ait ad Dominum: Toto corde & animo Deus clementissime te oro & obsecro, vt mortis genus longè acerbissimum ac ignominiosissimum, quale nemo vnquam perpessus sit, mihi accidere permittas, tantum vt miseræ Ecclesiæ tuæ miseriaris. D. Absit absit. Vides tamen quàm parum prosit, Deum ipsum mortem obijsse, quid igitur tua mors conferre queat?

H. Confido planè, morte tua etiamnum plures

ros seruari. D. Longe pauciores sanè, quam hoc periculoso seculo Christiani persuasum habeant.

H. Equidem spero Domine, modò Ecclesia sua agnosceret vitia & errata, neutiquam ea admissuram esse. D. Nihil hoc eos excusat. Quisquis enim id ætatis attigit, vt rationis compos sit, is cuncta Christianæ religionis instituta & decreta nôsse & seruare obligatus est. H. Reuerà Domine, vt præsens sese tempus habet, tremendum est valde quod ais. D. Quin ipse iam videre oportet, quibus periculis Ecclesia obuoluta est, vtque hac tempestate viuant Christiani omnes contra leges, constitutiones & decreta omnia, diuini timoris prorsus immemores & expertes. H. Si id abs te impetrare licet, obsecro Domine, ne mihi hæc videre contingat. Nam alioqui tot & tanta iam noui, vt quoties eorum mihi subit cogitatio, vt vires omnes amittam.

Adque homo rationis cõpos cognoscenda & seruanda obligetur.

D. Videas ea necesse est: neque stolidos modò & fatuos conspicies, sed etiam eos, qui virtutis aliquam speciem præ se ferunt, & sunt bona præditi voluntate, vt ij irretiti sint, & quibus adhuc distineantur ne vltra procedant. H. Fiat Domine in omnibus ita vt vis.

Animæ inficiantur peccato originali, & de querimonia & comminatione Dei aduersus Ecclesiam in omni statu corruptam.

CAPVT IV.

AGE iam adspice oculis internis, vbinam sis. Sub his verbis perspexit homo iste procul

cul se abductum in vallem quandam, ad mon
tem immanis ac horrēdæ celsitudinis, qui si
cacumine cælum contingere videretur. In ip
autem monte ingentes ac præcelsas vidit rupe
alias alijs sublimiores, idque ad montis vsqu
verticem, & in harum singulis homines d
morabantur. Simul etiam formas quasdam e
legantissimas grandi numero è summo in
ram vsque delabi adspexit, quæ vbi terram a
tigissent, instar carbonum nigræ officiebantur
cum tamen quamdiu in monte fuissent, tanto
niterent splendore ac pulchritudine, vt vix in
eas aciem posset intendere. Ait ergo ad Do
minum: Quid sibi vult res isthæc mira Do
mine Deus?

D. Formas istas tanto nitentes decore, pa
claras esse noueris animas, à Deo ad ipsius ima
ginem & similitudinem creatas: quę postea cū
è sua origine vel principio prodiêre, vbi ho
minæ conceperint & corpora in earum vis
ribus formata sunt, quemadmodum natura
ordo habet & diuinitus constitutū est, confe
stim à DEO ipsis corporibus infunduntur,
moxq; originalis peccati macula fœdantur.

H. Quid igitur mons iste sublimis & immē
sus, quid item rupes terribiles ac immanes sibi
volunt? D. Etsi non hac vice, tamen quandoqui
adhuc ipsemet videas oportet, quanto in hu
crimine tota Ecclesia & mortales omnes sint
constituti, paucis tamen exceptis, vtq; his ce
poribus cuncta Ecclesiæ instituta & decreta
pessum iêrint atqùe neglectui habeantur, & a
quam denique pauci hodie reperiantur, qui
DEI honorem spectent & aucupentur. Decla
rat

rata etiam fuêre isti homini vitia quædam occulta admodum, quæ ob hominum imbecillitatem ac in mala procliuitatem, non fuit ausus scripto exprimere: quæ quidem vehementissime eum perterruerunt, tantaque eum cepit hominum errantium miseratio, vt ingens eum occuparet dolor & angustia, & lachrymarum imbres profunderet, atque adeò debilis redderetur, vt se moriturum putaret. Redditus deinde sibijpsi, occulta quædam diuinitùs ei virtus siue robur collatum est: atque ita surgens, in modum crucis humi se prostrauit, dixitque ad Dominum: Amantissime ac mitissime DEVS, si quidem tuæ esset gratum voluntati, libens hodiè cor, animam & corpus pro Ecclesia exponerem, vt illius tu misereri dignareris, eaque in melius sese reformaret.

D. Et quid tua mors prodesse queat, quando ego ipse totum sanguinem meum profudi, & turpissimam excepi mortem, neque tamen fructum aliquem, aut certè perexiguum id refert in huius ævi hominibus? Iam enim eius obliti sunt mortales penè omnes, & tantum impie iurando ac blasphemando eam commemorant.

H. Per acerbissimam mortem tuam DEVS benignissime miserere Ecclesiæ tuæ. D. Et qua tandem ratione isthæc dissimulare aut perpeti posero? Tu ipse iam vidisti, quàm dissolutè, quam periculosè & absque vllo DEI timore omnes vitam exigant suam. H. Spero Domine adhuc permultis verum DEI inesse timorem.

D. Quisquis DEI timorem habet, nihil facit

facit contra Deum. At nunc Christianæ religionis instituta & sanctiones contemptui habentur ab eis. Quotisquisque (oro) sic viuit hodiè, vt est primitus institutum? H. Clementissime Deus, miserere sanctæ Ecclesiæ tuæ. D. Pro Ecclesia quidem sancta precaris. Sed dic tandem, qua sanctitate prædíti sunt, qui nunc in Ecclesia numerantur. Adspice tum clericos, tum laicos. Equidem ad summos & præcipuos te remittam.

De summis Pontificibus.

CAPVT V.

DIc mihi, iam multis annis quot summos Pontifices in diuorum numerum referri vidisti, vt solebant olim, quando in sanctissimos coram Deo euadebant viros? H. Quid causæ est Domine DEVS, cur minus id fiat?

Cura summorum pontificum olim quæ quantaque.

D. Summi Præsules superiorum temporum, qui sanctorum catalogo asscribebantur, longe aliam, atque isti hodiè, ducebant vitam. Olim summa eos tenebat cura & solicitudo, vt bonis omnibus tam spiritalibus quàm corporalibus, quæ quidem habere potuissent, S. Ecclesiæ consulerent ac opitularentur, erantque omnino priuati amoris & propriæ quæsitionis expertes, & in cunctis actionibus ac omissionibus suis Dei honorem præcipuè spectabant. Neutiquam tum ad cognatos & amicos, neque ad diuitias vel honores respiciebant. Omnes conatus & actiones suas tota animi intentione in

Deum

Deum referebant, eaque perpetim voluntas in eis perseuerabat, vt ignominiosam potius oppeterent mortem, sicut & quibusdam euenit, quam quicquam admitterent contra Deum. Hac verò tempestate veri ac debiti ordinis lumen in nonnullis penitus extinctum est. Vide num quid maiori eis curæ sit, quam vt honor suus integer ipsis permaneat. Vide quanta eos sui cura occupet, quo multas sibi cumulent opes, quo cognatos & propinquos suos ad honores, diuitias, dignitates ac dominia prouehant, potius quam ex animo Dei spectent honorem. Immò verò seipsos & quæ sua sunt, potius quam Ecclesiam spectent in omnibus, quæ vel agunt, vel omittunt. Atque ea ratio est, cur iam inter sanctos minimè referantur.

De Cardinalibus.

CAPVT VI.

DEvs: Iam porrò si horum temporum Cardinales spectes, videsnimirum, quàtopere eo se accommodent, eoque nitãtur, vt suam ipsis gratiam præstet Deus, occultaque opera sua in eis efficiat. Auaritia & superbia occæcati sunt, cognatosque & consanguineos suos ad magnos promouent honores & dignitates seculares: dantque operam, vt defuncto Romanæ Sedis Antistite, ipsi mox in eius locum subrogentur. Olim sanè mortuo summo Præsule, Cardinales omnes medullitus exterrebantur, veriti scilicet, ne Deo permittente, ipsi in extincti locum adsciscerẽtur.

Cardinales olim omnes vt sese pontifice maximo defuncto gerebant.

Quæ

Quæ quidem humilitas ex optimo proficiscebatur fundo, quod se eo munere indignos crederent: cumque aliquis Romanus Pontifex eligendus erat, cum omnibus Dei amicis supplices & obnixè rogabant Deum, pro suo honore & gratissima voluntate quempiam eis prouideret. Faciebant hoc ea de causa, quod non nisi DEI Optim. Maxim. spectarent honorem. Vbi, quæso, hodiè talis ordo seruatur? Vt appareat, obliuioni datus est. Et tamen summos Pontifices prius diuinitus quam humanitus, vti olim solebant, eligi oporteret.

De Episcopis.

CAPVT VII.

Episcopos quales esse oporteat.

DEVS: Deinde adspicias velim Episcopos, vti nunc viuant. Quos quidem oportebat noctes atque dies in eam curam incumbere, vt subditis suis consilio & sanctis institutionibus auxilio forent, quò in fide Catholica constantes ac firmi redderentur: atque vbi minus id ipsi præstare possent, Doctores quosdam vitæ inculpatæ ac integræ precibus sibi in adiutorium adsciscerent, eisque suum impertirent authoritatem siue potestatem: ac hæc vitam castam & pudicam ducerent, vt quotquot id de eis resciscerẽt, ad meliora prouocarentur: DEI honorem & Deum ipsum ante omnia semper amore ac intentione prosequerentur, seipsos minimè. Sed res planè in diuersum abijt. Siquidem nunc diuitias, honorem, cognatos, potentiam secularem vel domi-

ni

nia impensius spectant & amant, quam curent animas ipsorum fidei commissas, pro quibus tamen ego ipse sanguinem fudi. Vbi aliqua Sedes Pontificia vacat, quam iniquè & præter fas ac ordinem pro ea obtinenda laboretur, abundè perspectū est Deo. Vndè cùm ad eam iam res redacta sit consuetudinem, idcirco Deo permittente, tam prospere scilicet hodie cum hominibus agitur. Priscis temporibus, qui in Episcopos fuissent humano iudicio electi, diuinitus ad id muneris suscipiendum compelli oportebat. Atque ea ex causa, familiari vtebantur amicitia Dei, & in excellentis meriti ac sanctitatis viros euadebant.

Veteres Episcopi quales.

De Abbatibus & Abbatissis.

CAPVT VIII.

DEvs: Agè aduerte etiam oculos, & vide, cuiusmodi agatur hodie vita in cœnobijs illis, quibus Abbates aut Abbatissæ præsident. Si quis tali in cœnobio Abbas aut Abbatissa vita fungatur, mox duo quidam de ea inter se concertant dignitate, sicque hoc ipso Monasteria grauibus afficiunt damnis, & ad extremam quandoque inopiam rediguntur. Superioribus seculis dum quis talis eligendus erat, vbi ad eum ventum fuisset, qui electus erat, quantum poterat & Dei timor sinebat, sese excutere ac recusare nitebatur, adeo, vt obedientiæ præcepto compelli eum oporteret: cumque se subterfugere non posse animaduerteret, sapientissimos & sanctissimos sibi in consi-

Olim quales Cœnobiorū Primates eligi solebant.

lium adhibebant, atque ipsemet Dei verbum aljis annuntiabat.

De Ordinibus Fratrum Mendicantium.

CAPVT IX.

DEVS: Prætereà cernas nunc ordines Fratrum Mendicantium, in quibus sunt, qui aliorum confessiones recipiunt, atque suggestu Dei verbum concionantur, vt videlicet ij modò viuant. Quotusquisq; (oro) iam ex eis, vt olim, sanctorum catalogo asscribitur? H. Equidem sic mihi persuadeo Domine Deus, multos adhuc superesse ex ijs Fratribus, qui confessiones auscultant, qui vitæ sanctimonia præditi sint. D. Sunt vtique inter eos perplures boni. Sed tamen qui recto velint itinere ingredi, eorum tam rarus est numerus, vt videre miseria sit. Si quidem superioribus temporibus ita vixissent, vt multi hodie viuunt, non fuissent in cœnobia recepti, neque eis recipiendarum confessionum esset facta potestas. Mundus iam totus mirum in modum fallax est. Si quē fortè talem Confessarium siue confessionum Receptorem vspiam homines comperiant, qui ipsis adulari, eorumque vitia palpare nōrit, eum libenter eligunt, appellantque eum virum bonum & iustum, & in diuinis literis apprime eruditum. Sed reuerà olim secus multa deprehendentur, quando eò ventum erit, vbi iam nullus erit effugiendi locus. Aiunt iam homines esse infirmos, ad multa connuendum esse, naturam iam aliam esse, atque olim

Nota caluam hominum tepidorum excusationem.

olim fuerit. Sed hæc vera non sunt: adeoque vana & commentitia sunt. Non ita institutum est à Deo, vt vitia naturam confortent. Neque vspiam præcepit Deus, vt supra vires agant homines. Peccata vt vitentur, exigit ac iubet. Sic in Euangelio Christus: *Vade*, inquit, *& iam amplius noli peccare.* Non ait, Vade, & corpus siue naturam tuam ac teipsum destrue. Atque vbi crucem tollere iubet, hoc vtique exigit ab hominibus, quod vires ferre queant, non quod virium excedat facultatem. Quotusquisq; hodie confessionum Auditor est, qui non seipsum aut priuatum spectet & aucupetur commodum ac vtilitatem? Sicq; fit, vt ipsi quidem primò labantur in foueam, deinde etiam post eas ruant, qui se adulari ac palpari, vitijsque suis falsa quædam commenta prætexi sinunt, quoquo demum modo id agatur. Cæterùm quicunque ex monastico ordine confessionibus recipiendis deputati satisque docti & periti sunt, neutiquam ab audiendis confessionibus abstinere debent, sed interim veritatem neq; vitæ neque mortis causa reticere aut dissimulare.

Ioan. 8.

Verorũ Confessariorũ raritas quãta.

De Doctoribus.

Caput X.

Deus: Contemplare iam etiam doctores. Vbi sunt hodie, qui pro concione, siue ex suggestu veritatem publicè ausint edicere, horrendaque & immania, quæ nunc passim in Ecclesia grassantur, vitia reprehendere, homines commonere, & ob honorẽ Dei,

vitam suam discrimini obijcere? H. Forsitan doctores attendunt, te quoque cum in terris ageres, sæpe rectè admodum esse locutum.

Christus cur sæpe parabolicè fuerit locutus.

D. Verum est id quidem, sed faciebam hoc, quod nondum venisset hora mea qua mortem oppeterem: quæ vbi aduentare cœpit, veritatem libera promebam voce. Sic est voluntas DEI, vt hominibus veritas propalam exprimatur & denuncietur. H. Fortassis verentur doctores, si veritatem nudè ac simpliciter edixerint, homines ad conciones minimè redituros, sicque nullum penitus fructum eos assecuturos.

Quam gratũ Deo regia mandatorũ eius & Ecclesiæ Catholicæ via ingredi.

Gratiùs quidem esset Deo, hoc præsertim deplorato seculo, veritatem liberè pronunciare, vitiaq; & errata ipsorum hominibus detegere, quam ea silentio præterire. Crede mihi, maiori in gratia apud DEVM est vnus aliquis, regia Mandatorum Dei & Catholicæ Ecclesiæ pergens via, quam centum millia hominum impiorum. Præstaret sanè, homines veritate cõperta, in metu ac solicitudine vitam ducere, quàm ita securos & hilares viuere, dum se putant rectum tenere iter, quando tamen per deuia graduntur. H. Equidem planè confido Domine, supereſſe Doctores quosdam, qui pro veritate, vitæ suæ iacturam facere non verentur.

D. Tametsi quidam tales etiamnum superstites sunt, vsque adeo tamen pauci sunt, vt id nosse non expediat. Quo fit vt non perinde hodie, atque olim, in Diuorum numerum referantur.

H. Deus benignissime, miserere Ecclesiæ tuæ.

De Monasterijs Virginum.

CAPVT XI.

DEVS: Inspice porrò, vt hac ætate viuatur in cœnobijs Virginum. Quondam honestam, internam, seriam, strenuam, sanctamq; ducebant vitam Sanctimoniales: adeò vt quisquis eas adspiceret, aut cum eis colloqueretur, in seipso compunctus, haud mediocriter corrigeretur. Sed iam eo res redijt, vt si qua inter eas sit verè pia ac religiosa, ob gestus, mores, verba ac improbam vitam earum ab eis fugere compellatur. Vita nanque earum nõ tam religiosa, custodita, ac diuina est, vt quempiam prouocet ad meliora. Siquidem interna ac diuina strenuitas apud eas iam explosa est: cantant quidem & precantur multum labijs, sed corda earum longè sunt à Deo. En conqueror tibi, eo iam peruentum esse, vt si quis toto animo seriò sese ad æternam veritatem conuertere velit, eum haberi ludibrio, eiusque vitam prorsus nihilipendi, idqúe etiam in cœnobijs vtriusque sexus. Tamen id certissimum habeas, quisquis in monasterijs alienæ vitę derogat ac obloquitur, siue id palam, siue secretò, siue in faciem, siue occultò fiat, iure meritoque eum sibi metuere debere. Nam licet apud homines vocentur religiosi ac spiritales, coram Deo tamen Dei exturbatores habentur. Credo mihi in Cœnobijs Virginum paucæ sunt, modò seriò vellent animaduertere, quæ non faciè persentirent quibusdam se teneri vitijs irretitas, quibus tamen grauiter offendant Deum,

Sanctimonialium antiquarum vita qualis.

Derogatio alienæ vitæ maxime in religiosis quam memoranda.

& in magna ruant peccata. Quædam ex eis auaritia, aliæ ſuperbia, aliæ iræ feritate detinentur. Quaſdam inobedientia, nonnullas impudicitia implexas retinet. Et quamuis actu nolint eſſe impudicæ, attamen multis modis per ſenſus impudicitiam exercent, putà vel amore inordinato ac alieno, cogitationibus obſcœnis, voluntate dedendo ſe creaturis, creaturáque intus amplectendo, atque ita coram Deo luxuriando, itemque verbis, laſciuia & petulantia veſtium, ſuperbè ac ſeculariter ſeſe gerendo in ſermonibus ſuis & hominum captanda amicitia: denicq; peccatis quibuſdam occultis, de quibus tutò ſcribi non poteſt: quæ ijs tenentur implicitæ, probè capiunt quid velim. Tot nimirum in Virginum monaſterijs hodie admittuntur peccata, idque tum publicè, tum priuatim & occultè, vt maximo in periculo verſentur. Regia ſanè internæ erga Deum ſimplicitatis & feruoris, puræque ac ſynceræ intentionis & amoris, necnon occultæ familiaritatis olim eis optime explorata via, iam prorſus apud eas abolita eſt. Quę cauſa eſt, vt hodie tam rarò in diuorum numerum redigantur. H. Nó mediocriter id mihi dolet, ſuauiſſime Deus, Virgines haſce vſque adeo perire ac deficere, quæ tamen præ alijs omnibus ad id inſtitutæ ſunt, vt in te vno ſolatium captent & expectant.

Vitia quę plerunque inter moniales dominentur.

D. Vide, obſecro, vt cuncta pene religioſa decreta ac inſtituta, in virorum ac fœminarum cœnobijs peſſum ierint, ſiue ea pateant, ſiue ſint Ordinum Mendicantium, ſiue alia. H. Spero equidem amantiſſime Domine, per plura inuenia

Virgines ad quem finem ſe mancipẽt in cœnobijs.

inueniri monasteria, in quibus seuera, seria ac aspera ducatur vita. D. Non inficior verum id esse. Sed tamen pauca sunt, proh dolor, in quibus vera cernatur strenuitas, feruor & diligentia. H. Quęso, mi Domine, huius te misereat. Id enim me ex animo perterret atq; affligit.

De Sacerdotibus secularibus.

CAPVT XII.

DEVS: Contuere porrò, vt Sacerdotes seculares bona & facultates suas consumant, vt, ea quæ ex Ecclesiasticis accipiunt Beneficijs, luxuriando, commessando, potando, fastum ac superbiam sectando, tam turpiter abliguriant & absumant. Vide quàm prę-ter omne decorum sacerdotij, vestes habeant planè inhonestas, quam petulanter & indigne multis modis sese gerant. Adspice vt bona Ecclesiæ, quæ ipse ego meo acquisiui sanguine, quæque fideles pro suarum salute animarum, interim diras Purgatorij pœnas luentium, obtulerunt, tam à religiosis quam secularibus sacerdotibus dilapidentur. Vide quantum ij omnes dignitatis & honoris sui rationem habeãt, & ita, vt ea exigunt, viuant: quamque parum in illis omnibus, quæ siue agunt, siue omittunt, Deum ex animo spectent & ament. Enimuerõ omnis erga DEVM strenuitas & feruor apud eos iacet ac refrixit, & ita parum curant experiri ac sentire DEVM in interioribus suis ac si id nihil ad eos pertineat: neque huius eos aliqua tenet solicitudo. Potius de magnis

Ecclesiæ reditibus cumulandis, itemq; de magna acquirenda scientia cogitant, vti videlicet per hanc, celebrem sibi apud Ecclesiasticos & Laicos existimationem, honoremq; & diuitias comparent. Magis, inquam, eo spectant vti hominum sibi captent gratiam, hominibusq; sese venditent & placeant, quàm vt Deum eiusq; gratiam intus percipiant. Vnde fit vt suam ab eis Deus gratiam, qua præditi sunt, auferat, alijsq; largiatur.

H. Id vero mirum videtur. Itane Domine Deus ab eo aufers gratiam tuam, qui parum habet, & præstas illi qui ea abundat?

D. Cum gratiam Deus largitur suam, & is qui accipit, malè eam seruat, rursus tollitur ab eo, daturq; multum habenti, eamque seriò & amanter custodienti. H. Gratias tibi Domine Deus, quod vel aliqui supersunt, qui tuæ gratiæ capaces sint, eamq; conseruent.

Seruorum Dei paucitas quanta eorũque quanta accessitas.

D. Noueris eos esse pauciſſimos: ijdemq; si morerentur, mox Christiana religio penitus interiret. H. Huius, obsecro Domine, te miſereat. Equidem, si modo possem, libens sanguinem cordis mei ob id per oculos meos profunderem. D. Esset id aliquid, si quid tamen prodesse posset.

De Beguinis.

CAPVT XIII.

Beguinarum modernarũ quale studiũ

DEVS: At nunc tuos aduerte obtutus ad contemplandam Beguinarum vitam, cuiusmodi ea hodie sit. Vide, quæso, vbi iam

iam sit feruens earum vita interna, quam superioribus ætatibus ducere solebant. Iam nimirum ea in cogitatione versantur, vt multas sibi parent opes, vt largos redditus, præclaras ædes, omnigenam q; supellectilem & familiam ipsis officiosissime ac studiosissime seruientem obtineant, atque etiam vestes habeant grati coloris, & elegantes, lintea quoque ornatu conspicua, & clinodia siue ornamenta, atque in omnium gratiam sese insinuent, placeant omnibus, honore afficiantur, & in aliquo sint pretio ac æstimatione. Porrò omnis internus feruor erga Deum, omne interioris vitæ studium, suique in Dei voluntatem resignatio, apud eas in obliuionem abijt. Libenter hac illac circumcursant & fabulantur. Et quamuis sint in eis, quæ aliter sese gerant, tamen pauciſſimæ sunt. Omnes propemodùm ex proprietate quadam: neq; prauis moribus & consuetudinibus suis renunciare volunt. Priscis temporibus tantus in eis, tam q; vehemens, simplex, diuinus feruor inerat, adeo q; pijs & religiosis erant animis, vt singulari quadã Dei familiaritate gauderent, Deus q; magna & occulta in eis efficeret ac operaretur. H. Misereat te Deus clementissime, mortales omnes sui cum resignatione tibi, neutiquam obtemperare.

etsi non omnium.

Beguinę quales priscis temporibus exiterint.

De Beggardis & Fratribus.

CAPVT XIV.

Deus: Deinde cõtemplare eos quos Fratres vocant & Beggardos, vti vltrò citrò q; per

plateas vagentur, & veri interni itineris prorsus immemores ac rudes sint. Quanquam sunt inter eos qui rectè habeant, sed ij perrari. Certè si diuina gratia ob verborum sermonumq; affluentiam, subtilitatem ac lepôrem cuiquam præstanda foret, multi ex eis gratia locupletes essent. Sed reuerà non in multis, acutis ornatisque sermonibus perfectio & vera sanctimonia sita est, sed in humili potius, submissoq; & morigero ac resignato fundo vel animo, cuius ipsi sicut & cæteri, parum habent. H. Vereor Domine, si isthæc seculares perspecta haberent, ea offendiculo fore. D. Tantam adhuc in laicis ac secularibus perspicies deformitatem, tantaque vitia, vt non sit necesse alios culpando alios reijcere, cum in singulis quibusque culpa hæreat.

Vera perfectio & sanctitas vbi consistat.

De Imperatoribus & Regibus.

CAPVT XV.

DEVS: Adspice iam eorum, qui in sublimi dignitate sunt constituti, nempè Imperatorum & Regum, atque coniugum eorum, fastum & superbiam. Olim si quis electº fuisset, magno studio sese opponebat, quod ex animi humilitate principatu indignum se arbitraretur. Electus autem in Rom. Imperatorem, inuitus quidem summa cum modestia, humilitate ac timore Regni gubernacula sumebat: persuadensq; sibi se ea ex causa Christi seruum esse, corpus, animam, diuitias, facultates & honorem suum Deo offerebat, eiusq; fre-

tus

tus ope, pacem & concordiam in Ecclesia curabat efficere, etiam vtiliter & audenter ob id decertando ac belligerando, corpusque & animã pro iustitia tradendo, ac Deo offerendo. Itidem & alij Reges sese gerebant. Sentiebant tum amare se Deum, atque in omnibus agendis ac omittendis tam ipsi, quàm vxores eorum tantã præ se ferebant modestiam ac humilitatem, vt Devs ipse delectaretur. Iam verò in longè diuersam partem mutata sunt omnia: ex quo perspici facile potest, vti hodie modis omnibus atque in omni statu, à verò ordine & iustitia aberratum sit. Videlicet ipse iam cernis, quàm isthæc itinera prorsus abolita, neglecta, atque euersa & obruta sint.

De Ducibus, Comitibus, & Baronibus.

Caput XVI.

Dev s: Intuere etiam, qualem hac tempestate Duces, Comites & Barones eorumque vxores vitam agant. Quondam corpus vitamque suam periculis obijciebant ob honorem Dei, vt Ecclesia & ipsorum subditi, pace & tranquillitate fruerentur: ineratque eis diuina quædam & cum honestate coniuncta strenuitas, nec humana deerat industria ac diligentia: coniugesque eorum tam benè moratæ, humiles ac modestæ, tamque inculpatæ vitæ erant, vt quisquis siue eis, siue earum maritis adfuisset, maximoperè ad meliora incitaretur, puderetque eum quicquam iniquũ aut bonis aduersum moribus, admittere.

Duces, Comites, Baronesque olim pro Dei honore quam strenui.

Nulla

Nulla in principum cõiugibus temeritas, pernicacia, petulantia cernebatur. Quod si quæ in Dei timore viuere noluissent, compellebantur à maritis diuina fretis ope, manere in officio, viuebantque pariter in amore ac timore prapotentis Dei. Atqui nunc proh dolor suis indulgent affectibus & vitijs, suæq; obsequuntur libidini in omnibus, efferunturq; superbia, & miseros ac inopes subditos suos contra ius fasqúe opprimunt & excoriant, laboresqúe ac sudores, eorum summo cum animarum suarum discrimine in summi Dei iniuriam diripiunt & consumunt. H. Obsecro Domine, huius te misereſcat.

De Equitibus auratis, & de Nobilibus.

CAPVT XVII.

DEVS: Adspice porrò auratos equites & nobiles, quam eorum sit admiranda vel potius horrenda vita hisce periculosis temporibus cuiusmodi gerant vestes, turpissime ac inhonestissime consciſſas atque consectas. An ne tota eorum viuendi ratio ac institutio talis esse videtur, ac si mente capti & plane stolidi sint, diuinique timoris & rectæ rationis expertes, idque tam viri quam fœminæ? quandoquidem omni ordinis equestris honestate posthabita, petulantissime viuunt, in omne vitiorum genus effusi. Olim quidem permittebatur Equitibus hastis cõgredi, seseque ad pugnam exercere, hoc consilio, vti artis bellicæ periti atque ad pugnandum instructi redderẽtur,

Nobilium olim exercitatio, qualis & in quem finẽ eorumque conuersatio quà placida.

tur, si qua Ecclesiæ pericula eueniſſent, atq; vt pupillos & viduas tueri poſſent. Erat id temporis vita eorum & cõuerſatio vſqueadeo honeſta, compoſita, diuina, modeſta ac humilis, vt adſpicientes delectaret neque mediocriter ad virtutis honeſtique ſtudium eorum animos inflammaret. Denique in cunctis actionibus ſuis Deum, eiuſque honorem intentione ac amore proſequebantur. Ita videlicet vitam quondam exigebant ſuam equites pij, honeſti, atque prudentes: eaque re multi ex eis, diuorum catalogo aſſcribebantur.

De Ciuibus & Mercatoribus.

CAPVT XVIII.

DEvs: Iã oculos aduerte âd ciues & mercatores, vt ij hoc æuo ſeſe gerant in vrbibus. Certum indubitatumq; habeas, periculoſiſſime cum eis agi. Immanis ſiquidem & horrenda eos auaritia obtinet, qua intantum occæcantur & implicantur, vt vix eam à ſe vnquam ante obitum ſuum poſſint excutere, maximiſque ſeſe obſtringant ac inuoluant vitijs & peccatis. Oritur autem hæc auaritia ex animi faſtu ac elatione, qua alij alios perpetim excellere nituntur. Interim permiſſu quorundam ex eis qui confeſſiones recipiunt, quod optime nouit is, quem nihil latet, res & bona tẽporaria periculoſiſſime coãceruãt, nimiſq; læſa ſunt conſcientia. Olim ciues & negociatores homines erãt religioſi ac virtutibus ornati, & in omnibus, quæ vel egiſſent, vel omiſiſſent, fidos

Auaritia quæ vnde ducat originem.

Quales olim Ciues & negociatores fuerunt.

fidos se præstabant, erantq; exiguis contenti facultatibus, neque retinendis frugibus ac vino annonæ charitatem efficiebant. Itaq; Deus apud illos demorabatur: siquidem pectora eorum non ita vt hodie auaritia sibi vendicabat ac deuastabat, certè Deus omnipotens in perturbato, dissipato, erroribus implicito & inquieto pectore habitare neque vult, neque potest. In pace nanque, id est, tranquillo pectore factus est locus eius. Crede mihi, quisquis in hac auaritia deprehensus erit in extremo vitæ articulo, is nimis quam periculose decedet: idque nôrunt homines, neque tamen agnoscere volunt. Vbi tantum comparasse rerum temporalium, quantum ipsis & eorum prolibus satis esset, quod quidem eis permittitur, modo secundum Deum & licitis rationibus fiat, deinde quiescerent ac cessarent, & vitam deinceps agerent honestam ac diuinæ ipsi consentaneam, neque sibi paterentur auaritiæ tyrannidem dominari. At nunc singuli aliis æquare, immò & excellere volunt, atque adhuc etiam Maiores suos opibus vincere. Quo fit, vt erga Deum eiusque amicos tenaces sint, profundantque res suas contra voluntatem Dei, superbiæ ac ostentationis causa, sicque noctes ac dies pro acquirendis cumulandisq; diuitijs multa solicitudine curisque anxijs detineantur.

Psalm. 75.

H. Quid sibi vult Domine Deus, quod plerisq; tantas tribuis opes, cum temen id saluti eorum officere verear? D. Bonitas Dei tam immensa est, vt nihil sinat esse irremuneratum. Vbi igitur cor animumque hominis rebus hisce caducis ac temporarijs penitus addictum esse cō-

spiciq;

ſolicit, ijſdem eum muneratur, expletque eius deſiderium præſentis vitæ bonis temporalib⁹. Sed periculoſiſſima eorum conditio eſt, qui in rebus præſentibus ac temporarijs ſua captant & conſtituunt oblectamenta. H. Miſerere Deus piſſime Eccleſiæ tuæ.

De artificibus mechanicis.

Caput XIX.

Deus: En quam periculoſam degunt modò vitam artifices mechanici, quanta eos auaritia occupat, quantoperè eis ſe æquiparare conantur, quibus eos diuina lege ac ordinatione, atque ob timorem Dei oportebat eſſe ſubiectos? Anteactis ſeculis mechanici animo humiles ac ſimplices erant, eãdemque modeſtiam ac ſimplicitatem etiam veſtibus & vitæ ſiue conuerſatione præ ſe ferebant. Denique in cunctis actionibus & operibus ſuis vſqueadeò pij ac religioſi erant, vt magnam Dei amicitiam ac familiaritatem experirentur. Nunc vero intantum ſuperbia efferuntur, atque ordinis ſui excedunt limites, vt nulla in eis ratione Deus commorari queat. Siquidem in ſuperbis nunquam Deus omnipotens habitare dignatur. H. Obſecro Domine Deus meus, huius te tangat miſeratio. Equidem putabam homines eos eſſe ſimplices admodum. D. Opera ſua nimis carè vendunt, alijque alios eo incitant, vt magnum exigant precium, odioqúe ac inuidentia ſeſe inuicem multis modis proſequuntur, & aliorum operibus alij derogant,

eaque

eaque vilipendunt. H. O misericors Deus, miserere Ecclesiæ tuæ.

De Rusticis.

CAPVT XX.

DEVS: Rustici quoque hoc æuo procellosoac luctuoso in pagis instar pecudum omnis diuini timoris expertes viuunt, neglectisque bonis ac honestis moribus, sua pro viribus libidini obsequuntur, planeque versipelles ac superbi, animoq; & corde maleuoli ac maligni effecti sunt, atque ita hostis Tartarei tota virtute eis dominantur, eosq; occupant. Sane nisi amicorum suorum precibus Deus præpediretur, ob nimiam eorum improbitatem longè secus eos tractaret. H. Pijssime Deus, si qua precum mearum esset efficacia, ut te obsecrarem, illis vt parceres. D. Equidem eorum mores sustineo quoad possum. Sed tandem compulsus, cuncta eorum pessum ire sinam. Priscis temporibus tanta in eis probitas, simplicitas, modestia visebatur, vt Deum admodum propicium & benignum haberent. H. Non habeo quod dicam Domine, nisi vt ob bonitatem tuam miserearis Ecclesiæ tuæ.

De Fœminis secularibus.

CAPVT XXI.

DEVS. At nunc Fœminæ quo prolapsæ ac deuolutæ sint, earumq; pudor ac verecundia quo relegata sit, videas. En vt omnia timor

timor Dei ac muliebris verecundia apud eas proculcata sint: adeoque his periculosis temporibus ad perpetranda peccata multo procatiores, impudentiores atq; petulantiores sunt, quam viri. Non tamẽ hæc accipi velim de honestis ac pijs fœminis, (cuiusmodi adhuc inueniri licet, quæ vitam agant honestam ac bene moratam) sed de ijs loquor quæ Mundo huic deditæ sunt, siue religiosæ sint, siue seculares, quæque hominibus verbis, factis, vestibus ac moribus placere appetunt, hisque studiosius vacant quam Deo, tempusque & corda ac sensus suos creaturis impendunt ac dedunt. Tales proculdubio non nisi Tartareæ quædam voragines ac latronum speluncæ sunt: & licet Dei bonitas eas sustineat, toleret, dissimulet, at nihil prodest. Interim honestas se haberi matronas volunt, cum sæpius Deo fœteant peius, quã publicæ turpitudinis scorta. Hæc namque in peccatis iacent cum metu quodam ac anxietate, non autem vt illæ, cum præfracta animi temeritate ac pernicacia. Et reuerà dæmonibus multo chariores sunt, atq; meretrices, eò quod maiorem ex eis quæstum & lucrum colligant. Vide quam turpiter, quam obscœnè ac impudenter modo in virorum omnium adspectu ingrediantur. Si scorta olim tam nudà incessissent, honestæ mulieres ex animo erubuissent. En vt supernè ac infernè tam dissolutæ ac nudæ incedant, vt meritò possint in virorum omnium oculis pudore intrà sese affici. Adspice quis earum habitus, quæ gradiendi lasciuia, qui gestus, quæ verba & opera, quæ totarum viuendi ratio apud viros, quæ oculorum

Fœminæ quę speluncæ latronum, & quare.

lorum omniumque externorum sensuum petulantia? Vbi iam est modestia illa ac verecundia muliebris? Crede mihi, perplures inuenias fœminas licet, quæ quotidiè vel centum admittant peccata exitialia, & tamen matronæ honestæ haberi velint, neque se horum pudet reas criminum, cum tamen illis omnibus obstrictæ sint. Nam certum habeas, vbi quispiam masculini sexus, eiusce modi dissolutam ac lasciuam conspicit fœminam, ita turpiter accinctè nudam ipso iunctisque viris adspectantibus ingredientem, si tum secum cogitet, id quod non rarò accidit, si modo eam obtinere posset, suam se cum ea expleturum libidinem: quod quidem quoties animo fit deliberato, toties peccatum admittitur mortiferum, etiamsi nũquam actus obscœnus sequatur: certum inquam, habeas, horum omnium criminum talem fœminam esse ream atque participem, quandoquidem suo lasciuo habitu ac alijs antedictis peccatis hisce primam ipsa præbet ansam & occasionem, siue id in templis, siue plateis, siue alibi fiat. Quòd si vir eiusmodi tali occasione ad libidinem inflammatus, ad publicam abeat meretricem, cum eaque peccet, etiam sceleris ab vtroque (id est, tam viro quàm scorto) perpetrati, ist hæc mulier rea fit, ob præbitam occasionem, idque quotiescunque illi tale admittunt flagitium. Et licet hæc fœminæ istæ scire nolint, tamen ita se res habet, dum se tam impudenter omnibus ostentant, atque sine vllo DEI timore antedictis pessimis modis vnicuilibet sese turpiter offerunt & exponunt.

Fœmina lasciua quantũ malum.

Vanitati deditarum mulierum quis exitus.

Atten-

Attendas nũc etiam exitum ac obitum earum; id est, vti cum eis agatur dum ad extrema perueniunt est. Præbetur quidem eis Dominicum sacramentum, atque studiosè præparantur, persuasumque est hominibus, tam bene cum eis agi, sed tetri spiritus omnem stoliditatem, omnesque scelera eis reducunt ob oculos, quibus ad desperationem pertrahuntur, mortemque obeunt sempiternam. Euenit hoc persæpè tam petulantem ac lasciuam ducentibus vitã, & confessarij earum ipsis adulantes ac applaudentes, eisque suo more viuere permittentes, eodem denoluuntur. Pro certo noueris, quasdam ex eis, mille licet peccatis mortiferis obstrictas, Eucharistiam accipere, dum totum exigunt annum tam petulanter ac dissolutè: atque vbi Quadragesimæ adest tempus, horum alienorum peccatorum non reminiscuntur, planeque secum statuunt, Paschatè redeunte ita se victuras vt ante: atque ea causa retinent omnia eo facientia, puta vestes lasciuas ac ornatas, cæteraque omnia. Sed præstaret vel sanè, centies mille dæmones eas in se recipere, quam Deum summè tremendum, in aliquo peccato mortifero sumere. Dic, oro, si quis te, licet creaturam miseram, inuitaret ad ædes suas, atque in sordido putidoque collocaret loco, quam ille tibi gratum faceret? D. Ah Domine Deus, miserere Ecclesiæ tuæ.

Quam pernicioſum abſq; propoſito vitæ melioris Sacramentis participare.

De illis qui in Matrimonio viuunt.

CAPVT XXII.

DEVS: Denique contemplare quò deuoluti sint, qui in Matrimonio versantur. Certè plerique hodiè sanctum coniugiũ in putridissimam vertunt cloacam, dum inter haud secus quàm pecudes degunt pro omni libidine ac appetitione beluinæ naturæ vel corporis sui, contra omnem Matrimonij legem & ordinem, itemque contra rectam rationem. Equidem non eo consilio diuinitus institutum Matrimonium est, vt pro corruptæ naturæ libidine in eo viuatur, sed vt vita agatur sancta, custodita, ac religiosa, ita vt est à Deo instituta, verò ordine, recta intentione, & modo conuenienti. Quod si matrimonio sic vterentur homines, vt Deus instituit, confortaret id corpus atque animam. Non enim naturæ destructor est Deus, sed eam potius perfectiorem efficit. Verum quãdo hodiè tam multa aduersus Matrimonij instituta ac leges admittuntur, inde fit vt natura humana vsqueadeo corrupta, debilitata ac vitiata sit maximaque hominum pars, nedum in Matrimonio degentium, sed etiam aliorum, puta sacerdotum, monachorum, Laicorum, Monialium, pleni sint spurcitia ac impudicitia, ita vt paucissimi sint, qui non aliqua ex parte fœdati sint, etsi non opere, tamen alijs modis, vtpote vel conuersatione, vel studio placendi, siue interno siue externo. Reuerà si Mundum ob sceleta sua DEVS vt olim Noe temporibus perdere vellet, quotidie id faciendum

Matrimoniũ quo diuinitus consilio institutum.

Corruptio humanæ naturæ vnde.

Gen. 7.

dum illi incumberet. Cuius etiã fortaſſis quædam breui fiet præſignificatio. Iam paucos intra annos diuinitus homines amantiſſimè prę-moniti ſunt morbis exitialibus, alijſque cladibus & flagellis, & parua inde conſecuta eſt vtilitas. Enimuerò tam ſe ingratam atque illorũ immemorem præſtat Eccleſia, ac ſi ante annos mille acciderint. Niſi in melius vitam commutarint ſuam, quandoque perteſus omnipotens Dɛvs, iuſto iudicio homines alios ab alijs iugulari permittet. Alij enim alios antecellere conantur, in cædes ac latrocinia cuncti procliues & auidi ſunt, atque intantum iam excreuit faſtus & ſuperbia, vt iam peccata pro peccatis minimè habeantur: multiſque retrò annis non tam improbi fuêre homines, atque nunc ſunt. Atqui Diuino penitus amori operã dare eos oportebat. Nanque dum mors vicina adeſt, neruos ſuos omnes intendit ſpiritus malus, vt hominem perdat, omnemque male actam vitam tanto cum horrore ac terrore illi oboculos reuocat, vt hac ratione innumeri deſperatione abſorbeantur, atque illi etiam pereant, qui magnæ ſpei videbantur. Alij ſunt, in quos tanta Deus ira deſæuit, vt ad extremum vſque iudicij diem immaniſſimis cogantur hęrere ſupplicijs inferorum, nec vnquam experiri illis liceat, vtrum in Tartari vel Purgatorij locis ſint. Tales fermè ſunt homines in ſuis iniquitatibus obſtinati, qui vitæ emendationẽ vſque ad obitum procraſtinant, atque tum demum exiguo quodam dolore compunguntur. Hos, vt diximus, tanta Deus indignatione caſtigat, vt eorum meminiſſe nolit, nec ſuos patiatur

Quinam maximis Purgatorij pœnis ſubijciantur.

tiatur amicos pro eis vllas in hac vita preces fundere. Crede mihi, longè secùs ac terribilius cum hominibus agitur, quàm plerique arbitrentur. Omni studio totisque viribus maligni spiritꝰ homines in extremis perdere moliuntur. Quicquid autem virium habent, id eis hominum peccata addiderunt. Visne scire, quid Iudæos perdiderit? H. Maximè id velim. D. Nimirum auaritia illorum & occulta vitia eos exterminârunt. Iam si Deus Christianos itidem ob peccata illorum tum publica, tum occulta delere vellet, nũquam posset aliud quam cædere & trucidare. Quod tamen forsitan breui eueniet. Porrò adspicias velim, quantopere libidinis ac luxuriæ, necnon superbiæ ac auaritię iaculis homines confecti ac prostrati sint: quæ tamen vitia DEVS præcipue execratur, quandoquidem odij ac inuidentiæ, adeoque vitiorum omnium causæ sunt: ijsque cuncta oppida & cœnobia, seculares & Ecclesiastici, sacerdotes ac Laici abundant: ita vt necesse sit, ab alijs culpam in alios referri. Siquidem culpa in singulis hæret: & si singulus quisque sui curam agat sedulam, tantum ergà sese negocij habebit, vt haud difficilè aliorum possit obliuisci: Deus Pater cælestis absque intermissione dirè offenditur, eò quod homines è religione Christiani, filij sui viuant immemores, nec in obseruandis Christianæ religionis institutis atque decretis sese corrigant. Vnde vereor, ne Pater omnipotens iustitiam suam misericordia superiorem fieri sinat, ita vt omnes amici illius flere cogantur, donec filij sui iniurias vlciscatur. H. Totis animi visceribus con-

Spirituũ malignorum in venandis animabus sedulitas.

Odij ac inuidentiæ igne omnes probè exardescere.

curior

cutior & contremisco, Domine Deus, dum ista loqueris, videorq; mihi vsqueadeo defeciſſe viribus, vt mox animam reddere neceſſe ſit. D. De his iam dixiſſe ſit ſatis.

Sequitur hinc, vt hic Dei amicus altiſſimum quendam montem conſpexerit, ex quo nouem immanes & vaſtæ eminebant rupes, aliæ alijs ſuperiores ad montis vſque ſupercilium, atque in iiſdem rupibus homines Chriſtiani verſabantur.

Prologvs Brevis In Nouem Rupes.

AD Deum nemo pertingere poteſt, qui nõ aliquam harum rupium obtineat. Si quis autem ita ſuam velit inſtituere agereque vitam, vt in eam, vnde anima nobilis profecta eſt originem, conſpicere ſinatur, is animo ſanè virili & infracto præditus ſit oportet, celſaſque has omnes conſcendat rupes, donec ad ſupremã perueniat. Vbi tum facile dolebitur, quo tendendum ſit. Præclarus reuerà ille cenſendus fuerit, qui hunc ſcandere montem rupibus diſtinctum non dubitet. Namque in hac vita ex cunctis ſuis hoſtibus palmam feret, atq; in futura beatitudine maximam obtinebit dignitatem & gloriam.

Qualiterquis ad Deũ pertingere poſſit

De I. Rupe, eiuſque incolis.

Caput XXIII.

DEvs: Nihil dubites, quin ſi diutiùs ante memorata contueri debuiſſes, haudqua-

quam laturus fueris. At nunc grata quædam & iucunda videbis. H. Fiat ita vt vis.

D. Agè igitur internos patefac obtutus, & adspice vbinam sis. H. Ad eum me iam locum deuolutum video Domine, vbi priùs eram ad radices montis, cupioque scire ex te, quid sibi illi velint. D. Quod hic cernis, anima est, ex montis cacumine in hanc prolapsa vallem. Ea autem tantum ex se vibrabat splendorem, vt id homo iste ferre vix posset. H. Obsecro Domine, hæccine anima ita in sua splendet origine, vt eam intueor? D. Certum habeas, si quidem Deus permitteret talem te videre animam, vt in sua est origine, & creata ad imaginem Dei, non id ferre posse naturam tuam, nec sensibus te tuis posse assequi, quidnam sit. Permisit autem Deus præclaram tete videre animam, vt ad Ecclesiæ vtilitatem & commonitionem, vt sa possis verbis eloqui, & scriptis mandare. H. *Fiat voluntas tua.* D. Aperi oculos interne, & sursum adspice. Confestim homo ille montem hunc in tantam conspexit ascendere altitudinem, ac si cælum contingeret tantamq; extendi in latitudinem, vt nullum illius terminum visu posset assequi. In ipso autem monte nouem ingentes propendebant rupes, aliæ aliis excelsiores, donec ad summum montis pertingeretur verticem, eratque earum immanis latitudo & amplitudo, adspectu terrib[illegible] & admirabilis. H. Dic, precor, Domine, quidnam significet, quod montem hunc horribilem iam altera vice conspicio. D. Contemplare quid in monte sit, & quinam illum habitent. H. Fiat sicut tibi placet. Eodem momento homo iste in infima

Animæ à Deo creatæ quantus in sua origine splendor.

Matt. 6. & 26.

infima se rupe positum reperit, cuius tanta erat altitudo, vt suis oculis totum terrarum orbem perlustraret, videretq; rete immane per totum vndique fusum & expansum orbem, excepto hoc monte præcelso. Vnde vehementer territus, ait ad Dominum, quidnam isthæc sibi vellent. D. Permissus es ista sub figuris hisce conspicere. Alioqui si perspicuè cernere cogereris, quam misere ac horribiliter Mundus totus suis sit irretitus vitijs, natura id tua perpeti non posset. H. Putabam me iam Ecclesiæ peccata vidisse. D. O si scires, quantis periculis & peccatis hodie Ecclesia inuoluta sit, quamque sæuas & horrendas olim ea re pœnas daturi sint, nuntiquam id ferre posses.

H. Quid verò significat, rete hoc montem istum non circumplecti? D. Quod homines isti huius montis incolæ, in Dei timore & absque peccatis mortiferis viuant. At nunc confer (oro) eos qui in hoc monte degunt, cum illis qui sub reti iacent, illius nexibus impliciti, qui tamen Christiani vocantur. Tum verò intuitus vtrosque homo iste, vidit vel centum in peccatis iacere mortiferis, vbi vix vnus in montem euasit, cum tamen omnes Christi haberent nomen. Verorũ Christianorũ quãta paucitas.

H. Multine Domine hanc primam habitant rupem, præ illis, qui in alijs celsioribus agunt rupibus? D. Plures hic demorantur, quàm in cæteris rupibus, quæ tamen ampliores grandioresque sunt. H. Quales igitur sunt infimæ rupis huius habitatores? D. Homines sunt tepidi, desides & frigidi, nullisque magnis prediti exercitijs, quorum propositum est, nunquam in Habitatores infimæ rupis, qui.

aliquod grande consentire peccatum, atque hoc ipso ad mortem vsque contenti sunt, & in hac simplicitate vitam exigunt suam, putantque se nihil scire melius. Sed quia non procul à laqueis demorantur, periculosè certè cum illis agitur.

Homines quinquo in discrimine versentur.

H. Seruabunturne isti Domine?

D. Si diem suum sine mortiferis obierint peccatis, salui erunt, sed maiori in discrimine versantur, atque ipsi putent. Persuasum namq; habent se Deo pariter & naturæ posse obsequi, inseruire ac viuere, quod tamen difficile, immo vix possibile est, & ægre admodum perseuerare poterunt. Quod si perseuerauerint, seruabuntur quidem, sed diras ac horrendas patientur angustias, immaniaque Purgatorij tormenta & miserias sustinebunt, tantoque illic morabuntur tempore, vt est à Deo constitutum & ordinatum, donec etiam minima errata acerrimè & perfectissimè eluantur ac castigentur, & pœnas omnes meritas ad extremam vsque pertulerint. Nihil enim tam tenuiter hic delinquitur, quod non expiari oporteat. Deinde vbi cunctis hisce toleratis miserijs, ad cœlos peruenerint, exiguam sanè aliorum comparatione bonorum hominum mercedem accipient: eò quod labor, exercitatio & charitas illorum erga Deum modica fuerint. Interea cõspiciebat homo iste perplures de hac rupe detrudi repentè deorsum, atque sub rete recidere. H. Quid est Domine, quòd isti tam subitò hinc deijciuntur? D. In mortifera consensere peccata. Tales autem rupes hæc ferre non valet. Cernebat itidem homo iste, multis locis ex

reti homines quosdam emergere, colore atro & lurido, perinde ac si diu sub terra mortui iacuissent. H. Quid ista designant? D. Homines sunt, qui inter laqueos vel retia in peccatis mortiferis sub dæmonum potestate iacuerunt: at nunc dolore quodam compuncti sunt: vnde nihil iam in eos iuris habēt improbi spiritus, sed ex reti dimittere cogūtur. H. Quid sibi vult color hîc luridus, quo affecti sunt? D. Dolor sine contritio eorum necdum confessione & pœnitentia siue satisfactione cōsummata est. Quo facto, similes erant huius rupis incolis. Circūspiciens porrò homo iste, vidit in eadem rupe permultos degere homines ætate florida & iuuenili, virgines, iuuenes, viros, sacerdotes, laicos, monachos, monachas, atque omnis generis & ordinis, nullo penitus excepto, eosque tam iucundos & hilares simul omnes sub retia præcipites ire.

Quinam laqueos dęmonū euadant.

Qui quam læti se in laqueos perditionis dent præcipites.

H. Quid est, quod isti tanta pernicitate sub retia properant? D. Habes hîc iam vnde in memoriam redeas similitudinis superius propositæ de piscibus, è celsissima origine sua de mōte ruentibus, totumque orbem peruagantibus, multis per viam laqueorum nexibus irretitis ac detentis. Ea nanque similitudine homines istos ætate iuuenes significare voluit Dev s, quos hîc sub laqueos cursitare cernis. Ij enim sunt, qui toto vbique terrarum orbe intra Ecclesiam positi, dum ad eos pertingunt annos, quibus ratione possint vti, seseque ad sum debeant principium conuertere, instar piscium stolidorum naturæ suæ obsequentes, dedita opera ac suaptè sponte sese mittunt sub

retia

retia fallacis mundi huius, qui totus dæmonũ laqueis plenus est, in quos omni conatu miseros homines impellere nituntur, siquidem innumeri in hoc mundo versantur.

In peccata labi, in ijsque progredi quã calamitosum

H. Vt video, nemo hasce euadet tendiculas, nisi magno & virili animo penitº inde se auertat. D. Id planè verissimum est. Adspice nunc, vt ij, de quibus agimus, homines ætate iuniores, sponte scienteque in laqueos incurrant, quantoque longius progrediuntur, tanto profundius illis irretiantur: ex quo id sequitur, tanto perniciosius & periculosius cum illis agi, & quo longius processerint, eo duriores eis quandoque exantlandos esse labores, si vnquã inde emergere debeant. Nam quò diutius & longius cursitant, hoc magis atque magis illecebrosis fallacioſi seculi huius nexibus implicantur, atque adeo perniciosè obligantur, vt vix inde se possint excutere, efficianturq; brutorum animantium similes, quæ non nisi præsentia nôrunt & amplectantur. Sed nunc tuos intenta obtutus. Mox homo iste apertis oculis puellam quandam annorum quatuordecim funi quodam ligatum post se trahere vidit hominem admodum religiosum, quem sequebatur alius vir grauis & honestus sed secularis, eadem resti adstrictus, vna cum coniuge sua: deinde fœminæ duæ eodem omninò vinculo implexæ. Prima autem puella sub rete se emisit, alioſque omnes post se traxit. H. Obsecro Domine, horum mihi significationem exprimas. D. Vir iste secularis & fœmina homines fuêre honesti, multoq; tempore religiosè acti in Dei timore sine mortiferi perpetratione peccã-

Nota horrendũ exemplũ.

peccati vixêre. Hæc autem puella ipsorum primogenita est, quæ ad nubiles iam perducta annos, sub reti contemplata est mundi fallacis fastum & superbiam, & vana gaudia, optauitque & statuit etiam illuc pergere, dicens patri & matri suæ, se eadem velle habere, quæ aliorum filiæ suî similes habeant. Atqui parentes isti filiam suam à primis ætatis initijs ad suam capessendam originem Deum, educare debuissẽt. Sed eo neglecto, ad suum Confessarium sese cõtulerunt eique rem ipsam exponentes, eius cõsilium petierunt. Qui id eis permisit, eo fine, vt in eorum, nempe dituitum, amicitia permaneat: aitq; illis, ita nunc moris esse, atque idem etiam ipsorum progenitores fecisse, affirmaitq; non esse noxium illam superbiam, nihil interim pensitans, Luciferum cum omnibus assectis suis ob elationis crimẽ à Deo profligatum esse. Atq; hac de causa puella ista hæc primo loco confessarium, ac subinde parentes suos sub rete post se trahit. Reliquæ autem duæ fœminæ illius imitatæ exemplum, eam sub laqueos sequutæ sunt. At nunc ad rupis huius extrema progrediaris oportet. Processit igitur homo, cumq; ad extrema venisset ac circũ piceret, videbatur sibi orbis terminos attigisse, respexitq; deorsum ingenti cum dolore & miseria, aitq; ad Dominum. H. O Deus amantissime, fer opem, obsecro. Neque enim istud ferre valeo: Siquidem hîc horrendum quoddam ac immane conspicio monstrum, vt præ nimio angore statim animam rupto corde redditurus mihi videar: & nisi me adiutes, peream necesse est. Namq; istud proferre nequeo, quippe qui hor-

Confessariorũ quam periculosa coniuentia.

Esaiæ 14.

Exempla mala quid pariant.

horribilem tremẽdamque contueor speciem, omnino mihi visu intolerabilem. Est immane ac horribile monstrum istud catena ingenti obligatum, eiusque virtus tantæ efficaciæ, formidinis ac roboris esse videtur, vt nisi tua immensa bonitas & misericordia Mundum seruaret, totum hunc orbem in mortem & exitium possit rapere. D. Permissus es hoc monstri sub hac videre specie, quo in scripta referas. Sed si reuerà conspicere id deberes, ita vt est in seipso, etiamsi cordi tuo tanta inesset fortitudo, quanta vel mille cordibus, non posset id non cõfestim scindi, nisi diuina virtute seruaretur. H. Mi Domine, cuiusmodi est hæc species? D. Monstrum istud terribile Lucifer est, cuius sane ea fortitudo & robur est, vt sua catena totum post se mundum possit trahere, nisi à pijs quibusdam etiamnum viuentibus hominibus prohiberetur. H. Immensas tibi Domine gratias agimus, quod adhuc tales supersunt, quorum meritis & precibus Ecclesia & Christiana religio conseruetur. D. Postea eos contemplaberis. Namque supremam habitant rupem. H. Obsecro Domine, multum ne adhuc valet teter spiritus in eos, qui hanc infimam rupem incolunt?

Luciferi quãta fortitudo.

D. Nihil in eos potestatis habet, nisi quantũ ipsi velint, & quamdiu à peccatis mortiferis se immunes custodiunt. Attamen multa ei fiducia inest, eo quod Mundi rebus occupatos, & eorum cogitationes multiuarias esse animaduertat, ipsosq; procliues ad honores & commoda seculi: & quamuis peccatum nolint exitiale admittere, tamen non longe absunt à reti,

actio-

actioque & vita illorum multis expositа periculis est, quandoquidem hostis tartareus magno studio suis eos laqueis implicare conatur, trahitque eos hamo quodam, quo illis iniecto, impedit eos, ne rectum ad suam originem apprehendendant iter. H. Quis est hamus iste, mi Domine? Quod hominum istorum institutum siue modus? & cuiusmodi sunt homines isti.

Deo & naturæ simul inseruire vitæ possibile.

D. Vt iam antè dixi, homines sunt Christiani quidem, sed ita stolidi, vt se putent Deo simul ac naturæ posse seruire & viuere, quod tamen periculosum est valde, & incertum: volūt quidem homines esse integri, nec peccatum vllum mortiferum admittere, sed ideo, ne condemnentur: persuasumque habent, Deo se charos admodum esse, eò quòd se honestos putēt, vitaque ipsorum & instituta impensè eis placeant, vnde nullo flagrant vitę perfectioris desiderio & amore, sicque mori volunt, quandoquidem nulla grauia peccata admittunt. Quòd quis eis dicere attentet, vitam ipsorum periculosam esse, eosque ad edomandam naturam pertrahere velit, ei non obsequuntur, sed potius tetro obtemperant spiritui, qui eos irretitos tenet laqueo naturæ ipsorum, cui viuere moliuntur. Denique non nisi seipsos spectant, atque ex suo iudicio & voluntate propria viuunt, vitamque ac instituta sua tanquam tuta delegerunt, cùm tamen periculis pateant, eò quòd reti finitimi sint.

H. Quando moriuntur, abeúntne ad superos?

D. Etiam: si tamen absque mortifero peccato excedant è viuis; sed ineffabiles habent in

Purga-

Peccatum licet minimũ quanto supplicio expiandum.

Purgatorio pœnas perpeti ob singulas quasque voluptates & oblectamenta naturæ, quæ vllo quam absque necessitate ceperint. Crede mihi, si quis exploratum haberet, quanta luenda sit pœna ob minimam, quæ inuito Deo sumitur, naturæ oblectationem, priusquam vel venialem perpetraret culpam, potiùs quotidiè caput sibi amputari, ac nouam inferri mortem fineret. Et tamen homines isti non solum memoratis plectuntur supplicijs, sed etiam ingenti perenni carere coguntur præmio & beatitudine, ob voluntaria naturæ percepta oblectamenta.

H. Equidem admiror, quotquot ista audierint, non statim penitùs naturæ suæ valefacere, cùm tamen nulla neque pace, neque gaudio potiri liceat, præterquam in solo Deo.

D. Pace & gaudio in Spiritusancto perfrui nemo potest, nisi qui se funditus Deo permiserit ac resignârit. Ad hoc gaudium si rupis hujus habitatores pertingere vellent, primò id discendum eis foret prudentum consilio, vincturam suam vincere ac edomare oporteret. Sed hactenus satis infimæ rupis incolas didicisti. Iam porrò etiam eos videbis, eorumq; exercitia, qui superius alteram habitant rupem.

De secunda Rupe.

CAPVT XXIV.

DEVS: Sursum adspice. Fecit homo ille quod iubebatur, cõtemplansque rupem proximam ipso superiorem, quosdam exilia

illa priori ad hanc alteram vidit proficiſci: cumque eò peruenisſent, quoſdam ſubitò indè relabi, alios illic permanere. Jj verò qui illic perdurabant tanta erant claritate prædíti, vt ineos viſum intendere non poſſet. H. Quæſo, Domine, quid iſta ſint, declares. D. Quicunque exprima rupe ad ſecundam ſeſe recipiunt, homines ſunt, qui primæ Rupis habitationem periculoſam animaduerterunt, intuſque admoniti vlterius progredi, eique admonitioni morem gerentes, firmo ac audenti animo ad ipſam vſque alteram rupem conſcenderunt. H. Quid ſibi vult, quod aliquam multi rurſus indè corruerunt?

D. Iſtius rupis habitatores auſteriorem ac duriorem viuendi rationem & exercitia ſectãtur, atque illi qui primam incolunt. Itaque dum huc pertingunt, horum eis vita diſplicet, nimiumque aſpera videtur, permittuntque ſe à malo abſterreri ac euerti ſpiritu, ita illis ſuggerente: Imbecilliores eſtis, quam vt iſtum poſſitis ferre rigorem: ſicque in primam reciduntrupem.

H. Cuiuſmodi ſunt huius alterius rupis incolæ? D. Aperi oculos & vide. Siquidem ipſe eos contempleris oportet. Sub his verbis in alteram Homo delatus eſt rupem, viditque eius habitatores gratiorem tenere viuendi modũ, quam rupis infimæ: ſed numero longè pauciores erant, quam qui inferius morabantur: & ipſa rupes ampla & amœna erat. Habitatores ſecũdi rupis.

H. Quod genus hominum ſunt iſti, mi Domine? Mihi ſanè præ alijs illis impenſiùs placent.

D. Isti naturam suam domant, atque animo imperterrito à Mundo sese auertunt, proponuntque & constituunt voluntati propriæ renunciare, & cuiusdam amici, Dei, qui iter habeat exploratum, consilijs obsequi, eique ad mortem vsque Dei loco obtemperare. Attamen ijdem procul adhuc à sua distant origine, callideq; eis nequam spiritus insidiatur & studiosè obseruat, metuens eos è suis manibus elapsuros. Itaque hamo in eos conjecto, eos subsistere, nec sursum ad suum principium propè contendere facit.

Hamus spiritus maligni quis.

H. Ecquis iste hamus est Deus suauissime? Posteaquam hanc vitam aggressi sunt, in eaque progredi incipiunt, inspirat eis dæmon tartareus, nimis teneros & debiles ipsos esse, ita quidem admodum remissi fiunt, nec improbi illius spiritûs fallacias & dolos aduertunt vel obseruant, qui tamen in ipsis siue in ipsorum carne demoratur, insusurratque eis, & hortatur bono esse animo, & diuinæ bonitati abunde confidere, vt qui iam Mundo valefecerint, quo tamen annis plurimis perfrui potuissent, atque hoc pacto in spiritalem eos adducit superbiam, quam nec ipsi agnoscunt, adeoque iam sibi sapere videntur, vt nullius neque consilio, neque adiutorio habeant opus: & ita denique in eis efficit, vt hac viuendi ratione contenti sint, in eaque diem suum obire velint.

HO. Tamen amicis DEI sese permiserunt ac subdiderunt, cur ergo ij eos proximam non docent viam?

DEVS. Amici DEI hamum ipsis à dæmone in-

reiniectum probè norunt, verenturque si durius ac seuerius eos habeant & tractent, ne penitus sub retia deuoluantur, deterioresque quàm antea euadant. At tamen si in hac perierint rupe, chariores multo sunt Deo, atque illi qui in infima degunt: eò quod naturam suam austeriori imperio & durioribus exercitijs aggressi sint, atque ea re principio suo viciniores sint.

H. Habebunt ne, mi Domine, olim Purgatorij sentire pœnas? D. Immò sanè, diros & perquam immanes in Purgatorio ferent cruciatus, mitiores tamen quam primæ rupis incolæ, præ quibus etiam longe maiora consequentur præmia. Hoc vnum pro certo habeas, quisquis ad suam cupit redire originem, rupes omnes montis huius transcendat oportet, donec ad summum vsque illius pertingat vertiicem. H. Equidem mi Domine, tanta te bonitate, fide & benignitate præditum noui, si quis reverà totus tibi fideret, animoque intrepido creaturis omnibus prorsus renunciare statueret, teque in suum amicum eligens, totis viribus ad te conuerterer, perpetua eũ ope tua fruiturum, subtiliterque cunctas hasce sublimes rupes transcensurum.

D. Ita est vt ais. Si quis audenti & virili sit animo, constantiq; voluntate præditus, ei haud dubio Deus opitulatur, ac vlterius prouehit. Sed tales hæc ætas perpaucos habet. H. Obsecro Domine, huius te miserescat.

De tertia rupe, eiusque incolarum exercitijs.

CAPVT XXV.

DEVS: Agèdum patefactis oculis sursum adspice. Mox homo iste oculis sursum versis rupem istam contuens, quasdam hinc ad tertiam vsque conscendere vidit: cumque ad eius superiora peruenissent, nonnullos inde recidere, alios inibi perstare, qui celeriter admodum ex prima rupe ad secundam, ab inde ad tertiam percurrerant. H. Quid curtus iste velox hominum in tam sublime scandentium designat?

D. Hac ætate eiusmodi cursus rarus est: sed olim sæpenumero homines magno animo & subtiliter sese ad æternam transferebant veritatem, fidenterq; tum naturæ suæ, tum caducis creaturis omnibus nuncium remittentes, tam seriò in suam se recipiebant originem, vt vno impetu, diuina freti ope, cunctas has præcelsas percurrerent rupes, atque ad montis huius cacumen peruolarent. H. Nôsse velim, quales sint, qui hanc tertiam habitant rupem. D. Iam ipse eos contemplaberis. Quo dicto, confestim in tertiam est euectus rupem, vbi ingenti ab perfusus gaudio, eò quòd longè illi placerent magis huius habitatores rupis, quam alij omnes inferiorum.

H. Dic, obsecro, mi Domine, cuiusmodi sint homines isti. D. In maiori apud Deum gratia & precio sunt, quàm quotquot inferius degunt. Porrò seuera & aspera hæc exercitia idcirco colunt.

colunt, vt beatitudinem obtineant, & damnationis pœnas euadãt, & exigua Purgatorij tormenta subire cogantur. Plures namque mundi occupationes & curas, quam alij, abiecerunt. Verum tametsi illis meliores sunt, at tamen à suo principio adhuc procul remoti sunt, hostisque tartareus suum in eos hamum misit, quo eorum progressum remoratur ac impedit. H. Quis est iste hamus? D. Quòd etiamnũ nonnihil cum hoc mundo commercij & occupationis habent, in quo tamen seipsos spectare animaduertunt, cunctaque aspera & rigida exercitia sua, cum quadam proprietate & complacentia suî possident. Is videlicet ingens ille hamus est, quo eos, ne procedant, detinet. H. Cogenturne & ipsi Purgatorij pœnas perpeti? D. Si tales hinc decesserint, grauiter punientur, leuius tamen, quam cæteri ante dicti, maiorẽque illis obtinebunt gloriam, eo quod naturam suam virilius aggressi sint.

De quarta Rupe.

Caput XXVI.

Deus: Attolle oculos, & suspice. Contuitus homo iste, nonnullos ex tertia rupe conspexit ad quartam progredi, eaque obtenta, actutum inde corruere, & ex ijs quosdam sub ipsum vsque rete deuolui. Respiciens autem homo iste deorsum, vidit quendam celeriter aduolare, & magna pernicitate montem hunc conscendere, atque per tres rupes vsque ad quartam vno impetu currere. H. Quæ

est horum significatio Domine? D. Illi qui ex hac quarta rupe sub retia semel prolapsi sunt, eos designant, qui seueris exercitijs multoque negocio ad quartam vsque rupem ascenderũt, vbi cum longius in sublime progredi debuissent, ab hoste tartareo & propria carne vincti passi sunt, adeò vt deorsum in retia recciderint. vnde si vnquam huc redire debeant, hocopus, hic labor erit.

H. Quid sibi vult, quod vnus ille ex reti ita celeritate per tres hasce rupes ad quartam vsque vno cursu peruolauit? D. Tantus, tamque vehemens illi homini sub reti dolor suus contritio collata est, vt si cordis sui sanguinem scribendo exhaurire licuisset, nihil detrectasset: atque insuper naturam suam vsque adeo rigidis est aggressus exercitijs, vt non mediocriter viribus fractus sit. Cernens autem Deus tam forti ac feruenti eũ animo præditum, naturamque suam tanto feruore aggredi, opem illi præstitit suam, qua subnixus, breui ad horũ pertigit sodalitatem. H. Cuius farinæ sunt homines isti, qui supra nos quartam habitant rupem, & quæ eorum viuendi ratio est? D. Iam tuis id oculis explorabis. Quo dicto, statim in quarta se rupe collocatum reperit, eiusque incolas lætissimus contuitus est, siquidem eorum longe gratior, atq; aliorum omnium, adspectus erat. H. Horũ exercitia vt me edoceas precor.

D. Naturam suam seuere & audacter arripiunt, & noctes, atque dies, quantum vires tenuant sese exercent. H. Suntne igitur homines prorsus electi & absoluti? D. Boni quidem sunt, sed non penitus absoluti. Procul e-

iamnum

iamnum à sua absunt origine, tametsi propiùs multo ad eâm accessere, quàm inferiores omnes. Atqui teter spiritus quodam eos hamo cepit & distinet, ne ad suum principium vicinius sese adiungant.

H. Dic, obsecro, mi Domine, quis sit hamus iste. D. Omnes isti sua exercitia suas actiones, sua instituta quadam proprietate suî, & proprio iudicio possident, nec ab hac proprietate ab vllo se abduci patiuntur. H. Nihil igitur, vt equidem sentio, præter resignationem eis deficit.

D. Ita est vt ais, Debebant namq; renunciare sibijpsis, quando nemo vnquâ propriæ deditus voluntati, ad suam potest originem in hac vita pertingere. Sæpe quidem probantur homines isti, num sese resignare velint, sed parũ prodest. Dum namq; à Deo resignationis eis offertur lumen, mox cacodæmon ex propria voluntate & iudicio susceptorum institutorum hamum eis injcit. Irretitos nanq; eos retinet proprietatis laqueo ex qua cuncta sua opera, exercitia & instituta peragunt. Quod verspellis ille nõ oscitãter obseruat, certus videlicet, si funditus sese resignarent, eisq; humiliter Dei loco submitterẽt, quibus est via exploratior, mox grandium exercitationum & laboris suî fructum & gustũ eis præstaturum Deum, atq; per sublimes occultasq; & prius eis inexpertas semitas eos perducturum. H. Admodum mihi arrident homines isti: siquidẽ adspectu benigni & amabiles sunt.

D. Verum est id quidem: attamen facilè ad iram, & nonnulli etiam ad alia vitia permouentur: & licet pro viribus ab his sibi caueant,

nihilominus nonnunquam his implicantur, idque ea ex causa, quod etiamnum irresignati sint, & rebus mundanis necdum emortui, nec in vera sese resignatione exercitârint. Atqui in maiori apud Deum amicitia sunt, quam illi omnes, quos hactenus intuitus es. Id autem pro certo habeas, cæteros longè alia via ingredi oportere, quàm qua nunc gradiantur, si unquam ad eam debeant perduci semitam, quæ ad principium pergitur.

H. Etiam ne his acerbi in Purgatorio cruciatus ferendi sunt, qui omnem suam ætatem asperis & magnis transegêre exercitijs?

In Purgatorio quid aboleri oporteat

D. Quicquid hinc irresignationis quantumuis exiguæ secum homo absorptârit, id totum in Purgatorio aboleri oportet, atque ob eandem suam irresignationem etiam grandi in cælis præmio frustrabitur. Immane igitur homines rupis huius, si tales obiêrint, Purgatorium experientur, sed longè minus quàm inferiores, præ quibus etiam multo melius habebunt.

H. Experiuntur etiam quippiam occultæ singularis gratiæ tuæ, quam tuis interdum amicis præstare soles? D. Quamdiu tam manent irresignati, nunquam singularem illam & secretam experiuntur familiaritatem, quam DEVS peculiaribus suis amicis exhibet. H. Si quidem bona venia tua liceret, oratum te vellem Domine, tuos mihi amicos occultos demonstrares.

D. Videbis eos, sed adhuc longè sublimius ascendes de rupe in rupem, donec montis verticem appræhendas, vbi tum eos contem-

plabe-

plaberis. Atque adeo etiam tu ipse tuam conspicies originem.

H. Id equidem non ambio. Immò si potest fieri, tanto honore ne me afficias precor. Siquidem miserum me atq; nihil exercitatum & virtutibus vacuum agnosco homuncionem: atq; eare, tanta dignitate indignus sum. Tamen *nō mea, sed tua voluntas fiat.* Matth. 26. Marc. 14.

De quinta Rupe.

Caput XXVII.

Deus: Tolle sursum oculos, & vide. Suspexit homo, & quintam rupem cæteras longè excedere contuitus est, paucosq; ex inferiorum incolis eo proficisci, & eos quidem qui in quarta morabantur, sæpius moliri ascēsum, sed vbi ad eius suprema venissent, magna ex parte inde recedere, & paucos admodum inibi permanere. H. Quid sibi vult, tam paucos hanc præcelsam attingere rupem, in eaq; perdurare? D. Mons istæ miræ est altitudinis. Quisquis autem sublimiter scandere molitur, non potest non difficiles experiri labores. Sed quicunque ad hanc quintam peruenit rupem, in eaque perstitit, is iamprimum ad verum pertigit iter, quo ad principium tenditur. H. Huius rupis incolas nōsse velim. D. Ergo intentis cerne obtutibus. Eodem momento in quinta se rupe collocatum reperit, hominesque illos haud mediocriter lætus alijs omnibus longè amabiliores & iucūdiores intuitus est. H. Quales sunt ij, quos modo conspexi? quæ eorum

vita, quę exercitatio eſt? namque vt video, pau-
ci valde ſunt.

D. Iſti propriam ſuarum voluntatem Deo dediderunt, penituſque conſtituerunt, nihil vnquam ex propria voluntate, cognitione, ſectione & vita agere, ſed quendam Dei amicum, viæ huius ex propria experiẽtia bene peritum inquirere, atque illi Dei loco ad mortem vſque ſeſe ſubmittere ac obedire. H. Magis horum delector adſpectu mi Domine, quam quotquot infrà ipſos degunt, eoſque charos habeo, vtpote eos habere puto.

D. Sunt reuera Deo chari, eò quod veram ſint aſſecuti iter, in quo ſi perſeuerauerint, in magno apud Deum precio erunt. H. Propere adſunt ſuæ origini? D. Minimè: ſed ab ea longe adhuc ſeiuncti ſunt, & multa eis ad eam via ſupereſt, ſenſitque hoſtis tartareus veram eos appræhendiſſe viam atque eam ob rem hamo quodam in eos conjecto, ab vlteriori progreſſu eos remoratur. H. Obſecro Domine, quis eſt hamus iſte?

D. Quod non ſemper in hac rupe conſtanter perſeuerant. H. Eſtne omnium horum conſimilis actio & omiſſio? D. Eſt, ſed cunctos tenet ſpiritus grandi quodam hamo captiuos retinet, qui eſt inſtabilitas. H. Quæ eſt ergo eorum inſtabilitas? D. Ea videlicet, quod nonnunquam à quinta rupe in quartam demigrantes, proprio iudicio & voluntate ſuſcepta inſtituta ſua, cuiuſmodi quartæ rupis incolæ ſectantur, repetunt & aſſumunt, atque ita ſurſum deorſum ex vna in aliam ſeſe rupem conferunt, neque conſtanter in quinta rupe perſeuerãt. H. Vnde

hæc

hæc proficiscitur instabilitas? D. Quod eorum necdum penitus emortua est propria voluntas. Attamen inferioribus cunctis Deo multo chariores sunt, eo quod propriã exuerint voluntatem. Et quamuis non perpetuò perseuerent, maxima tamen ex parte in resignatione persistunt. H. Habentne etiam ipsi ferre Purgatorium? D. Habent, & quidem ingentes ferre pœnas, si sic decesserint, mitiores tamen, quàm qui infrà versantur, atque etiam illis omnibus excellentiorem obtinebũt beatitudinem. H. Quàm igitur mundos eos esse oportet, qui ad te pertingere debeant: quod sanè etiam æquissimum est.

Instabilitas quæ. vnde proficiscatur.

De sexta Rupe.

CAPVT XXVIII.

DEvs: Tolle in sublime oculos, & adspice. Fecit homo quod erat iussus, & sextã rupem cæteris longè eminentiorem cõtuitus est, paucosque ex quinta ad illam pergere, & eos ipsos dum ad eam peruenissent, repẽte inde relabi, atque ita eos habere, ac si capite elisi essent: videbaturque ipsi, tam raros in ea permanere rupe, ac si vix vnus è centum, ibi persisteret? H. Quæ est horum, Domine, significatio? D. Oculis apertis adspice. Mox in sextam est subuectus rupem, viditque inibi homines gratissimos, & alijs omnibus infrà degentibus longè amabiliores, ipsamq; rupem amplam & perquam elegantem, sed pauciss imos eius incolas, at eos ipsos, quamuis numero raros, tamen,

tamen adspectu formosos & iucundos. H. Exanimo, mi Domine, homines isti mihi placent quæso, indices quinam sint. nam plus his, quã alijs omnibus, quos hactenus adspexerim, delector. D. Placent itidem haud vulgariter Deo, & magna illius flagrant gratia.

H. Cuiusmodi (oro) sunt? D. Deo & amicis illius loco eius sese permiserunt ac subdiderint, propriæque renunciârunt voluntati, atque ita ad vltimum vsque spiritum perseuerare statuunt. H. Peruenerunt ne igitur ad suam originem?

D. Adhuc à suo principio longè remoti sunt, & vt eo pertingant, longè sublimius scandant necesse est. H. Quid ita? D. Grandi eos hamo nequam spiritus distinet, ne vltra progrediantur. Cum enim eos rectum assecutos iter, atque cunctis quos ante vidisti, suo principio coniunctiores animaduertat, terrore correptus est.

H. Quis est igitur hic hamus, quo eos compræhensos tenet? D. Is nimirum, quod aliquam ex Deo cogitationem & consolationem instar aliorum percipere appetunt. Quod licet malũ non sit, non est tamen proximum ad originem capessendam. Siquidem hoc desiderium cum occulto quodam vitio coniunctum est, quod sese alicui comparare ausint, nec sinant operari Deum, quicquid & vtcunque & in quibuscunque velit. Atque hoc idem etiam ipsi non nesciunt, & tamen dæmonum susurrijs acquiescunt.

H. Suntne gratiosi homines isti à Purgatorio immunes? D. Si tales hinc emigrârint, dura-

duras dabunt pœnas, sed non perinde vt inferiores, habebuntque longè excellentiorem beatitudinem.

H. Quî fit, quod tam præclari homines nõ progrediuntur? D. Ea vtique ex causa, quod occultas naturæ suæ quæsitiones & vitiosa desideria necdum ad viuum resecârunt: quorum tamen & cognitio & extirpatio cumprimis esset necessaria.

De septima Rupe.

CAPVT XXIX.

DEvs: At nunc porrò sursum adspice. Respiciens homo, septimam rupem immani altitudine vltra sextam eminere vidit, rarosque ex sexta eò pertingere: qui verò pertigissent, paucis exceptis, cunctos subitò deorsum relabi. H. Quid ista significant? aut quinam sunt isti? D. Iam tute videbis. Eodem temporis punctu in septimam est trãslatus rupem, cæteris quidem amœniorem & ampliorem: sed eius incolæ pauciores, quam vllius inferioris: ac nihilominus alijs omnibus antedictis longe amabiliores, pulchriores ac illustriores erant. H. Obsecro, Domine, qualesnam sunt isti? D. Deo se penitus resignarunt ac dediderunt, idque firmo sic vsque ad mortẽ perseuerandi proposito, omnemque conatum eò adhibent, vt quoad possint, naturam rationi subdant: cupiuntque omnibus, quæ à Deo vel foris, vel intus exiguntur, satisfacere, siue ea sint externa opera, siue intrò se recipere, &

illius

illius denique gratissimam obseruant voluptatem. Quod autem tam insolita visuntur luce conspicui & splendidi, inde fit, quod gratiæ suæ splendorem singulari quodam modo DEVS eis impertijt, vnde præ cæteris inferioribus vsqueadeò relucent.

H. Suntne ipsi igitur, qui suam apprehenderunt originem? D. Minimè adhuc longa eis restat via. H. Qui fit, quod tam pauci in sua commorantur origine? D. Tuis adhuc oculis id ipse perspicies. H. Quonam amabiles homines isti inde detinentur impedimento? D. Spiritus tartareus immani quodam vnco in eos coniecto id efficit, ne longius procedant. H. Quid sibi vult, quod istos vnco retinet, alijs hamum iniecit? D. Veretur admodum improbus ille, ne isti in suam abeant originem. H. Ecquis vncus ille est, quo eos remoratur? D. Magnam homines isti, & haud vulgarem à Deo percepêre gratiam & ea ipsa nonnunquam pro suæ naturæ delectatione vtuntur multis modis, quod tamen non funditus obseruant, neque agnoscunt, vt & meritò possent & deberent. Atqui teter spiritus, qui id hortatur, pro sua calliditate facilè id aduertit. Cumque optata Dei consolatione se sentiunt destitutos, Dominici corporis Sacramentum accipiunt, eò quòd diuinam experiri consolationem appetant. Sed id perfectioni proximum non est. Adhuc alios cõspicies, qui his omnibus emortui sint. Porrò huius rupis incolæ ista & alijs consimilibus delectationibus ac consolationibus nimis occultè in sua vtuntur natura. Quod licet exiguum tibi videatur impedimentum,

tamen

tamen eius causa non exiguas luent Purgatorij pœnas, quamquam longe minores, quam qui infra ipsos degunt, quos etiam præmij magnitudine superabunt.

De octaua Rupe.

Capvt XXX.

Devs: Agè nunc suspice. Adspexit homo octauam rupem, cæteris omnibus horrenda excelsitate altiorem, viditq; paucos ad eam tendere, atque eos ipsos, postquam ad eam pertigissent, maxima ex parte inde cõfestim recedere, ita vt rari illic permanerent. H. Quod genus homines sunt isti, quibusve vtuntur exercitijs? D. Ipse id tuis lustrabis oculis. Nec mora, in ipsam octauam euestigio rupem perductus est, cuius incolas iucundiores, splendidiores ac elegantiores, quam quoscunque ante perspexerat, intuitus est. Vnde mirifice exhilaratus, ait ad Dominum. H. Cuiusmodi sunt isti?

D. Homines sunt Deo perquam chari, & inferiores omnes excesserunt. Deoque se penitus permiserunt ac obtulerunt, quicquid eis facere velit in tempore & æternitate. H. O vtinam Domine Devs tales in multos nostra haberent tempora.

D. Et quinam multi esse queant, cum tu ipse cernas, quam exiguus eorum numerus sit, qui ob amorem & honorem Dei, rebus hisce temporarijs, caducis, ac naturalibus prorsus renunciare, ac pure & syncere eas repudiare & abne-

Amici Dei cur v queadeo rari inueniũtur.

abnegare velint? Quando igitur eò vnquam adduci poterunt, vt id, quod æternum, immẽsum ineffabile est, funditus resignent? H. Quod ais temporaria cuncta penitus deserenda & abneganda esse, id ita plerique accipiunt, ac ita cultatibus & bonis suis temporalibus nudare se debeant: atque eo ipso perterrentur. D. Sanè quisquis ad hanc octauam cupit euolare rebus & bonis suis temporarijs, quæ inter Deum & ipsum aliquod possint medium efficere, se exuat & exoneret necesse est, aut certè ita seruet, vt eas nihilipendat, nec sibi appropriet, sed tanquam non habens habeat, potiusque inde promoueatur ad Deum, quam erga illum impediatur. Hoc pacto quisquis eas res habet, licet eas obtinet, si tamen in eis non seipsum spectet vel amet, sed solum Dei honorem. Illi, inquit, permittit Deus, vt vitæ sustentandæ necessaria inde accipiat, quodq; supersit, totum Deo, cuius reuera est, impertiatur.

Rebus caducis quibus, cur renunciandum.

Diuitias & res temporales quatenus habere licitum sit.

H. Equidem plurimum lætor, quod homines huius rupis suam sperem obtinuisse originem.

D. Neutiquam sanè: sed præ cæteris, quos hactenus videris, illi proximi sunt, domique gratiæ potioribus, abundãtioribus ac splendidioribus, quam omnes inferiores, aucti & ornati sunt, multaq; & magna à Deo videre permissi sunt mira & stupenda, quanquam omnia sub formis & imaginibus. H. Quid est igitur, quod est vltra formas & simulacra. D. Nonnunquam hominibus istis exiguus quidam ex origine præstatur fulgor, quem nulla exprimere specie vel forma, nec verbis vllis explicare queat.

H. Spe-

H. Spero hos homines nihil purgandum habere. D. Habent sane etiamnum, quod in Purgatorij locis expiari oporteat. H. Quidnam est hoc? & quare etiam ipsi tam ægrè suum attingunt principium? D. Binos eis, eosq; grandes, infixit vncos cacodæmon, quibus in vtrunque latus iniectis, ne ex ipsius elabantur manibus, eos retinet.

H. Quinam sunt vnci? D. Exiguus quidam, vt dixi, originis fulgor eis respl̃duit, cui mox cum desiderio sese applicuerunt, plus inde expediri appetentes. Sed id perfectissimum aut primum non est. Siquidem etiamnum occulta quadam proprię voluntatis labe adsperſi sunt, quam tamen nec ipsi agnoscunt, neque fundit9 profligârunt. H. Quis est alter vncus? D. Raris quibusdam & miris eos Deus duxit itineribus & inusitata quædam ac ingentia eius mira sub formis multimodis visenda præbuit, eaque ipsi occultè admodum cum proprietate quadã possident, vt nec ipsi id aduertunt. Sed Deus id abunde perspectum habet, nec tamen vsque adeo illis fidit, vt hanc eis spiritalem ausit gratiã subtrahere & occultare, sed parcit eis, eo quod fundum ipsorum in natura abditum, probè norit, quem ipsi nesciunt. Hic videlicet alter vncus est, quo ab inimico distinentur, ne suam assequantur originem.

H. Cuiusmodi eos esse oportet, si vtroq; hoc vnco liberari velint? D. Penitus emortui ac funditus resignati sint, naturamq; suam prorsus mortificarint, & naturæ viam dilucida discretione funditus cognitam habeant necesse est, si vnquam ad suum principium propius

Quo quis proxime ad suum accedat principium.

velint accedere. H. Miseret me Domine Deus etiam hosce præclaros & amabiles homines in Purgatorio castigandos esse. D. Si Christianus orbis multos eius generis haberet, longè profectò melius cum hominibus, quam nunc, ageretur. At tamen certum habeas horum pœnas multo fore mitiores, quam inferiorum, itemque beatitudinem multis modis cumulatiorem.

De nona rupe, & habitatorum eius exercitijs.

CAPVT XXXI.

DEVS: Nunc porro lætus sursum erectis luminibus adspice. Suspexit homo ad nonam rupem, eamq; tam horrendæ intuitus altitudinis, vt vix sibi oculis eam attingi qui posse videretur, ac si summum attingeret cælum. Vidit etiam perpaucos ex octaua rupe in nonam pergere, & eos ipsos tamen dum ad suprema veniissent, partim inde præcipites ruere, & sæpius quidem ascendendi periculum facere, sed toties inde relabi, adeò vt perpauci inibi perdurarent, qui vix trium numerum explere videbantur. Qui verò indè recidissent, eos mortuos credidisses.

H. Quidnam sibi vult Domine, ista periclitatio & prolapsio, & tam paucos hîc permanere? D. Quod arduum & excelsum est, difficile scanditur, cum igitur pauci ad mortem vsq; in hac vita periclitari se velint funditus, etiam rari huc pertingunt, qui tamen vbi homines istos

ritos tam ab alijs semotam & abstractam conspiciunt vitam agere, territi inde corruunt. H. Huius me Domine ex animo miserescit. D. At nunc hilariter suspice. Sub ijs verbis in hanc nonam præcelsam, vastam, horribilẽ, immanem se sensit perductum rupem, videbaturque ipsi, si rupes omnes ante memoratæ in vnum conflatæ forent, non tam sublimes, ingentes, amplas ac elegantes, vt hanc nonam, esse futuras, in qua tamen perpauci degebant, ex quorum adspectu plus gaudij & voluptatis cepit homo iste, quam omnium cæterorum. H. Quid est, quod rupes ista tanti est decoris & amplitudinis, & tamen tam raros habet incolas? D. Nõ sicà Deo rupes ist hæc instituta est, vt tam pauci eam habitent. Noueris hîc esse portam, quę dutit ad originem, vnde res creatæ omnes in cælo & in terra promanârunt. H. Quid est, quod homines isti forinsecus vsqueadeo debiles, intus autem haud aliter quam spiritus angelici illustres ac splendidi videntur? D. Nihil mirũ est, si ex tam difficili harum rupium ascensu sint debiles effecti. Nequevlla in eis vel sanguinis vel medullæ particula supereſt, quæ non exaruerit. Quo fit, vt viribus imbecilles sint. H. Quo pacto igitur in hac vita durare queunt? D. Purum & castum ille eis sanguinem ac medullam subministrat, cuius causa naturalem & impurum sanguinem & medullam suam consumpsêre. Et tamen etiam tuus omnis sanguis exaruit & emortuus est. H. Id equidem mi Domine ignoro. D. Verum id est, namque huius te immemorem reddidit feruentissimus Dei amor, quo præditus es.

Homines qui cur intus angelorum instar resplendeant.

H. Quam ob rem homines isti intus ceu angeli lucent? D. Tam immensus eis à Deo infusus amor est & gratia, vt non possit non eos relucere, tametsi id ipsi nesciunt, sed nec scire appetunt. Quamuis autem pauci numero sint, at tamen super ipsos ceu columnas Deus Ecclesiam consistere permittit, qui nisi essent, Dei Ecclesiam & Christianos omnes pessumiret: moxque Lucifero copiam faceret totum terrarum orbem cum reti ad sese rapiendi.

H. Heu tantam esse horum paucitatem. Faxit Deus quandoque amantissime Domine plures numero?

D. Intra paucos annos multo plures fient. H. Meo iudicio, Domine Deus, necessarium esset, eos in hac vita in subsidiũ Ecclesiæ relinqui. D. Noluit Deus, vt pijssimi homines inter perfidos degerent Christianos, qui hodie vitam agunt omni disciplinę & constitutionibus Christianæ religionis è diametro repugnantem. H. Qualis est horum viuendi ratio Domine? perspectumne habent se suæ originis tam esse propinquos? D. Non quidem penitus certi sunt, sed interdum modicus quidam ex origine fulgor in eos vibratur, vnde facilem maduertunt, aliud quiddam in ipsos conferre ac irradiare. At ipsi tam purè, nudè ac simpliciter Deo sese in fide Catholica permittunt ac resignarunt, vt vbi quippiam à Deo iucundæ consolationis accipiunt, magis inde terreantur, quàm dum talibus carere sinuntur. Nihil enim appetũt aliud, quam exemplar Christi in simplici fide simpliciter imitari. Nullam neque desiderant, neque amant, neque spectant consola-

Verorum resignatorum vitæ ratio, quæ.

consolationem. Tam purè ac simpliciter fidei Catholicæ inhærent, vt nihil scire neque appetant, neque spectent. Tanta in eis inest humilitas, vt se cunctis occultis atque consolatorijs Dei donis putent indignos, atque ea re nec expetere ea ausint. H. Nihilne igitur omninò appetunt? D. Nihil omninò appetunt, nisi vt honor Dei perficiatur. Vsque adeo se Deo resignânt, quicquid tam cum ipsis quam cæteris creaturis omnibus agat, id eis ex animo gratissimum sit. Itaque si quicquam ipsis largiatur, placet eis: si auferat, æque placet: atque nihil ex omnibus sibi vsurpant. Magis tamen dulcia fugiunt quàm amara. Siquidem crucem amant.

Perfectè resignati vt sint ab omni timore seruili liberi.

H. Aliquisne in eis timor inest? D. Neque infernum, neque Purgatorium, neque dæmones, neque vitam, neque mortem timent: sed omnis eis timor seruilis ablatus est: dũtaxat Christi exemplar ita vt vellent & deberent, se nec dum imitari verentur. Vsque adeò humiles sunt, vt & seipsos & cuncta sua opera, quæ vnquam effecerint, nihili pendant, & infrà creaturas omnes se abijciant, nec cuiquam se vel in tempore, vel æternitate comparare ausint. Homines omnes æqualiter amant in Deo, & quisquis Deum diligit, eum etiam ipsi amore prosequuntur, atque mundo huic penitus mortui sunt, & mundus in ipsis penitus extinctus est: cunctæque actiones rationales siue intellectuales, quas cum proprietate quadam vel quibuslibet modis vnquam possederint, in eis emortuæ sunt. Tales nimirum sunt, qui Deum cunctis suis & actionibus & omissionibus spectant

& amant. Seipsos quidem neque intentione neque amore prosequuntur, neque aliquid commodi vel honoris sui vsquam in tempore vel æternitate aucupantur. Seipsos & vna secū creaturas omnes in tempore & æternitate amiserunt, atque in quadam viuunt docta ignorantia, neque quicquam scire cupiunt: neque adhuc viderunt originem suam Deum, neque in hac vita videre appetunt, eo quod se indignos putent. Pro certo noueris, improbos spiritus omnigenis eos, quę quidem excogitari possint, nonnullis etiam humanum modum & sensum excedentibus diuexasse tentationibus & modo quidem nullam sentiunt tentationē, sed ita Deo suam resignarunt voluntatem, vt easdem & cruces omnes, quas Deo permittente sustinuerint, parati sint rursus cum gaudio suscipere, si Deus velit. Creaturæ omnes ipsos cruciarunt, quas tamen pertulêre, & si denuo ex voluntate Dei ab illis affligi oporteret libentissimis acciperent animis: quando Deum & Dominum suum sua ferenda cruce se præcedisse norunt. Ad vltimum vsque spiritum non alia, quam hac, via ingredi cupiunt, & quamuis ipsi mundo sint incogniti, tamen mundus eis probe perspectus est. Ipsi nimirum veri sunt homines illi, & veri adoratores, qui patrem adorant in spiritu & veritate.

Ioan. 4.

H. Equidem mi Domine vereor, libru hunc lecturis offendiculo fore neque enim debent margaritæ porcis mitti. D. Id tu Deum curare sinas. Crede mihi, ea quæ hoc extremo loco de huius nonæ rupis incolis scribuntur, maiorem Ecclesiæ vtilitatem adferent, quam alia quæcun-

Matth. 7.

quæcunque hoc libro continentur. Porro certus sis, vnum aliquem istorum hac in rupe degentium, Deo longe chariorem, & Christianæ Reip. vtiliorẽ esse, quam mille alios suis proprijs vtẽces institutis. Neque cuiquam mirum videri debet, multa hic sub figuris aut imaginibus proponi. Nam aliter, quid sibi velint, intelligi non posset. Siquidem Deus omnipotens tam ingens bonum est, vt nullus humanus eũ possit sensus assequi. Vereris quidem ea, quæ te literis scriptis mandare iussi, non posse intelligi. Sint tamen etiamnum quidam superstites, licet pauci, qui huc viuendo pertigêre, qui ea probè capiunt. Siquidem de nouem Angelorum ordinibus, & de eorũ creatione scribere te iussissem, id vtique rarum quiddam & peregrinum atq; ab humana intelligentia remotum fuisset, neq; id hominis posset intellectus assequi.

H. Nulline alij ad suam licet peruenire originem, nisi qui apud istos in hac nona rupe commoretur? D. Paulo Apostolo id præstitum est, sed is postmodum grauem est crucem ferre compulsus ad mortem vsque, ac tandem etiam ea causa vitam amittere. Virturibus non bene exercitatis minimè fidendum est, idque multo minus hac tempestate, quam ante annos centum. Tutissima sane via fuerit, vt quis grãdes & celsas hasce rupes omnes, veram semper æquabiliter sectando resignationem & virtutum exercitatione transcendat in hanc vsque nouam rupem, in ea demum veram expertuus pacem. H. Vereor mi Domine, perplures multis annis per deuios aberrasse viarũ anfractus & longas amb ages, nec tamen vnquam ad

2. Cor. 12.

Via tutissima quæ.

tranquillos & pacatos huius rupis incolas pertingere potuisse. D. Ecquis tandem hodie conspicitur, quem ingens huc pertingendi cupido teneat? H. Confido sanè perplures hoc teneri desiderio. D. Ita sane, si pro suo iudicio ac voluntate eo pertingere liceret. Sed opera non amplectuntur. H. Dulcissime DEVS, anne homines isti ab omni purgatorio immunes euolant? D. Planè si hac in rupe ad vltimum perstiterint spiritum, tum demum omne Purgatorium euadunt.

Summe perfecti cur adima præcipites quandoq; relabantur. Isa. 14.

H. Etiamne hinc quãdoque prolabi possunt? D. Nonnunquam ita euenit, vt ex hac immanis altitudinis rupe quidam sub ipsum vsque rete corruerent. Idque hac de causa, quod inanem sui complacẽtiam teter spiritus illis instillaret, nec tamen illi vt oportuit resisterent. Ob idem autem vitium Lucifer cum tota cohorte sua è cælo detrusus est. Porrò quotquot ex hac rupe præcipites sub rete labuntur, illi omnium Christianorum longe pernicios̃simi fiunt. Enimuerò lucidissimis diuinæ gratiæ splendoribus affecti fuêre, atque eam lucem ad errores & hæreses, quibus homines euertunt, fabricandas transferunt, & sunt ipso quoque dæmone studiosius cauendi atque vitandi. Atque reuerà simplicibus Christianis maximè necessarium foret hisce periculosis temporibus eos posse cauere. Nam huiusmodi pestes plurimis increscunt & prævalent. Sane donec corpus cum anima cõiunctum est, nunquam quisquam in hac vita tam sublimiter vel profunde in suam pertingit originem, quin dæmon inde eum detrahere moliatur: id quod facis in ipso

Quinam homines ipso dæmone magis vitandi.

ipso Christo declarauit, tentans & impugnans eum. H. Quonam in precio apud te sunt Domine huius rupis incolæ? D. Tam immenso eos amore Deus prosequitur, vt si quis vnus ex illis pro quadam causa ipsum precetur, & tota Ecclesia eodem tempore in diuersum oret, illum vnum Deus, quam alios omnes, exaudire malit. H. Immenso me afficit gaudio adspectus horum Deus benignissime. Quę igitur illic sentiuntur gaudia, vbi tu ipse sine medio palam conspiceris? D. Si quis vnus omnium & angelorum & hominum sensibus & viribus prædituS foret, non posset tamen vel minimum cõprehendere gaudium, quo Deus cum suis fruitur amicis in cælo. H. Adhuc mi Domine in ea maneo sententia, cum primis esse necessarium Ecclesiæ, plures huius rupis supereſſe habitatores, qui pro Ecclesia obsecrarent. D. Tam paucos nunc id genus homines inueniri, quandoque suo malo sentiet Ecclesia. H. Equidem confido mi Domine, donec vel pauci ex illis superuixerint, illorum causa te Ecclesię propitium fore.

Gaudium amicorum Dei in cælo ineffabile.

D. Sed quando hominum scelera Deus diutius ferre non vult, tædetquet humanæ malitiæ iustitiam illius, omnem istis hominibus pro Ecclesia orandi virtutem & facultatem aufert.

H. Spero necdum adesse diem illum, quo mundum perire fines. Namque mihi videre videor electorum numerum nondum completum esse. D. Verum est id quidem. Sed sicut olim ob peccata hominum permisit diluuio interire mũdum vsque ad animas octo, ex qui- Gen 7.

bus mortalium genus instauratum est: ita sanè nimiam horum temporum improbitatem Deus diu perpeti non vult.

H. Liberet nunc ex te percontari Domine, quamdiu homines istos, qui tua causa sanguinem & medullas suas mortificarunt atque cõsumpserunt, in hac rupe commorari permiseris, antequam eis suum contemplandi principium feceris potestatem? D. Quidam id contemplari sinuntur etiam antequam huc perunerint, sed ij deinceps vsque ad obitum plurima habent perpeti, vt perspicuè in D. Paulo licet animaduerti. Nonnullis id adspiciendi copia fit simul atque in hanc aduenerint rupem: alijs altero vel tertio, alijs quinto vel decimo anno post rupis huius ascensum. Quosdam verò etiam vsque ad extremum vitæ diem inibi Deus exarescere sinit, atque in ipso penevltimo spiritu eius contemplandi copiam illis facit. Quibusdam planè manet abditum, tabescuntq; & arefiunt, donec animam fundant. Quæ videlicet occulta sunt Dei opera, quæ homines inuestigare vel scrutari non decet. Quod autem tam dissimili agit ratione cum præclaris hisce hominibus, non alia ratio est, nisi quod ipse perspicue nôrit, quid singulis cõueniat, & quid ex cuiusque salute ac vsu sit. Sed nunc his omnibus perspectis, vide obsecro, quã paucos verè morigeros & resignatos homines ista hæc habeat ætas, præterquam qui in hac rupe degunt.

H. O si indignus ego obsecrare te auderé, (excedit enim vires meas, sed tibi nihil est impossibile) vt me apud huius rupis incolas habitare sineres. Ne quæso Domine precẽ hanc indignè

feras,

feras, si vlla ratione fieri potest, adiuua tu me, qui potes omnia, vt amabilium hominum istorum seruus esse merear: nam alioqui plane indignus sum. D. Facile Deus humilitate superari potest. Qua cum præditum te sciat, non modo id præstabit tibi vt apud istos commoreris, sed etiam tuam contempleris originem.

H. Id planè mihi absurdum videtur. Qui nãque vilissimus ego id obtinere queam, quo me vsqueadeo indignum noui?

Vt homo iste coactus sit à Deo suam contemplari originem.

Caput XXXII.

Deus: At nunc obedias Deo, apertisque internis obtutibus, ad conspiciendum principium tuum tete accinge. Quibus verbis exterritus homo ex animo, ait ad Dominum: Obsecro Domine propter temetipsum & omnem bonitatem tuam, tanto me honore ne oneres, siquidem eo me indignum atque inidoneum agnosco: si tamen id petere me fas est, & quatenus tuæ est consentaneum voluntati, patiaris me (quæso) diuersum orare, quandoquidem id vsqueadeo me dedecet. D. Mitte hos sermones namque sic fieri necesse est. Scribas oportet quicquid verbis exprimi, aut sensibus comprehendi potest.

H. Quid est Domine Deus, vt mihi reuelare velis, quod charissimis amicis tuis tectum manet & incognitum, eisque manifestare differs, qui

qui tamen tanto iam tempore seueris & arduis sectandis exercitijs præcelsam hanc coluêre rupem? Per teipsum te obsecro, ne me indignum hoc immenso honore afficias. D. Acquiesce petitioni meæ, sic enim fieri necesse est. Sed tamen ante obitum tuum ea de causa multa aspera & acerba perpeti habebis. H. Id equidem non vereor: quando tu Deus meus propter me miserum tanta perpessus es. Fac mecum Domine Deus, qui sum miserrima & indignissima creatura tua, quicquid tibi visum erit in tempore & æternitate. Posteaquam sese resignauit homo, mox illi originis porta patefacta est, adspexitque principium siue originem, ita vtvix momenti spatio illa visio duraret: qua finita, tanto se gaudio & lumine plenum reperit, in omni fundo suo, vt totus à se deficiens, nihil sciret de tempore. Deinde vbi sibi redditus fuit, internum illud gaudium & lumen tam vltra omnem modum ingens & ineffabile fuit, vt totus corpore contremiscēs cogitaret vbinam fuisset, aut quid miri sibi accidisset, vnde corpus & anima sua tam immēsis abundaret gaudijs, atque aliquamdiu sic secum sedit cogitabundus: sed quo cogitabat attentius, eo minus percipiebat, quidnam fuisset. Cogitabat secum, se libenter vt erat iussus, scriptis tradere velle & eloqui quod viderat, sed nec minimū quippiam eorum quę in principio conspexerat, aut verbis exprimere, aut scriptis mandare potuit. Deinde cœpit velle tanquam sub formis & simulacris compræhensum prodere, sed efficere non potuit, siquidem longè excedebat. Post eo vsque inde cogitare statuit, donec ratione & sensi-

sensibus id assequeretur, sed ijs longè superius erat. Denique tamdiu & multum inde meditari constituit, donec quandoque id agnoscerer. Sed quanto magis meditabatur, eò minus agnoscebat: siquidem cognitionem illius omnẽ, & quicquid vnquam vel auditu, vel intellectu percepisset, transcendebat. Ait igitur ad Dominum: Admiror satis Domine, quid sibi voluerint verba tua, quibus dixisti, adspicere me debere & scriptis tradere, quicquid describi posset. Enimuerò ne verbum quidem hic proferre noui, neque intellectu meo id attingere, neque vbi fuerim, vel quid audierim noui: nãque abundantissimis gaudijs plenus sum, neq; video vt ea continere aut excedere queam, vt non magno impetu erumpant.

D. Minimum, quod in Deo sentitur gaudium, omnem huius mundi lætitiam & voluptatem, etiamsi tota in vnum confletur, excedit.

Minimum in Deo gaudiũ omnẽ mundi lætitiam excedere.

H. Miror valde, cor meum præ nimia gaudiorum exuperantia non scindi penitus. O si exte sciscitari auderem, nec te respondere pigeret, quidnam viderim, & vbi fuerim: siquidẽ inde nihil neque verbis eloqui, neque scriptis prodere possum. D. Tuam adspexisti originẽ. Neque mireris eam te neque verbis proloqui, neque intellectu assequi posse. Nam si vnus aliquis mortalium omnium, qui vnquam in terris fuerint, sensibus & ratione esset præditus, non posset viribus proprijs vel minimum aliquid illius quod intuitus es, capessere. Itaque illud comprehendere non labores. Siquidem omnem humanam excedit rationem & intelligen-

ligentiam. Cùmque id ipse videres, creaturæ omnes tibi exciderunt, & Creator ipse tibi sponsæ loco obuenit, atque in præclarissimo illo fuisti gymnasio, vbi Spiritus sanctus Ludimagister est. Vbi autem ad hoc gymnasium tua peruenit anima, vidit id totum vndique literis vera luce & discretione refertis plenũ. Quo perspecto, ineffabili est repleta gaudio, totaq; sitibunda præ exultatione extra sese inter illas literas prosiliens, in omnem se partem contulit, donec vero esset repleta lumine, veramque obtinuisset discretionem. Denique in hoc eodem præstantissimo gymnasio ab ipso summo Doctore vel Pædagogo tanta est animę tuæ infusa amoris exuperantia, vt in ipsum corpus redundaret. H. Mox vt originem intuitus sum, tam ineffabilem nouam & admirabilem in anima mea sensi dilectionem, quod libẽtissimè pœnas omnes animarum omnium in Purgatorio degentium pertulissem, vt à pœnis essent absolutæ: vsqueadeo illas miserabar. In natura quoque mea tantum sensi amorem, licet natura id abhorreat, vt passio tua ita me cruciaret, mortisq; tuæ tam immensus me obtineret amor, vt dirissimam crucem vel afflictionem, mortemque omnium, quæ excogitari possint, turpissimam sitirem: eiusdemq; ardentissimo desiderio etiam anima capiebatur, idq; in honorem & gloriam mortis tuæ. Naturam quoq; meam pro cunctis Mundi peccatoribus, & pro mortalium omnium in terris degentium pœnis & afflictionibus patiendi incessit cupido, si sic tibi placuisset. D. Noueris amorem istum & excellentissimam gratiam siue donum, in dignissima

nissima Sanctiſpiritus ſchola te adeptum esse.

H. Si me vnum mortalium omnium cruces omnes pro tui laude & honore perpeti licuisset, summo id mihi fuisset gaudio. D. Certus sis, neminem vnquam tam sublimem in se Dei charitatem experiri, nisi ad hunc pertigerit gradū.

H. Si voluntatis esset tuæ, libenter æternos inferorum cruciatus pro tui honore subirem, vt mortalibus cunctis perspecta forent, quæ me indignum ex immensa misericordia tua videre permisisti. D. O si homines superstites propriæ suæ voluntati magno animo valefacerēt, & nouem hasce præcelsas viriliter rupes transcendere non dubitarent, Deoque hac in parte morem gererent, eos absque dubio eò eueheret atq; sua ope perduceret, quò te perduxit.

H. Neminem prorsus hominū noui, cui non æquè ac mihi, ex animo id cupiam & velim. Tantis tamq; immensis me redundare gaudijs, stupere non desino. D. Tamen vide, ne nimium præcellenti huic dono præfidas. Namq; vbi visum erit Deo, penitus id retrahet ad sese, atque in tanta te deseret inopia ac ignorantia, ac si nihil vnquam de Deo comperti habueris.

H. Ne indignè feras Domine, quod dicturus sum: Tantus me medullitus tui cepit amor, vt non putem totis potentiæ tuæ viribus quicquā te posse agere, quod molestè sim laturus. Quicquid enim feceris, id ex ingenti erga te amore non poterit mihi non esse gratissimum: neque possim optare aliud, etiamsi optima facultas mihi data sit. Nam cuncta quę agis, optima sunt. Siue igitur largiaris, siue auferas, æquè mihi gratum est.

D. Vide

D. Vide ne idem tibi vsu veniat, quod Diuo Petro, qui & ipse grandi erat fiducia & magnanimitate præditus, sed vbi periculum imminere sensit, animus ei in pedes decidit. Matth. 26.

H. Equidem mi Domine, totum me tuæ benignitati & misericordiæ permitto.

Prosequitur quæ de nonæ rupis incolis dicere instituerat.

CAPVT XXXIII.

AGè nunc rupes omnes & rete illud, quod per totum orbem expansum est, respice. Adspexit homo sub rete, viditq; inibi duos versari homines, quorum alter totus instar angeli lucidus & elegans, alter totus obscurus & ater perinde vt dæmon, præterquam hominis gerebat speciem, videbatur. H. Mi Domine, quinam sunt homines isti? D. Is qui sub rete graditur, haud secus quam diabolus niger, quandoque huius rupis habitator fuit, sed inde proiectus est, sicut Lucifer. Quadam namque suî complacentia titillari cœpit, atque ex ea complacentia multa cum hominibus colloquia miscuit, & aliquid esse & haberi voluit ex seipso. At nunc omnium quos orbis habet, spurcissimus est. Siquidem ea quæ docet, erroribus & hæresi obnoxia sunt, atque præ cunctis dæmonibus diligentius fugiendus est. Huius sectatores tam multos sub reti degere conspexit homo ille, vt eum ex animo misereret. Ij namque Christianorum omnium pernicioßissimi sunt.

Christianorũ omniũ pernicioßissimi qui

H. Qua

H. Qua ratione hoc fallax hominum genus nõsse licebit? D. Subtilem quendam ac suauem & mollem tradunt viam, ad quam alioqui ipsa natura, præsertim hoc æuo, propensa est. H. Quis est alter ille tam splendidus sub rete?

D. Is quoque suam est intuitus originem, atque in horum amantissimorum hominum vixit contubernio, sed ex ingenti erga proximos amore & misericordia, demisit sese sub rete & miseris iunxit peccatoribus, si quem forte diuina adiutus ope, conuertere, atque ex peccatis extrahere queat. Idem autem ipse procul respicit, agnoscitque quam miserãdum in modum Christiani sub reti summo cũm periculo iaceant, optatque mortis ferre supplicium, vt eos ex peccatis possit educere, eò quòd seueriſſima Dei iudicia post hanc vitam impijs ferenda, dilucidè perspecta habeat.

H. Habétne mi Domine Christianus orbis multos ita illustres & splendidos homines?

D. Certè tam paucos habet, vt id ægrè laturus sis, si videre oporteret. H. Timétne homines isti? D. Timent quidem, sed hoc solũ, quod Domino Deo suo non satisfaciant, nec eius sectentur exemplar, ita vt vellent. Non metuunt neque Purgatorium, neque infernum, neque dæmones, neque homines, neque mortem, neque vitam, sed timor omnis eis ablatus est, præter tamen timorem filialem, qui in eis manet, donec in hac vita supersunt. H. Habentne isti adhuc viuere?

Summe in hac vita perfectos omnis timoris, præter filialem, experies.

D. Habent nimirum, neque appetunt aliud, quàm verum exemplar Christum Iesum ad

vltimum vsque spiritum imitari. Præcipua autem eorum crux ea est, quod Ecclesiæ suæ Christianorum horrenda pericula bene videntur, eorumq; dolent vicem. Porro tam copiosè diuinitus illustrati sunt, vt facile animaduertunt, quibus singuli homines alioqui bonis distineantur impedimẽtis, ne ad suam progrediantur originem: cumq; aspiciunt, vt homines isti propriæ suæ voluntati atque vitijs impliciti ac irretiti sint, condolent eis, atq; hanc crucem post Christum caput suum ad mortem vsque ferunt.

Crux perfectorum præcipua quæ.

H. Suntne de æterna securi beatitudine? D. Seipsis abnegatis, vnum cum Deo effecti sunt. Quo igitur illos ablegare possit? Num amicos suos dæmonum manibus permitteret? Id eum vtique non decet. Itaque dum homines isti moriuntur, eodem momento cælos penetrant. Nec quisquam eos in hac vita, nisi Deus seipse consolari potest.

H. Quid causæ est, quod hodie omnis pietas ac optimæ constitutiones in Ecclesia tam misere pessum abeunt? D. Olim superioribus seculis, si quid grande fuisset agendum, Dei & eius amici consulebantur. At nunc si Ecclesia afflictetur & laboret, velitque vnusquisque ex his præclaris hominibus ex Sanctospiritu eis siue in secularibus, siue spiritalibus rebus consilium præstare, ludibrio eum habent & stultum putant. Et tamen si vni alicui ex his totius Ecclesiæ cura commissa foret, melius eam & rectius iuxta decreta & constitutiones omnes moderaretur, quam quiuis alius, idque paruo negotio. Verum licet in eis sanctus manet

Constitutiones bonæ cur in Ecclesia perditũ eant.

rèat Spiritus, tamen opprimuntur, deridentur, & pro nihilo ducuntur. Sed his omissis, dic mihi, num bene assecutus sis, quid sibi ea re voluerit Deus, quod initio excelsum tibi montrauit montem, in cuius suprema planitie pisces multi erant, qui ex ipso monte per rupes decidebant, cumque venissent ad ima, per fluuios omnes, totumque mundum peruagabantur, plurimis interea captis: vbi verò mundum iam circuissent, atque ad montis essent ima reuersi, admodum numero imminuti visebantur, ijdemque per aquas & montem sursum vltra celsas nitebantur rupes, sed vndâ decurrens eos deorsum secum rapiebat, & quoties ad montis pertigissent verticem, inde relabebantur, ita vt nonnulli emorerentur. Vidisti tum, tam crebro id eos attentare, antequam rupes transcendere possent, vt pauciſſimi in montis fastigium peruenirent. Dic igitur, num probè hæc intellexeris. H. Equidem animaduerto cuncta hæc significâsse aliquid. Sed benigniſſime Deus, miserere Ecclesiæ verè miseræ. D. Quid miserebor? videsne vt contemnant omnia? Iam ante clementer præmonuit eos Deus ingenti peste & morbis, & prius etiam alijs signis & argumentis, modo prospe-ris, modo aduersis, sed nihil profecit. Dei timorem planè nihili ducunt, neque id semper perpeti potest Deus. quandoque alia experientur. Nam aliquod retrò seculis non tanta fuit hominum improbitas vti nunc est. Haud secus viuunt quam oues errabundæ, nec amicis Dei fidem commodare volunt. Olim Deus & in veteri & in noua lege specialibus amicis suis

sua reuelauit secreta, idque æque hodie, atque tum temporis, facit. Non enim minus id iam potest, atq; olim. Quisquis id credere non vult, eius ruina hîc capit initium, & durabit in æuum sempiternum.

H. Terribile hoc est Domine pro cunctis vitæ suæ emendationem inchoantibus, & sed corrigere cupientibus, & tamen amicis tuis nō magnoperè fidem adhibentibus, eo quod dicta ipsorum non capiant. D. Et quinam possint eos capere, cum vsqueadeo ab ipsorū vita discrepent? Aiunt se eos nō nôsse, sed indignissimè eorum habere notitiam, idq; ea de causa, quod minimè parati sint eorum dictis obtemperare. Et tamen hominibus bonam vitam aggredientibus cumprimis vtile foret, aliquem Dei amicum inquirere, ei morē gerere, ac Dei loco sese resignare, cum illoque solo miscere colloquia, omniq; studio sibi cauere ab hypocritis & hæreticis, qui iam passim circumcursitant, malis instructi verbis acutis & subtilibus, quæ iam frequentius, quam diuinæ scripturæ veritas, audiuntur. Esset sane perquam necessarium, simplicibus & rudibus quibusque, vt sub Christi fugerēt crucem, & huius farinæ hominum fallacissimam vitarent sodalitatem & communionem, prauaque consilia. H. Equidem ita sentio, si simplex quispiam integrè & constiter sese ad te conuerteret, paratus vni tibi viuere, & creaturis omnibus valefacere, ilico tu ei laturum opem, tuamque gratiam præstiturum. D. Paratus esset Deus suam impartiri gratiam, si vasa capacia adessent. Homines præsentis æui, non nisi seipsos quærunt & aucupantur, solaq;

Homini vitæ melioris studioso quid vtilissimum.

solaque dona Dei amant, vnde rarò magnam Dei gratiam percipiunt, vtpote illius minimè capaces. Non enim audenti ac infracto animo, veraque ac humili suî resignatione ac submissione intrò se conferunt. Quod si quis ita ageret, in eo sane propensius modo Deus, quam vnquam antehac, magna quædam operaretur. H. Si plures superessent, qui ita se gererẽt, nihil dubito, quin Ecclesiæ propitius fores.

Gratiæ Dei qui cur minime capaces.

D. Multis retrò seculis non adeo misertus est Deus vt hisce temporibus, quibus multa nimis tolerat, patitur, parcit, monet, expectat diem ex die. Pater quidem ante plures annos Mundum ad paucos vsque homines delere decreuerat: sed Filius intercedens, rogauit vt suspenderet sententiam. H. Obsecro Domine, memineris immanium cruciamẽtorum tuorum & acerbissimæ mortis tuæ, atque omnis miserandæ perpessionis tuæ, & miserere Ecclesiæ tuæ, expectesque aliquamdiu, efficiasque vt sese emendent. Nullane via aut ratione commode efficere potes, vt in aliquem meliorem redigãtur vitæ ordinem, magisq; te vereantur?

D. Ecquid tandem illis faciet Deus? Ipse tamen vides, quicquid illis facit Deus, nihil prodesse. Impiè & peruerse nimis viuunt, & multi omnis sunt diuini timoris expertes. Id verò Deus Pater nulla ratione diutius perpeti vult. H. O Domine Deus, miserere illis.

D. Quo pacto illis miserebitur Deus? Iam vsqueadeò in peius abiêrunt, vt diuina iustitia tandem ferre non possit. Itaque vbi illud adsentârit tempus, iam tum omnes tuæ & aliorũ Dei amicorum preces desinent, permittetque

Deus Pater Filio suo omnem ipsi hactenus irrogatum, & qui hisce periculosis temporibus etiamnum irrogatur, vlcisci contemptum & iniuriam. H. Non video Domine, quid amplius dicam, nisi vt pro tua immensa misericordia cum illis agas. Sed nunc, obsecro, vnam licet adhuc quæstionem mouere tibi, ac deinde nullam. Qui digni sunt suum contemplari principium, perfectione inde in vita hac temporaria perfruuntur gaudio? D. Ineffabilibus abundant gaudijs. At tamen plenum hoc temporariæ beatitudinis gaudium tam impar est futuræ felicitatis gaudijs, quam tempus æternitati. En confirmo tibi, internam quandam occultam te perpessurum crucem ad mortem vsque. Matt. 6. & 26. Et hic sit finis colloquij nostri. H. Fiat Domine voluntas tua. Equidem Domine tuum oportet sectari exemplar donec vixero, quoad vires sustinebunt.

Posteaquam libellus hic omnino descriptus fuit, retraxit Deus cuncta iam memorata iucunda dona sua, in tantaque hominem istum penuria reliquit, ac si nihil vnquam de Deo comperisset: atque insuper immanissima cum permisit tentatione vexari, quæ etiam sensus humanos omnes excederet. Et viuit etiamnum homo iste, putatque se donec vixerit, ea tentatione laboraturum, nec aliud mihi crucem petit.

Libellus hic scribi cœptus est in Ieiunio Quadragesimali, anno post Christum natum 1352. Non est cur quisquam sciscitetur, cuius operæ in hoc conscribendo Opusculo Deus vsus sit. Siquidem homo iste diuinæ confidit benegnitati,

gitari, donec vixerit, nunquam id cognitum iri: tametsi diuinę permiserit voluntati, vtrum vel fiat, vel non fiat.

Deo Gratias.

PIO LECTORI F. LAVRENTIVS Surius Carthusianus, S.

EA quæ hoc libello de nouem Rupibus & earum incolis dicta sunt, aliquot locis subobscura sunt. Itaque in tui gratiam placuit è Germanico conuertere & hic adijcere paulo dilucidiorem, quamuis compendiariam, earundem declarationem, editam ab insigni Theologo D. Henrico Harphio, qui & sanctitate. & eruditione celebris habetur.

EXPLANATIO SVCCINCTA ET PERSPICVA NOVEM RVPIVM, PER NOVEM veræ Salutis, & Abnegationis suipsius Gradus.

AVTHORE

D. HENRICO HARPHIO.

PRIMVS Abnegationis Gradus est eorum, qui vsqueadeo sunt fixi in Timore DEI, vt causa Dei velint peccataquauis mortifera fugere. Is nimirum primus est accessus ad Dei similitudinem. Vt enim per peccati dissimilitudinem à Deo non abiungimus, ita rursum ad illum gratiæ eius & virtutum nostrarum similitudine nos adiungimus & accedimus. Quo nos etiam Propheta regius hortatur. *Accedite*, inquiens, *ad illum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Sed istorum hominum exigua est portio, si cum illis conferatur, qui in peccatis degunt: atque eorum illustratio valde obscura est instar nebulæ, ita vt peccata mortifera vix internoscere aceuitare sciant. Vita eorum periculosa est, conscientia perplexa & scrupulosa nimis, sensus multis cincti tentationibus, quibus ad vitia illiciuntur ac pro-

Psalm. 33.

procliues fiunt, salus eorum, id est, vtrum seruandi sint, dubia valde est, hostesq; tartarei magnopere sperant in vitia eos ruituros & damnãdos, eo quod sufficere putent, si mortifera declinent vitia, dicentes cum Propheta: *Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in mortẽ, ne quando dicat inimicus meus. Præualui aduersus eum*, atque ita in sui illuminatione manent frigidi ac desides, atque in multis etiamnum naturæ suæ commoda & sensuum fomenta aucupantur. Quamobrem tota illorum viuendi ratio in tartari & exitialium peccatorum extremis finibus versatur. Et licet vsque ad vltimum spiritum absque morti feris peccatis perseuerent, at tamen horrendos & diuturnos Purgatorij sentient cruciatus, eo quod venialium culparum affectº proscindere noluerint: atque opera eorum apud DEVM exigui erunt meriti, vtpote impura affectione & intentione peracta. Psalm. 12.

SEcundus Gradus est illorum, qui diuinis obsequuntur instinctibus, & mundi huius vanitatem seriò fugiunt, bonorumq; hominum, ex quibus possint meliores effici, consilia & conuictum ac consuetudinem expetunt & inquirunt, memores illius Dauidici. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Horum est copiosior illustratio: siquidem extimulantur ad vitandas omnes peccati occasiones, & ad sacras ædes & conciones, locaq; vbi possint virtutis capere incrementa, perpetim visitanda, ita vt possint dicere cum Pro- Psalm. 17.

Psalm. 118. pheta: *Lucerna pedibus* (id est, affectibus) *meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, quas perfectionis obtinendæ causa perquiro. Atqui istos sæpenumerò hostis malignus infestat, cupiens eos remissos, tepidos ac negligentes efficere ea ga strenuas virtutum actiones & exercitationes: qua in parte etiam sæpè, seducuntur, eò quod mortifera duntaxat & grauiora venialia peccata deuitent, nec soliciti sint ac circumspecti ad declinandas hostis tendiculas & laqueos in minoribus & occultis erratis siue defectibus in remissiori viuendi ratione, & in immortificatione suî: nec sese viriliter ad strenua virtutum exercitia applicant. Siquidem malus spiritus suauiter, insidiosè & fallaciter eis instillat confidentiam quandam & pernicioſam securitatem de bonitate Dei: idque eo quod causa Dei multa sibi abnegasse videantur: vnde sibi ipsis placent & vanè gloriantur, putantque se iam aliquid esse: quod quidem in eis tecte & subtiliter agitur, vt nec ipsi animaduertant. Hinc porro proprio iudicio sapientes ac scioli fiunt, perinde quasi iam nullius vel consilio vel auxilio opus habeant: atque ita celeriter in multa labuntur vitia spiritalia.

TErtius Gradus eos complectitur, qui iam dictis perfectius superarunt Mundum, carnem, sensus & desidiã vel torporem, amplectunturque dura & aspera pœnitentiæ opera & exercitia corporalia, scilicet, vt possint esse immunes à damnatione, & Purgatorij sibi pœnas diminuere, & in cælis gloriosos coronari: ad quos pertinet illa Dauidis vox,

Inclina-

Inclinauit cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem, puta æternæ vitæ. Isti eam merentur illustrationem, quam Dauid precatur, dicens: *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas*, scilicet in externis corporalibus exercitijs, & virtutum actibus perficiendis. At nihilominus hostis pestifer in quadam eos cæcitate detinet, qua fit, vt spiritalium exercitationum celsitudinem minime perspiciant. Præcipua autem eorum exercitia sunt, famem, sitim, & frigus perpeti, ieiunijs & vigilijs operam dare, cilicijs corpus affligere, & externas preces facere, quæ vtique Deo grata sunt & ad vitam spiritalem necessaria. Cæterum de internis exercitijs, & vt secundum interiorem hominem mortificare se debeant, nihil comperti habent. Quo fit, vt etiamnum naturali affectu & amore carnaliũ vel etiam spiritalium amicorum & cognatorũ detineantur: eumque amorem putant sibi permissum, neque animaduertunt quanta ille spiritalia adferat damna ac detrimenta. Enimuerò superfluas in eos curas & solicitudines atq; cordis immortificationem aduehit, quib⁹ manent irretiti varijs ex causis, quæ ob antedictos amicos & cognatos illis occurrunt, adeo vt nõ possint in interiorem penetrare hominem, sed indies innumeris, immortificatis, impuris, inquietis distrahentur ac saucientur affectibus, curis ac solicitudinibus, quæ ex naturali amore proficiscuntur, licet bona, & cum virtute coniuncta esse videantur.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Amor naturalis erga amicos & carnales & spiritales quid adferat detrimenti.

QVartus Gradus illorum est, qui non solum externa colunt corporalia exercitia & opera,

opera, sed etiam interna spiritalia, vt sunt preces internæ, quę mente fundantur, gemitus vel suspiria, amans condolentia, & amorosa desideria, atque id genus alia, quæcunque ad internum pertinent hominem pro Sancti spiritus instinctu ac operatione. Verum & ipsos in ea cœcitate teter spiritus retinet, quod cuncta sua exercitia hac mente & hoc scopo prosequuntur, vt sensibili deuotione & amore perfruantur. Namque in cunctis exercitationibus sua potius suam ipsorum delectationem & voluptatem, quæ ex deuotione sensibili percipitur, quam meram, nudam, & gratissimam Dei voluntatem spectant, appetunt, & aucupantur. Itaque sæpius de suî illuminatione & spiritali dulcedine gloriantur, & in eis acquiescunt: habentque despectui eos, qui tentationum oneribus pressi, ijs carent, aut deficiunt: nec absque temeritate corde vel ore proferunt illa Dauidis verba: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Id genus homines manent suo ipsorum iudicio sapientes, & propriæ voluntatis, nec sese reuera diuinæ permittunt ac dedunt voluntati. Nam tamen dum arridet gratia & deuotio sensibilis, totos sese & quicquid sunt & possunt, integro affectu Deo permittere ac resignare videantur, verbi gratia ad voluntariam paupertatem, ad sui contemptum, ad afflictiones, ad miseriam & desolationem, ad mortem & id genus alia: at vero dum sensibilis gratia tollitur, & ipsi ea destituuntur & derelinquuntur, si tum illis occurrat ignominia, persecutio, aduersitas, iniuria, suam produnt immortificationem per impatientiam,

Psalm. 4.

tientiam, inquietudinem, tristitiam, murmurationem, & similia. Siquidem adhuc intra se inordinatum sui amorem retinent, quo hostis tartareus illorum trahit voluntatém, quam Deo in omnibus permisisse ac resignasse videntur. Ita nimirum occulto quodam naturæ tractu semper propriæ voluntati manent dediti, quamuis id ipsos lateat: magisque cupiunt Deum suæ obsequi voluntati, quam ipsi gratissimam Dei voluntatem nudè sequantur tam in aduersis quam prosperis, in desolatione iuxta, ac sensibilis gratiæ affluentia.

QVintus Gradus eos continet, qui in omnibus exercitijs & actionibus, totaq; viuendi ratione siue conuersatione sua, propriam voluntatem pro Dei gratissimo beneplacito abnegant. Sed quia in hoc proposito ac instituto non diu exercitati ac firmati sunt, crebrò admodum fragiles ac nutabundos hac in parte sese experiuntur, licet doleant: idque hinc eis accidit, quod mortificandi desiderium siue affectus per continuas exercitationes necdum in eis radices fixerit: quamobrem etiamnum quendam in seipsis instabilitatis spiritum sentiunt, vt quod verbi gratia, modo omni valefaciant propriæ voluntati, modo rursus in eo proposito vacillent. Ex horum persona dicit S. Dauid: *Dixi: Forsitan tenebræ* (id est, aduersitates) *conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliţijs meis*: hoc est, in delitijs affluentis gratiæ, nox id est, commemoratio aduersitatis, cui me tunc sponte permitto ac offero, mea illuminatio est, id est, cõpendiosior accessus meus Psalm. 138.

ad

ad Deum, per quem illuminor. Nimirum si homines isti omnem voluntatem propriam absque animi calcitratione etiam in aduersis quibuslibet resignarent, & intimo cordis affectu, studio & complacentia ac spiritus humilitate totos se gratissimæ Dei voluntati submitterent, copiosos inde fructus perciperent, & ex diuina illustratione occultissimas agnoscerent semitas virtutum, cunctis alijs fermè incognitas & incompertas.

SExtum Gradum illi obtinẽt, qui per multimoda desideria & continuas exercitationes omni proprietati absque vlla recantatione vel calcitratione perfectè & constanter siue cum perseuerandi proposito renunciant in gratissimam Dei voluntatem. Siquidem tiberius in intellectu illustrati, perspiciunt, bonis & Deum diligentibus omnia cedere ad animæ profectum, etiam in quibuslibet rebus aduersis, dicuntq; cum Psalmographo: *Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Atqui hoc etiamnum vitio laborant, quod spiritalem consolationem plus satis aucupantur: qua freti cuncta aduersa facile perferunt: atque hanc tenam duntaxat possident, & cum proprietate quadam eam petunt à Deo. Porro intentio hæc consolatione fruendi, non satis pura & diuina est: id quod inde poterunt animaduertere, quod tranquillo & quieto non sint pectore, donec sensibilem consolationem pro voto recuperẽt. Sciendum hîc est, sensibilem hanc deuotionem & consolationem recta & congrua intentione à Deo

Psalm. 26.

Sensibilem à Deo consolationem expetere, licet intentione recta, imperfectionis esse.

à Deo petere & postulare, quamuis in se ipso malum non sit, aut vitio obnoxium, tamen quandam præ se ferre imperfectionem, à pura & syncera sui abnegatione deficientem, licet id pauci persentiant: vt quod, verbi gratia, istiusmodi homo sese non permittit vel resignat Deo absque cordis calcitratione, quo Deus in ipso modis omnibus, etiam in derelictione & aduersitate, pro sua gratissima voluntate operetur. Ac tametsi agnoscit ita fieri meritò debere, nihilo secius non sese nititur vltrò perfectèac purè Deo permittere vel resignare: qua re fit, vt in cæteris exercitijs & virtutibus minimè progrediatur quandoquidem occultas naturæ propensiones, subtilesque & inordinatas eiusdem appetitiones vel affectiones perspicere & internoscere non potest.

SEptimus Gradus illis assignatur, qui vtraque manu, puta & dextera proprietatis, & læua aduersitatis, commode vtiliterque vtinôrunt, dicentes cum Propheta: *Paratum cor meum Deus* ad excipiendas pro gratiff. voluntate tua res prosperas: itemq; paratum cor meum Deus ad perferenda aduersa pro beneplacito tuo. Enimuero homines eiuscemodi in omnibus Deo cupiunt satisfacere pro acceptiss. voluntate: idque tum intro, tum foras se recipiendo, atque etiam in intentione & amore: haud secus quam vmbra modis omnibus imitatur motum corporis, quod eam efficit. Quò pertinet etiam illa amantis animæ sententia: *Sub vmbra illius quem desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vbi nimirum nôsse

Psalm. 107.

Cant. 2.

conue-

conuenit, Deum ipsum lucem esse, Christiq; humanitatem corpus vnde vmbra existit, & vitam illius lõge perfectissimam eam esse vmbram, sub qua requiescere debeamus, perfectè eandem ipsam vitam imitando. Tum verò spiritales fructus maxime suaues erunt, siquidem Deus istiusmodi homines multis occultis & spiritalibus donis & cognitionibus illustrare afficit. Neque tales nocte aduersitatis & derelictionis obscurantur, vt qui in nudo amore fundati sint, per quem non solum didicerunt magna efficere, sed etiam molesta & dura perpeti. Eiusmodi Dauid loquitur: *Quoniam tenebræ obscurabuntur à te*, id est, aduersitates lumen gratiæ in te non obscurabunt: & nox aduersitatis sicut dies prosperitatis siue sensibilis gratiæ in te illuminabitur: sicut lumen tuum, ita & tenebræ tuæ. Enimuerò id genus homines in rebus aduersis spiritali sua quiete & profectu potiuntur: ideoq; apto & congruo ordine diuinas percipiunt illustrationes & dona spiritalia, quibus Memoria fit diues, & abundat admirandis occultisq; cogitationibus ipsi intellectibus, intellectus illustratur, & vis amatiua seu voluntas diuini amoris ardore inflammatur. Sed quia incautis periculosa est omnis abundantia, fit nonnunquam, vt donis tam crebro perceptis ex subtilissimis quadam & valde abstrusa ignorantia partim abutantur: nempe plus satis quiescendo & amando proprium diuinorum munerum experimentum, etiam ipsis id nescientibus, nec aduertentibus. Id verò hac ex causa eis euenit, quod cum non appetant inordinatè subtractam sibi reddi gratiam, non sunt

Psalm. 138.

solicit

soliciti ad perspiciendum, vtrum oblata Dei gratia incaute fruantur. Et quãdiu hoc ipsum non mortificant, non possunt summam apprehendere perfectionem.

OCtauus Gradus illis tribuitur, qui se purè ac syncere gratissimæ Dei voluntati permittũt ac dedunt, vtcunque vel qualitercumque ipse cum eis velit agere tum in tempore, tum æternitate: nec quicquam omninò proprietatis, nec vllum amoris aut effectus attractiui erga creaturas vel dona Dei viscum in se residere sinunt. Quod si quæ possideant bona temporaria, ab ijs ita sunt animo liberi & absoluti, ac si ea non habeant. Itidemque à Donis se penitus seruant expeditos ac liberos, non sese inde extollendo aut magnos putando, quasi ea non percepissent. Atque hos Dominus vt plurimum sæpius quam cæteros visitat magnis occultisque donis suis, & crebrò sub formis, imaginibus vel similitudinibus quibusdam multa eis mira reuelat quãdoquidem iam prope valdè ad DEVM accesserunt: quamquam etiam imperfectis interdum hoc eodem modo contingunt reuelationes, sed nõ absque periculo animarum suarum, nisi se gratos præstent, magno studio in cunctis virtutibus & sui mortificatione profectum faciendo. Cæterùm huius gradus hominibus, quantum ad communem consuetudinem attinet, sublimis illa & supereſſentialis reuelatio manet occulta, quæ sine imaginibus, immò supra formas omnes & similitudines suscipitur, ita vt suprema illorum in spiritu habitatio, sit

celsissima illa caligo omnem considerationem excedens, cuius ante mentionem habui. Clamant igitur cum S. Dauid: *Quoniam tu illuminas lucernam meam* Domine, id est, vires intellectuales spirituali cognitione illustras: *Deus meus, illumina* etiam *tenebras meas*, quo vel in quas tenuatus sum, essentiali vultûs tui contemplatione. Verum hæc illis contemplatio non praestatur, tum quod Dei dona & reuelationes ratione suscipiant, vt tamẽ semper in ipsis donis aut reuelationibus quippiam sibi deesse putent, quod petunt à Deo, tametsi ad salutem animæ & virtutum profectum non sit eis necessarium, tum etiam quod perceptis Dei donis ac reuelationibus non tam cupidè ac spontè careant, quàm ea auidè percipiunt. Quamobrem occulta in eis proprietas delitescit, quæ coram Deo culpæ obnoxia est. Tam enim animo ab eis libero & expedito se seruare deberent, ac si non essent adepti, diuinamque in eis dumtaxat admirari liberalitatem ac benignitatem, & illi laudes gratesque agere, quod vilibus & indignis peccatoribus occulta sua dona largiri dignatur: deinde rursus DEO sese offerre ac resignare, parati nedũ donis & reuelationibus frustrari, sed etiam omnimodam tolerare destitutionem sui & aduersitatem, maximè cum in ipsis donis & reuelationibus vita perfecta propriè sita non sit: sed sint amicabilia Dei munera, quibus liberalissimam suam declarat bonitatem, quibusque complures spiritu infirmos ad perfectam vitã allicit & inuitat. Hinc iam potest animaduerti, quam perfectè omnis in illo extincta & mortua esse debeat proprietas, qua

Psalm. 17.

Dona Dei & reuelationes quid sint.

qui recto ordine ad supremam contemplatiuam vitam pertingere velit.

NOnus Gradus illorum est, qui efficacib⁹ exercitationibus, sursum actiuis ac flagrantiss. desiderijs ob amorem Dei carnem & sanguinem & ossium medullas prope consumpserunt, nec vllas videntur habere vires reliquas, præterquam quas viuidus ac flagrans ac vehemens spiritus subministrare ac exercere possit. Siquidem sanguis eorum diuini amoris ardore concoctus est & exaruit, etiã ipsi non sentiant ob excessiuum feruoris æstum, ipsis perfectè dominantem, atque naturam ipsam vltra naturæ vires agere & perpetifacientem. Isti nimirum sunt charissimi & occulti filij Dei, quibus is suæ gratiæ & donorũ infundit plenitudinem, atque interdum etiam erigit vsque ad contemplandam diuinam essentiam suam. At nihilominus vsqueadeo ipsi mortui sunt, vt in hoc minime requiescant tanquam propter seipsos, vtpote qui omne priuatum commodum & consolationem penitus conculcarunt: solumque gloriantur & gaudent in perfecta crucis CHRISTI imitatione, plusque sitiunt omnimodam derelictionem, contemptum, & afflictionem, quam quasuis consolationes & sui exaltationem. Enimuerò fundamentum & consolationem suam in vera fide nudo amore exornata collocârunt, qua etiam omnem appetunt ferre aduersitatem absque vllo diuinæ consolationis fulcimento vel adminiculo, sicut & Apostolus, postquam Dei essentiã conspexerat, ait:

Galat. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Atque eo homines isti duabus rationibus trahuntur. Prima est, quod Christi humanitatem in omnibus imitari cupiunt, eique se totos conformare, omnem sibi subtrahendo consolationem, atque omnigenam proferendo desolationem corporis & spiritus, dicentes

Psalm. 68. cum Christo: *Improperium & miseriam expectauit cor meum*, id est, desiderium meum. Altera est, quod in tanta se fundârunt humilitate, vt se omni derelictione dignos putent, & absque derelictione infra creaturas omnes cognitione & affectu se abijciant, cupiâtque à cunctis mortalibus contemptu & iniuria omnifariam affici, atque à Deo omnigenæ afflictioni, molestiæ, angustiæ & desolationi tradi: quò Christum in omnibus sectentur ad ipsam etiam ignominiosissimam ac acerbissimam crucis mortem. Dicere qui nôsse hic operæ precium fuerit, quamuis homines isti in sola Christi cruce gloriari didicerint, nunquam tamen audere eos sua negligentia & incuria quouis modo multijugæ Dei visitationes, influxus, actiones, spirituales tractus & illustrationes præpedire, sed offerre seipsos ceu viuidum ac voluntarium instrumentum, quantum possunt & perspiciunt, ad omnimodas Sanctispiritus operationes, quas ille in eis possit efficere, ne sint diuinæ gratiæ ingrati. De talibus Propheta dicit: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cæteris verò temporibus vti iuxta

Psalm. 35. externum hominem semper abiectissima & miserrima quæque (id est, omnis consolationis expertia) amplecti debent, ita secundum homi-

hominem internum supra omnia purum sitient amorem, omni quidem sensibili consolatione destitutum, ac nihilominus cum omniuaria derelictione & cordis pressura coniunctum & onustum: adeo vt nunquam tanta possint perpeti, quin plura pati cupiant ob amorē Dei, indesinenter mente voluentes ineffabilem illam spiritus Christi angustiam & derelictionem, quæ ex illius orantis corpore summa vi sudorem expressit sanguineum: quando nudo certabat amore omnis spiritalis consolationis adminiculo destituto, atque in illo horrendo carnis & spiritus conflictu insignem obtinuit victoriam, vti hoc ipso hominem redimeret, redemptumque institueret ac doceret his ijsdem ingredi vestigijs, vtpote in quo totius perfectionis consistit fundamentum.

PIO LECTORI F. LAVRENTIVS Surius Carthusianus, S.

D. Henricus Suso vir magnæ sanctitatis, & multis clarus miraculis, vitam egit pene à puero paucis imitabilem. Habuit autem filiam quandam spiritalem, nobilem genere, sed pietate nobiliorem, quæ ex illo clam multa erat expiscata de illius vita, eaque in scripta redegit. At vbi id ille resciuit, iussit sibi reddi, eaque partim igni consumpsit, quæ autem reliqua fuêre, sub alieno nomine edidit, suppsius nullam omnino mentionem faciens, sed Ministrum Sapientiæ vbiq; se appellans, vt vanam gloriam declinaret. Itaq; in hac eius vita permulta insunt, quibus nihil possit esse efficacius ad inflammandos hominum quamuis frigidos animos ad amandum Deum. Animales quidam & huic mundo dediti, solent fastidire eiusmodi, sed hoc mouere non debet eos, qui cupiunt, non hominibus, sed Deo placere. Dominus Deus voluit nobis sanctorum suorum exempla suppetere, vt qui dictis parum mouemur, saltem factis aliorum accendamur. Plus enim mouent facta quam dicta. Obsecro te pie Lector, sedulus in hac lectitanda vita verseris: non enim id absq; grandi tuæ salutis lucro feceris.

Vale.

D. HEN-

D. HENRICI SVSONIS VIRI SANCTISSIMI VITA, EIVS PRAECLARE *dicta factaq́, non omnia, sed quædam duntaxat, complectens, lectu vtilissima.*

CAPVT I.



EVIT in Germania quidam professione Dominicanus, natione Sueuus, cuius nomen sit in libro vitæ. Is vt æternæ Sapientiæ Minister & existeret & diceretur, optabat. Contigit autem, vt sanctæ cuiusdam ac diuinitus illustratæ personæ notitiam obtineret, calamitatibus & afflictionibus laborantis. Erat ea sexus fœminei, cupiebatque ex memorato æternæ Sapientiæ Ministro audire quippiam de perpessione ex propria illius experientia, vnde animus suus afflictus confirmaretur: idque multo egit tempore, quoties ille ad eam accessisset: occultisque percunctationibus expiscata est ex eo ratione inchoationis & progressionis illius, nonnullaque eius exercitia & perpessiones: quæ is illi spiritali familiaritate secreto aperiebat. Atqui vbi illa hinc consolationem ac institutionem adipisci se sensit, cũcta redegit in scripta, in suos ac aliorũ vsus: furtim tamen & clanculò, nihil inde illo cõperti habẽte. Postea verò dum spi-

ritale hoc furtum persensit obiurgauit eam, compulitque ipsi reddere quæ scripserat: moxque igni tradidit, quæcunque ab illa recepit. Cumque illi pars altera oblata fuisset, eamque simili ratione penitus abolere vellet, diuina reuelatione prohibitus est: atque hoc pacto quæ reliqua erant, non sunt flammis consumpta, quæ nimirum magna ex parte suis ipsa manibus scripserat: quibus tamen post eius obitum complures piæ institutiones eius nomine ab æternæ sapientiæ Ministro adiunctæ sunt. Prima quidem Ministri huius ad Deum conuersio vel conuersionis initia tum cœperunt, cum annum ageret decimumoctauum. Et quamuis annis quinque iam habitum tulisset monasticum, adhuc tamen animo erat impacato ac infesto. Etsi quidem à grauioribus diuinitus esset seruatus culpis ac peccatis, quæ illius famam possent lædere, communes ac minores culpas non magnipendebat. Interim nihilominus ita seruabatur à Deo, vt quocunque se vertisset ad res sensibus ipsius plausibiles ac optatas, nó esset animo quietus & contentus: videreturque ipsi aliud quippiam supereſſe, quod viuido ipsius animo tranquillitatem & pacem esset allaturum. Male itaque ipsi erat, dum hac laboraret inquietudine & perturbatione: Semper intus conscientiæ stimulis pungebatur, nec tamé poterat ipse sibi ferre suppetias, donec pijssimus Deus quadam conuersione eum liberauit: Mirabantur cæteri subitam illius immutationé, & quidnam illi accidisset: dicebantque alius hoc, alius aliud: nec tamen quisquam rem ipsam attigit. Siquidem occultus quidam atque lucu-

Suso vt ætatis suæ anno decimooctauo fuerit cõuersus ad Dominum.

luculentus Dei tractus, hanc illius ab omnibus auersionem & ad Deum conuersionem subito effecerat.

De quibusdam noui Tyronis Christi certaminibus.

CAPVT II.

CVmque hæc illi gratia diuinitus obtigisset, mox quædam in illo certamina extiterunt, quibus malus dæmon salutem eius impedire nitebatur: eaq; hunc in modum sese habebant: Internus DEI impulsus ac instinctus, expeditam ab omnibus impedimentis & medijs auersionem ab illo exigebat. Contra obluctabatur tentatio, eiusmodi illi cogitationem inijciens: Maturius delibera. Facile est inchoare, sed difficile perficere. Atqui interna Dei vocatio Sanctiſpiritus potentiam & opera proferebat. Ediuerso tentatio nihil quidem de Dei potentia ambigendum affirmabat, sed vtrum vellet, incertum esse. Tum vero certo id illi demonstrabatur: quandoquidem piissimus Deus benignis pollicitationibus suis id confirmârit, reuera opem se laturum cunctis in eius nomine istuc aggredientibus. Deinde gratia in hoc conflictu palmam obtinente, alia quædam tanquam amici specie cogitatio in illius animum sese insinuans, hoc pacto illi consulebat: Potest id fortassis commendari, meritoq; corrigere te debebis: sed non admodum vrgeas: ea moderatione inchoes, vt possis ad exitum perducere. Cibum ac potum corpori indul-

Certamina quæ Sutonem conuersionis suæ initio iactârint.

Callidi hostis alia suggestio.

indulgeas, tibique benigne facias, atque interim peccatum vites. Quantum voles, sis intra teipsum bonus, ea tamen mediocritate, vt ne quis extrinsecus horrorem ex te capiat, vt est hominum consuetudo dicere. Modo corpium sit, salua sunt omnia. Poteris cum hominibus iucundos ducere dies ac nihilo secius in virtutis officio permanere. Etiam alij se sperant saluos fore, tametsi & eiusmodi exercitationibus deditam non agant vitam. His atque id genus alijs pulsabatur cogitationibus: sed æterna sapientia fallaciosum hoc consilium hac ratione euertebat. Qui anguillam piscem lubricum cauda retinere, & vitam sanctam tepidè molitur aggredi, is vtrobique fallitur, dum enim siue hanc, siue illam tenere se putat, è manibus elabitur. Ita etiam qui corpus indomitum ac inexercitatum delicate ac molliter viuendo vult in seruitutem redigere, non satis est mentis compos, & qui mundo vult perfrui, ac nihilominus Deo perfectè seruire, rem impossibilem molitur, & scripta diuina Christique institutiones corrumpit ac deprauat. Itaque si vis omnibus valefacere, agas id animo virili. Hac in cogitatione cum diu satis versatus esset, tandem sumpta audacia & fiducia, fortiter ab omnibus sese abstraxit. Interea viuax eius animus crebras (vt ita dicam) mortes initio perpessus est, cùm se à vana societate abiungeret. Nonnunquam victus naturæ infirmitate, accessit eos animi leuandi gratia, sed vt plurimum accidit, vt qui lætus eos adiêrat, tristis abscederet, eo quod sermones & recreationes illorum iniucunda forent, & sua illis inuisa. Euenit

Simile.

Matth 6.

Aliorum vsus societate Suso quid plerumque sit consequutus.

sæpius-

sæpiusculè, vt vbi illis sese coniunxisset, huiusmodi eum verbis exercitarent. Alius percontabatur, ecquod singulare vitæ genus ac institutum arripuisset: Alius communem viuendi rationem tutiorem affirmabat: Alius denique in malos exitus eum vitæ modum definere aiebat. Ita alij post alios eum excipiebant. At ille planè obmutescens, secum loquebatur: O Deus pijssime, nihil consultius, quam hominum consortia fugere. Equidem si hosce sermones non percepissem, nihil inde ad me damni rediret. Erat tum temporis hæc illi crux molestissima, quod neminem haberet, cui afflictiones suas posset aperire, qui idem quod ipse & eadem ratione sectaretur. Viuebat igitur desolatus ac miser, multaque vi sese ab alijs subduxit, quod illi postmodum vsus effecit suauissimum.

Crux quæ, quando Suſoni moleſtiſſima.

De tractu quodam supernaturali, A Eternæ Sapientiæ Ministro præstito.

CAPVT III.

ACcidit in conuersionis eius initio, vt feriis D. Agnetis virginis & martyris facto prandio in Chorum ingressus, solus illic maneret, stans in infimis dextri Chori sedib. Erat tum graui quodam angore correptus exacerba, qua laborabat, cruce & afflictione. Cũ autem sic staret omni consolatione destitutus, nec quisquam illic adesset, rapta est anima illius siue in corpore, siue extra corpus: vidit que & audiuit, quod nec omnes possint linguæ eloqui.

Vt exceſſum mẽtis paſſus mira fuerit conſolatione repletus. 2. Cor. 12.

eloqui. Erat id formæ ac modi expers, & tamen formarum ac modorum omnium iucunditates in se continebat oblectationes. Cor illius & accendebat desiderio, & tamen exatiabatur: anima plane iucundus & amœnus erat: optio & appetitio in ipso consopitæ erant. Tantummodo aciem mentis intendebat in lucidum ac illustrem illum fulgorem, vbi & suijpsius & rerum omnium capiebatur obliuione. Vtrum dies an nox esset, ignorabat. Fuit id reuera vitæ æternæ erumpens quædam dulcedo secundum præsentem tranquillam & quietam perceptionem siue experimentum. Dicebat postea: Si non id regnum cælorum, equidem quid sit regnum cælorum, nescio. Quicquid enim potest afflictionis in hac vita quisquam perpeti, non potest ex æquo mereri illud gaudium æternum inuendum. Tractus iste ecstaticus horam vnam aut dimidiam durauit, nesciente illo, vtrum anima in corpore an extra corpus degeret. Porrò sibijpsi redditus perinde affectus erat, vt solent qui ex alio orbe commigrârint: adeoque corpus momentaneo illo raptu ægrè habebat, vt non putaret quemquam in ipso mortis aditu tantillo spatio tantos posse dolores experiri. Simul autem vt sibi restitutus fuit, ex imo pectore alta trahebat suspiria: corpusq; ipso licet inuito humi collabebatur, haud secus quam illorum, qui præ virium imbecillitate deficiunt. Dabat ergo voces miserabiles, & profundos edebat intra sese gemitus, ita dicens: O Deus meus vbi eram, & vbi nunc sum? O præcipuum & summum bonum meum, nulla vnquam poterit obliuio horam istam auferre ex pectore meo.

Rom. 8.

Vt sibi redditus sese gesserit.

meo. Corpore quidē ingrediebatur, nec quisquam tamen quicquam in illo forinsecus vel vidit, vel animaduertit. Atqui anima illius & mens cælestibus spectaculis plena erat, fulgoresq; illi cælici in intimis mentis eius penetralibus vltrò citroque ferebantur, videbaturqúe sibi, velut in aëre volitare. Denique vires animæ illius suaui illo ac cælesti gustu completæ erant, perinde vt vas vnguentarium, precioso liquore inde effuso, odorem gratissimum retinet. Idemqúe gustus multo deinceps tempore in eo perseuerans, cælestem erga Deum sitim & desiderium illi præstitit.

Vt spiritale cum æterna Sapientia connubium contraxerit.

CAPVT IV.

RAtio autem vitæ illius, qua longo postmodum tempore erga interna exercitia vtebatur, perpetuum erat studium continua perfruendi præsentia æternæ Sapientiæ, cum amicabili illius confabulatione coniuncta. Quod quo pacto primum cœperit, potest ex libris eius de æterna Sapientia Germanicè ab eo, Deo adiuuante, conscriptis animaduerti. Erat ab ineūte ętate cor illius amori deditissimum. Ipsa autem æterna Sapientia in scriptis diuinis haud secus sese exhibet, quam quæ admodum amore capta sit, pulchreq; sese componit & exornat, vt cunctis placeat: gratisq; vtitur eloquijs, & amicabili specie, vt animos omnium in sui amorem illiciat: interimq; commemorat

memorat fallaciam & inconstantiam aliarum amicarum, suamque e diuerso constantiam & amabilitatem. His nimirum animus illius iuuenilis alliciebatur, perinde vt panthera dicitur suauem spirans odorem, feras alias ad se adducere. Vtitur autem eadem Sapientia hanc illiciendi & ad spiritalem sui amorem blande ac suauiter inuitandi ratione crebro admodum, præcipuè in libris Salomonis, & Sapientiæ & Ecclesiastici voluminibus. Hosce libros cum ad mensam legi contingeret, perciperetque voces amatorias & blandas Sapientiæ, animo hilaratus, cœpit illi inhiare, eiusq; magno affectu desiderio, atque ita secum cogitabat: Equidem fortunam tentabo meam, si fortassis excellentis huius amicæ, de qua tam magnifica referuntur, merear amore perfrui, atque eius amicitia potiri. Neq; enim poterit cor meum viuidum ac iuuenile non esse amori alicuius addictum & deditum. Sub his sæpius illam obseruabat, atque eius animo crebrò ea illabebatur, satisque illi arridebat. Cumq; vice quadam ad mensam sederet, audiuit hæc de ea verba citari: *Sapientia speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior. Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea & quæsiui eam mihi in sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores. Habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, neque tædium conuictus illius,

Sap. 7. & 8.

illius, sed lętitiam & gaudium. Dominus Sapientia fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi & nubes rore concrescunt. Qui eam adeptus est, ambulauit fiducialiter in via sua, & pes eius non impinget. Si dormiêrit, non timebit: quiescet, & suauis erit somnus eius. His atque id genus alijs mellitis perceptis sermonibus, flagranti animo has secum cogitationes versabat: O verè præclaram egregiamque amicam O si eamihi possit obtingere, nimirum felicissimus ero. At ediuerso contrarijs deterrebatur cogitationum aculeis, nempe eiusmodi: Quo pacto amare poteris, quod nunquam videris, quod nunquam habueris cognitum? Melior est pugillus cum certa possessione, quam plena domus cum incerta expectatione. Qui sublime molitur ædificium, & amicitiam ambit hominis præcellentis, cui ipse longè impar sit, haud raro spe frustratus sua, famelicus abscedit. Non esset sanè huius Dominæ detrectanda amicitia, siquidem sui amatoribus potestatem faceret corporis accurandi. At nunc ipsa dicit: *Qui amat vinum & pinguia, non erit sapiens.* Itemque: *Vsquequo piger dormies? vsquequò de somno consurges? Parum dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres vt quiescas, & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.* Agè, vide si quis vnquam alius tam duras præscribat leges suî amatoribus? His diuina quædam sese obiecit cogitatio: Amoris ea antiquitus lex & conditio est, vt amantes patiantur aduersa & molesta, Non est Procus vllus absque cruce, & quisquis

Prou. 21.
Prou. 6.

Amorē martyrium seu pœnam esse.

quis amori dat operam, idem ipse martyr est. Quanto igitur æquius est, tam sublimem & insignem sibi sponsam & amicam captare meditantem, quædam interim aduersa perpeti? Adspice quot casus acerbos, quot tædia, quot labores, velint nolint, tolerare oporteat mundi amicos. His atq; consimilibus internis inspirationibus animo ad perseuerandum confirmabatur: sæpiusq; eiusmodi illi eueniebant. Interdum bona erat voluntate præditus: quandoque verò animum rerum labentium amori nonnihil applicabat: sed cum huc atque illuc sese verteret, semper eiusmodi aliquid offendit, cui integra cordis sui conuersio reclamaret. Atque hac ratione modo in hanc, modo in illam partem inflectebatur. Quadam die ad mensam sedens, audiuit de Sapientia legi quippiam, vnde vehementissime accendebatur. Id tale erat: Ego quasi terebynthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ: Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus. Qui me inuenerit, inueniet pacem, & hauriet salutem à Domino. Contra verò de turpi fœminarum amore ista commemorabatur: Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula, manus illius. Qui placet DEO, effugiet: qui autem peccator est, capietur ab illa. Ad hæc intra sese exclamans, aiebat: Plane veritissima sunt hæc. Iam omnino certum atque statutum est mihi, Sapientiam Sponsæ loco assumere, eiusq; amori & seruitio me mancipare. Atqui vtinam, ait, vel semel illius videndi & alloquendi

Eccl 24.

Eccl. 7.

quendi copia præberetur. Quæ aut qualis est, quæ tam mira de se prædicat, tot ac tanta pollicetur? Estne Deus aut homo, vir an fœmina, scientia vel astutia, aut quid tandem est? Dum his flagraret desiderijs, quantum quidem ex memoratis, alijsque scripturæ sententijs, quibus ea exprimitur, eam potuit agnoscere, tali schemate visendam se illi præbuit: Longè supra ipsum ferebatur in columna nubis, residēs in throno eburneo, micans instar Luciferi & tanquam Sol lucēs in virtute sua. Corona eius erat æternitas, amictus felicitas, sermo suauitas: Complexus, omnis boni sacietas. Prope erat, & longe aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cæli fastigijs erat altior, & abyssо profundior: attingebat à fine vsque ad finem fortiter, & disponebat omnia suauiter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi iuuenis præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu artium omnium peritissimam se præbebat amicam, cunctis amabilem. Itaque duicissime ad eum se conuertens, & comiter non tamen sine quadam diuina maiestate illi arridens, benigne his eum verbis affata est: Præbe fili cor tuum mihi. Tũ vero vestigijs illius aduolutus, medullitus ac humilime gratias illi egit. Fuit hoc illi id temporis præstitum, nec plus ea vice consequi potuit. Postea verò cum more suo de hac amabilissima Sapientia cogitabundus incederet, cor eius amoris studiosissimum hãc intra sese quæstionem agitabat: Vndenam amor & amabilitas omnis profluxit? Vnde pulchritudo, decor,

visionis cuiusdam descriptio.

Apoc. 1.

Sapient. 8.

Prou. 23.

oblectatio, venustas omnis proficiscitur? Cui-
ctane hæc ex ipsius diuinitatis fœcunda origi-
ne promanant? Agè igitur corde, sensibus & a-
nimo te inexhaustam omnium desiderabilis
abyssum ardentis cordis mei affectu comple-
ctor: neque enim quisquam me prohibet. Inte-
rim nonnunquam animæ illius sese commu-
nicabat ipse propemodum totius boni fons &
profluuiũ, in quo simul reperit quicquid pul-
chrum, amabile, vel desiderabile esset: siquidē
id illic modo ineffabili existebat. Hinc quan-
dam contraxit consuetudinem, vt quoties can-
tiones amatorias dici vel cantari audisset, cor-
de & animo ad suauissimam amicam suam, ex
qua quicquid est amabile, procedit, abstracta
quodam intuitu sese confestim intro recipe-
ret, siue introrsus raperetur. Neque sanè dici
possit, quoties gratissimam illam amicam la-
chrymantibus oculis & in immensum expan-
so cordis sinu circumplexus sit, & suo pectori
suauiter astrinxerit: Erat tum sæpenumero il-
li perinde vt solet infanti ad matris, ipsum sua
vlnis complectentis, vbera pendenti, atque in
eius gremio delitescenti. Vt enim eiusmodi
puerulus capite & totius corporis motu ad pa-
rentis suæ pectus sese applicat, & amicabilibus
ac blandis id genus gestibus cordis sui lętitiam
declarat: ita cor illius cum sensibili quadam
inundatione erga iucundissimam æternæ Sa-
pientiæ præsentiam ferebatur cogitabatque. Si
mihi desponsa foret Domine Iesu regina po-
tens, esset id mihi gaudio. Nunc igitur æterna
Sapientia tu mei cordis Imperatrix, & totius
gratiæ parens es. In te diuitiarum, honoris,

potentiæ affatim mihi suppeditat. Nihil præterea appeto quicquid hic mundus habet. Sub his meditationibus vultu exhilaratus oculis micantibus, corde in iubilum sublato, & cunctis internis sensibus exultantibus, in hęc verba prorupit: Super salutem & speciem dilexi Sapientiam, & proposui pro luce habere illam, & venerũt mihi omnia bona pariter cum illa. Sap. 7.

Vt salutiferum nomen Domini Iesu cordi suo inscripserit.

CAPVT V.

PEr idem tempus immensus quidam ignis animo illius infusus: cor eius diuino amore vehemẽtissime inflammauit. Quodam die illius æstum sentiens, Christiq; charitate impendio flagrans, ingressus in cubiculum suum, in secretum locum se recepit, & dulcissimæ se meditationi tradidit, aitque ad Dominum: Vtinam Deus pijssime aliquod amoris signum comminisci queam, quod sit perpetuum inter te & me dilectionis monimentum, testatumque efficiat me tui & te mei esse amantissimum, nec id vlla possit vnquam obliuione deleri. Sub hoc ardentissimo feruore, remoto à pectore scapulari, vt vocant, detectoque pectore, stylum arripiens, corque suum contemplãs, ait: Omnipotens DEVS, præsta mihi hodie vires & facultatem meum explendi desideriũ: Siquidem in ipsa cordis mei viscera iam te liquari oportet. His dictis, cœpit in ipso cordis loco carnem stylo compungere, & sursum ac

deorsum stylum ducere, donec nomen Iesus in ea carne qua cor tegitur, exarâsset. Interim sanguis per corpus in sinum defluebat: quod ille summa cum animi voluptate adspectans præ amoris nimietate dolorem non magni pendebat. Hoc peracto, ita cruentus extra cubiculum ad pulpitum templi abscessit, procumbensque in genua coram imagine crucifixi. Eia inquit, Domine amor vnice cordis & animæ meæ, adspice ingens animi mei desiderium. Equidem non possum te penit⁹ mihi imprimere. Tu igitur obnixe rogatus, perfice Domine quod superest, teque mei cordis fundo profundius imprimas, sanctumque nomen tuum adeo in me consignes & insculpas, vt nunquam possis aboleri & separari à corde meo. Deinde multo tempore his amoris affectus vulneribus, tandem curatus est, mansitque nomen Iesus sic vt optarat, in corde expressum. Literæ autem ipsæ culmum planum latæ, & auricularis digiti articulum vnum longæ erant. Ad mortem vsque tulit hoc nomen in suo pectore. Quoties cor motum fuisset, vna etiam nomen ipsum commouebatur: fuitque maximè circa initia cumprimis luculentum. Erat autem ipse huius rei celantissimus, nec cuiquam vnquam, nisi vni duntaxat è socijs suis ex quadam intima & spiritali familiaritate secreto visendum ipsum præbuit. Si quid postmodum aduersi illi accidisset, hoc amoris signum contuebatur, & leuius ferebat. Dicere quandoque solebat Domino in familiari colloquio. Amatores seculi huius amicæ suæ effigiem ad vestes suas assuti. Et ego Domine longe amantissime in corde

sangui-

sanguine meo te descripsi. Quodam tempore post preces matutinas ab oratione sua reuersus, in cubiculo residebat in sede sua, capitique ferulicalis loco supposuit librum, qui VITAS Patrum inscribitur. Passus est autem mentis excessum, videbaturq; ipsi quippiam luminis ex eius corde emergere, respicienſque vidit in suo corde crucem auream multis gemmis intertextam, in quibus miro decore nomen IESV luculenter apparebat. Mox cucullo cor suũ operiens, splendorem illum mirificum premere nitebatur, ne quis eum conspiceret. Tum verò feruentes illi radij mirum in modum flagrabant, adeo vt nulla ratione efficaciſſimam illorum vim & splendorem celare posset.

De quibusdam diuinæ consolationis præludijs, quibus Christi Tyrones illiciuntur.

CAPVT VI.

CVm more solito post preces matutinas ad Sacellum suum veniſſet, aliquantæ quietis captandæ causa in sede sua se reposuit. Fuit illa breuis quies, donec vigiles diei ortum significarent, ad quorum voces simul etiam ipse expergiſcens repente humi corruẽs, exorientem luciferum, ipsam videlicet præclariſſimam cæli reginam salutabat, ea videlicet mente, vt sicut æstate auicolæ diem illucentem hilariter excipiunt, ipse quoque iucundo affectu æterni Solis genitricem vene-

raretur: dicebatque tum salutationem quandã non simpliciter, sed cum dulci quadam, & tacita animi modulatione. Accidit vt tum temporis ita vt dictum est, quieti se traderet, audiretque in anima sua mirificum resonare clangorem, vnde toto corde concuteretur. Erat illius clangoris sonus acutus admodum, atque ea hora illum persensit, cum Lucifer oriri solet. Hæc autem verba personabat: STELLA MARIA MARIS HODIE PROCESSIT AD ORTVM. Cantio isthęc supra naturam illo percrebuit, ita vt totus animo exhilararetur, vnaque ipse cantaret? Cumq; cantum hunc pariter absoluissent, ineffabili quodam modo circumplexus est, audiuitque vocem eiusmodi: Quanto me amabilius amplexaris, & purius sine materiæ admixtione oscularis, tanto interna claritudine mea iucundius & amicabilius circumplecteris. Quibus dictis, aperiebantur oculi eius & largiter stillabant lachrymas: atque ipse pro sua consuetudine Stellam matutinam salutabat. Mox alteram subiungebat salutationem matutinam, simul exosculans solum, in honorem æternæ Sapientiæ, cum oratione illa multo pijssima, quam ipsemet scribere solebat in libellis pietati seruientibus, cuius hoc est initium. Anima mea desiderauit, &c. Quibus etiam annectebat salutationem cum humida osculatione coniunctam, in honorem summi & flagrantissimi Seraphici Spiritus, erga æternam Sapientiam ardentissimo amoris æstu excandescentis, vti idem spiritus cor ipsius Dei amore vehementissime accenderet, quò & intra sese totus flagraret, & alios omnes ignitos alo-

eloquijs suis, ac institutionibus inflammaret. Hæ nimirum quotidianæ illius salutationes erant mane expergiscentis. Quodam tempore in ipsis bacchanalibus preces suas eousq; produxerat, dum vigiles diem illucescentem dato signo indicarent. Itaque sic secum cogitabat: Quiesce paulisper, antequam præclaram excipias stellam matutinam. Cumque interea sensus illius pauxilla requie potirentur, spiritus Isa.60. angelici alta voce dulcissimum illud Responsorium, vt vocant, Surge illuminare Ierusalē, psallere cœperunt, cantusq; ille ineffabili suauitate in anima eius resonabat. Atq; cum pauxillum cecinissent, anima eius cęlesti illa melodia adeo complebatur, vt fragilè corpus amplius ferre non posset, atque ita aperiebantur oculi eius, & corde redundante, per genas calidi lachrymarum imbres manabant. Eodem tempore sedens aliquando quietis capiendæ causa ita vt dictum est, in visione sibi in exterā regionem transferri videbatur, & ecce angelū suum à dextris sibi placido ac sereno vultu assistere conspexit. Subito exiliens, dulcissimum illum angelicum spiritum cōcludens circumplectebatur, animæque suæ qua potuit arctissimè & amicissimè astringebat, ita vt nullum inter ipsos medium intercedere putaret, voceque lugubri & humescentibus oculis pleno cordis affectu ait ad angelū: O suauissime spiritus, qui mihi diuinitus es assignat⁹ custos & cōsolator, obsecro te per amorem illum, quo ferues erga Deum, ne me deseras. Respondit ei angelus: Non es ausus fidere DEO? Crede mihi, tanta te benignitate & charitate ex omni ęternitate cō-

plexus est Deus, vt te non velit vnquam relinquere. Alia vice, posteaquam ab afflictionibus illi data erat requies, summo mane cum cælicis spiritibus in visione familiariter degens, ab vno ex illis splendidis cælestis patriæ principibus petijt indicari sibi, qua ratione Deus secreto in sua anima commoraretur. Et ait ad eum angelus: Age iam hilariter in te ipsum respice, & vide vt Deus cum amante anima sua suum exerceat ludum. Nec mora, introrsus respiciens, vidit corpus suum eo loco, vbi est cordis sedes, velut crystallum perspicuum fieri, atque in ipso cordis sui meditullio æterni Sapiētiam amicabili schemate quietissime residere, & iuxta eam assidere animam suam cælesti benedictione fretam, atque eius lateri suauiter innixam, illiusque strictam amplexibus & diuino cordi appressam, inibique in ecstasi & absorptione quadam inter amantissimi Saluatoris vlnas delitescentem & obdormientem.

De quibusdam cælestibus consolationibus illi præstitis.

CAPVT VII.

COnfecerat ipse sibi ligamina quædam, dura & aspera. Contigit autem, vt quadã nocte ipsis ferijs omnium angelorum, videretur sibi in visione cantiones angelicas, & cælestes tinnulasque audire melodias: quibus adeò fuit recreatus, vt omnium afflictionum suarum obliuisceretur. Ait autem vnus ex an-

ex angelis ad eum : Quemadmodum te delectat audire ex nobis cantica æternitatis, ita nos iuuat ex te percipere cantiones æternæ ac præstantissimæ Sapientiæ: moxque subiunxit: Hoc nimirum canticum electi omnes in extremo deprom̃ent die, vbi se viderint in perennis felicitatis fruitione confirmatos. Deinde in eadem Solennitate multis horis in eiusmodi cælestium & angelicorum contemplatione gaudiorum versatus est: atqui die iam aduentante, iuuenis quidam ipsum adijt, figura ac habitu cælestis musici cuiusdam à Deo ad ipsum missi: vnaque illum comitabantur complures egregij præclarique adolescentes eodem cultu ac schemate, præterquam quod primus ille quandam præ alijs dignitatem tanquam archangelus præ se ferret. Idem autem ipse magno & excelso animo se ad æternæ Sapientiæ Ministrum contulit, dicens ea se causa diuinitus ad ipsum delegatos, vt afflictiones eius cælestibus gaudijs releuarent ac discuterent. Quãobrem, inquit idem Spiritus, misso cordis dolore, nobis socium te adiungas oportet, nobiscumque cælestes ducas choreas. Simul autem per manus eum trahentes sibi iunxerunt. Mox iuuenis antedictus dulcissimam de puerulo IESV cantilenam exorsus est, istam videlicet, In dulci iubilo, &c. Vt autem Sapientiæ Minister nomen IESV tam suauiter & alacriter cõcini percepit, sensibus ac animo ita est recreatus, vt sibi nihil vnquam perpessus videretur, dispulsa mox omni molestia. Interim magna animi voluptate cernebat illos beatos spiritus altissimos & elegantissimos dare saltus. Præcentor

centor ille nouerat cuncta optimè moderari, cuius præcinentis dulces modulos cæteri prosequebantur, canentes ac saltantes cum cordis iubilo. Præcentor autem clausulam illã. Ergò meritò, ter repetebat. Non erant autem chorez istæ, quales sunt huius vitæ : sed erant cælestes quidam effluxus & refluxus in vastissimam diuinitatis abyssum. Huius generis innumeri illi cæleſtes consolationes aliquot annis præstabantur, idque tum potissimum, cum duris premeretur afflictionibus, tanto mitius ferebat. Quidam amicus Dei in visione perspexit hunc ipsum Sapientiæ Ministrum, cum accessisset ad altare Missæ sacrificium facturus, clarissima charitatis ornamento illustrari, Deique gratiam roris instar in illius animam delabi, atque vnum illum fieri cum Deo : simul autem perplures à tergo illi astare paruulos forma venusta & amabili, cereos ardentes manibus gestãtes circa altare alios post alios, eosque singulos expansis brachiolis, quam possent dulcissimè illum complecti, & suo pectori applicare. Itaque præ admiratione scisciabatur quinam essent, aut quid sibi vellent. Responderunt se illius esse consodales & socios, ac participes laudis & exultationis in æterna beatitudine, perpetuoque se illi adesse, ipsumque tueri. Sanctus ille homo, qui hæc in spiritu vidit, ait ad angelos : Quid sibi vult, quod fratrem hunc tam suauiter estis amplexi? Dixerunt illi : Frater iste nobis longe charissimus est, & multa nobis cum illo intercedit consuetudo, & familiaritas : noueris que Dominum Deum mira ac ineffabilia in eius anima operari : & quicquid

à Deo

à Deo seriò petierit, nunquam repulsam apud DEVM patietur.

De quibusdam visionibus.

CAPVT VIII.

MVltæ illis tẽporibus visiones ei occurrebant de futuris & arcanis rebus, præstititque illi Deus quoad fieri poterat, certam notitiam & experimentum eorum quę in cælis & apud inferos, & in purgatorio gerebantur. Solebant tum crebro illi plures apparere animæ, cum ex hac vita migrâssent, eique quid ipsis euenisset indicare, puta quibus demeritis pœnam sibi conflâssent, & vt posset ipsis succurri, aut quod à Deo præmium essent consecutæ. Inter alios apparuit illi felicis memoriæ Dominus Eckardus, & sanctus frater Ioannes Fucrerius Argentinensis. Ex his dominus Eckardus significauit illi, ineffabili se gloria inundatum, & penitus in Deum transformatum esse. Mouit autem illi Minister Sapientiæ quæstiones duas. Prima erat, vt in Deo haberent, siue in Deo cõstituti essent illi, qui summæ veritati cum vera resignatione absq; vllius erroris vel fraudis admixtione cuperent esse satis. Ad quod respõsum est illi, neminem posse verbis exprimere hominis in modi nesciam abyssum absorptionem vel immersionem. Altera fuit eò pertingere volenti quænam sit vtilissima exercitatio. Respõdit D. Eckardꝰ: Ea videlicet, vt à seipso secundum suam proprietatẽ cum profunda sui resignatione deficiat, cũctaque

Animæ defũctorum quorundam vt Susoni apparuerint.

Eckardi gloria quanta.

Exercitatio ad ipsissimã cum Deo vnionem vtilissima, quæ.

que non ex creaturis, sed ex Deo accipiat, & tranquilla quadam vtatur patiẽtia erga quoslibet lupinos homines. Alter verò frater Ioannes itidem præcipuam illi ea in visione pulchritudinem & ornatum animæ suæ ostendit, cui similiter quæstionem proposuit eiuscemodi, Quodnam sit inter omnia vtilissimum exercitium, & quod maximè doleat homini: Ait ille, nihil homini plus doloris & commodi adferre, quam si derelictus à Deo, seipsum patienter exeat, atque ita Deo propter Deũ careat. Pater quoque naturalis huius Sapientiæ Ministri, qui dum viueret, totus erat mundo deditus, post obitum eidem apparens, miserabili specie dirum illi significauit Purgatorij quem ferebat cruciatum, & quare id potissimum esset commeritus, expressitque illi modum, quo opem ipsi ferret: quod cum feciſſet, iterum illi se ostendens, ait se à pœnis absolutum. Præterea sanctæ memoriæ mater eius, in cuius superstitis corde & corpore mira DEVS gesserit, itidem illius conspectui se obtulit in visione quadam, maxima quæ esset à DEO consecuta, præmia illi exponens. Hoc pacto innumeras vidit animas: quæ res illi quandam attulit voluptatem, atque in eo vitæ cursu, quem tum tenebat, multo tempore haud mediocriter eum sustentabat.

Exercitium omnium vtilissimũ quid.

Vti ad mensam accessurus, itemque assidens, se gesserit.

CAPVT IX.

ANtequam ad mensam se cõferat, coram æterna Sapiẽtia cum intima cordis meditatione genua flectens, obnixè eam precabatur, sociam se ipsi præberet, secumque ederet, aitq; illi: Suauissime IESV, magno cordis desiderio te nunc inuito, obsecrans vt sicut me benigne pascis, etiam hodie te mihi præsentẽ exhibeas. In mensa residens, dulcissimum mũdæ animæ hospitem ceu obiectum quoddam è regione sibi opposuit, & in eum oculos suos blande ac placide intendit: nonnunquam ad latus cordis illius sese reclinabat. Ad singula quęque fercula ipsi proposita, scutellam cælesti illi patrifamilias offerens, rogabat illi benediceret, sæpius hac prece familiariter vtens: Amantissime Domine, quæso mecum edas: mi Domine Iesu, benedic obsecro cibum hunc, & vna cum seruulo tuo inde accipe. Huiusmodi amicabili blanditu, & id genus verbis erga æternam Sapientiam vtebatur. Bibiturus, primum illi poculum porrigens, orabat vt biberet. Erat hæc ei consuetudo, vt in mensa quinque hausus caperet, eosque ex charissimi Domini sui totidem vulneribus. Sed quia ex diuino eius latere sanguis & aqua manauit, hunc hausum geminabat. Primum atque vltimum morsellum sumebat in amore flagrantissimi cordis, quod in terris esse posset, & in ardentissima charitate supremi Seraphim, vti geminus hic

Suſonis bibendi cõsuetudo qua.

hic amor suo cordi perfectè communicaretur. Si quis cibus iniucundus ipsi oblatus fuisset, incruentum cor dilecti sui illum intingebat, nihil hæsitans quin illi nihil esset incommodi allaturus. Delectabatur admodum pomis, sed non sinebat Deus vt illis frueretur. In visione quadam putabat sibi pomum porrigi à quodā cum his verbis: Accipe & fruere: id est enim, in quo tu voluptatem aucuparis. Respondit ille, se non nisi in æterna Sapientia delectari. Contra ille eum mendacij arguit, dicens immoderatius eum oblectari pomis. Quamobrē pudore suffusus, toto biennio poma nec attigit quidem. Quibus non sine desiderio euolutis cùm sequēti anno poma malè creuissent, ita vt fratribus non apponerentur, atque ipse quamuis non sine acri ac multiplici concertatione id à seipso extorqueret, ne quid priuatim in mensa de pomis expeteret, rogauit Deum, si quidem ipsi placeret vt pomis vesceretur, vt cunctis fratribus subministrari faceret: quod etiam ita euenit. Mane facto, homo quidam ignotus multos illi cœnobio nummos recentes attulit, ea sola conditione, vt poma illis mercarentur. Fecerunt id fratres, & longo temporis spatio poma illa eis ad vsum satis fuêre: Tū demum cœpit frater iste pomis grato vesci animo. Maiora poma in quatuor secabat frusta: ex ijs tria comedebat in sacrosanctæ TRINITATIS nomine: quartum in eo amore, quo cælica mater & virgo tenerrimo suo filiolo Iesu pomum præbuit edendum: idemque frustū non circumcisum manducabat, quod pueruli eo pacto soliti sint poma edere. Atqui à natiui-

Vt à pomis abstinuerit.

tate

tate Domini & aliquamdiu postea quartum hoc frustum capere nolebat, offerens illud in sua meditatione virgini intemeratæ, vti ea suo id præberet filiolo, cuius amore interim ipse eo carere vellet. Si quandoque in cibum aut potū fuisset auidior, coram sponsa sua reuerenda erubescebat. Si verò quicquam ex his in mensa fuisset prętergressus, ipse sibi mulctam irrogabat. Venit quandoque ad eum peregrinus quidam, dicens in quadam visione diuinitus iussum se esse, vt si quidem ordinatum vellet habere prandendi modum, ad ipsum accederet, & eius exercitia ac instituta sibi aperiri mandaret.

Vt annum nouum exceperit.

CAPVT X.

IN Sueuia, vbi ipse oriundus erat, quibusdā locis ipsis Calendis Ianuarij solent adolescentes stolidi noctibus vagari, & ambire à fœminis quas amant, sertum quoddam, id est, cantilenas depromunt, & dulcia edunt carmina ac modulos quosdam, aguntque quanta maximè possunt arte & industria, vt amicæ suæ quandam ipsis coronam præstent. Quod nimirum cum ipse audisset, iuuenili animo eius erat gratissimum, atque eadem nocte etiam ipse suam accedens amicam, petijt ab illa sertum sibi donari. Enimuerò ante Solis ortum imaginem adijt virginis matris, tenerrimum filiolum suum ad pectus blande stringentis, & inibi flexis genibus tacita dulcique cordis modula-

modulatione cœpit decantare Sequentiam de eadem Virgine, orans ipsi copiam faceret à suo filio coronam impetrandi, & sicubi ipse minus posset, ipsa suppleret. Fuit id ei frequenter adeò serium, tantaque etiam plorandi necessitas eum incessit, vt feruentes per ora lachrymæ decurrerent. Cantatione ea absoluta, verebatur se ad vnice dilectam Sapientiam, eiusque pedibus se aduoluens ex profunda cordis abyssoli salutabat, multaque laude efferebat eius pulchritudinem, generositatem, virtutes, teneritudinem, libertatem cum æterna dignitate conjunctam', longe supra quaslibet quantumuis formosas mundi huius puellas in ipsa existentes. Id verò agebat cantu, verbis, cogitationib', desiderijs, vt melius poterat: simulque optabat, vt omnium amantium cordium spirituali quodam modo ipse velut prænuncius, cunctorumq; ex amore prodeuntium cogitationum, verborum & sensuum, tanquam sinus quidem esset & congeries, vti vel sic ipse alioqui indignus, dignissimam Sapientiam satis laudare posset. Ad extremum ita ait: Tu tamen ô amica præclara iucundum es Pascha meum, tu cordis mei vernans æstas, tu hora gratissima: amica illa dulcissima, quam solam amat & spectat iuuenilis animus meus, cuiusque gratia omni caduco renunciauit amori. Quæso suauissima id mihi prodesse velis, liceatque à te hodie sertam coronam adipisci. Præsta id mihi, obsecro, benignissima per diuinam liberalitatem, per ingenitam bonitatem tuam, nec me sinas hac ineuntis anni prima die vacuum à te recedere. Neque enim id te decebit suauissima dulce-

dulcedo. Memineris oro quẽdam fidelem seruum tuum de te testari, non inueniri apud te Etiam & Non, sed non nisi Etiam atque Etiam. Age igitur cordis mei dulcedo, prębe mihi hodiè cælesti munere sertum iucundum & amabile, vt quemadmodum væsanis mundi amatoribus datur corona quædam factitia, ita animæ meæ hac die xenij vel strenæ loco singularis quædam gratia, aut quippiam noui luminis gratissimis manibus tuis, ô suauissima Sapientia exhibeatur Hunc in modum orare consuetum, nec vnquam spe sua frustratus abscessit. 2. Cor. 1.

De verbis, Sursum corda.

CAPVT XI.

SCiscitabantur quãdoque ex eo amici, quid sibi haberet propositum cum Missam caneret præcipuè quando ante Canonem inciperet Præfationis ea verba, Sursum corda: quorum mens est, cordã omnium ad DEVM suspirare debere. Hæc enim verba tanto cum effectu pronunciabat, vt qui audirent, Speciali quadam pietate ac deuotione permoueri possent. His ita suauiter respondet: Cùm verba memorata in Missa canere consueui, plerumq; corde & anima præ Dei flagranti desiderio, quod id temporis cor meum extrà sese rapuit, colliquescebam. Siquidem tres sublimes sursumque impellentes in me intentiones existebant, ex quibus nonnunquam vna sola quandoque duæ, interdum omnes sese offerebant, atque per has ferebar ipse & rapiebar in Deum

Sursum corda: quid ea verba significent.

Intentiones quæ quales, & quot.

I. & per me creaturæ omnes. Prima intus mihi illucescens intentio hæc erat: Statuebam oculos internos meipsum totum quantuscunctus sum, cum anima, corpore & cunctis viribus meis, & circum me collocabam creaturas omnes vnquam à Deo factas in cælis, in terra, in elementis, singulas quasque nominatim, puta aues cæli, feras syluestres, pisces aquarum, virentia & gramina terræ, & arenam maris innumerabilem, atque atomos omnes in Solis radijs volitantes, itemque cunctas aquæ guttas ex rore, ex niue, ex pluuijs natas ac nascituras noueram & ex his singula quæque cum suum sono quasi citharæ cuiusdam egregie canentia ex intimis cordis mei medullis sursum ferri, nouasque & præcelsas longè amantissimo & suauissimo Deo à fine vsq; ad finem laudes decantare: tum verò magno cum desiderio ergà innumeram creaturarum omnium frequentiam animæ meæ brachia sese extendebam, ea mente ac intentione, vt eas omnes inibi diuinæ laudis fœcundas efficerem: haud secus quàm ingenuus & cordatus præcentor socios cantores inuitat, vt psallant hilariter, & corda sua sursum ad Deum erigant, dicens: SVRSVM CORDA. Altera intentio erat eiusmodi: Reuocabam in mentem meam cor meum, itemq; mortalium omnium, cogitabamq; quid gaudij & voluptatis, quid amoris & pacis obtineant, qui corda sua soli Deo dedunt: contraque quid detrimenti & molestiæ, quid crucis & perturbationis amor rerum labentium efficiat in sui sectatoribus, sicque magno affectu tum meum, tum cæterorum omnium vbique terra-

II. rum

rum degentium corda compellebam hoc modo: Agedum emergite tandem corda miseræ captiuitati addicta ex morte vitiorum: agedũ exurgite corda vana & dissoluta ex negligẽtijs & desidiosæ vitæ vestræ ignauia ac tepore, erigite vos sursum cum integra & ab omnibus absoluta conuersione ad omnipotentem Deum: SVRSVM CORDA. Tertia intentio erat amica quædam commiseratio & dolor erga omnes bona voluntate præditos & tamen irresignatos homines, qui in seipsis miserè aberrant, & erroribus impliciti sunt, ita vt nec Deo, nec creaturis potiantur, eò quòd cordibus huc illucque per res temporarias vagentur & dispersi sint. Hos omnes meque simul ad fidentem & imperterritam nostrî periclitationem cum perfecta à nobis ipsis & creaturis omnibus auersione coniunctam prouocabam, dicens, SVRSVM CORDA. III.

Vt virginis Matris Purificationem celebrârit.

CAPVT XII.

ADuentante beatissimæ MARIAE Purificationis solennitate, triduo ante precibus quandam cælesti illi puerperæ fingebat cãdelam, eamque tergeminam, id est, triplici contortam funiculo, quorum primus erat in honorẽ integerrimæ virginitatis, Alter in honorem immensæ humilitatis, Tertius in venerationem maternæ dignitatis illius: quib' ea inter mortales omnes peculiariter effulsit

Hanc, inquam, spiritalem candelam tribus ante diebus conficiebat, quolibet die dicens te Magnificat. Vbi verò dies ipsa Purificationis adueniſſet, manè priusquam quisquam templi adijſſet, ipse ad summum accedens altare, inibi in sua meditatione sacrosanctam præstolabatur puerperam, donec cum cæleſti pignore suo adueniret. Quâ ad exteriorem vrbis portam appropinquante, omnes alios cordis sui affectu anteuertens, illi procedebat obuiam cum tota omnium Dei amãtium cordium caterua. In ipsa autem platea currebat ad eam, rogans vt parumper cum suo comitatu subsisteret, dum aliquod ei canticum depromeret. Mox spirituali tacitaque modulatione, ita vt labia quidem mouerentur, & vox tamen penitus non audiretur, concinebat Prosam illam, Inuiolata, &c. idque quoad potuit longè amantiſſimè, flectebatq; illi ceruicem medullitus, cum diceret ô BENIGNA, ô BENIGNA: obsecrans vt piissimam benignitatem suam in miserum peccatorem declararet. Deinde surgens, sequebatur eam cum spiritali candela sua eo affectu & desiderio, vti ne sineret vnquam ardentem diuini flammam luminis in ipso extingui. Deinde vbi ad cunctorum Dei amantium concionem peruenit, inchoabat canticum illud, Adorna thalamum, &c. admonebatque eos vt Seruatorem digne exciperent, & eius matrem puerperam cupide complecterentur, sicque cum laudibus & carminibus ad templum eos deducebat. Postea ingenti desiderio, priusquam virgo puerpera ingrederetur, & S. Simeoni Saluatorem traderet, accedens ipsam sacratiſſimam

virgi-

virginem, flexis genibus, ac sursum erectis oculis & manibus precabatur eam, vt sibi puerulum ostenderet, & ipsi oscula imprimere pateretur. Quod cum illa placide permitteret, vlnas suas vnaque amplissimos orbis fines extendens, charissimũ animę suæ sponsum breui horula vel millies excipiebat & amplexabatur, adspectabat niueos eius oculos, & manus teneras, osculabatur os suauissimum, & cuncta cælestis illius pignoris membra infantilia: Contemplans erectis oculis præ admiratione in corde suo plorabat, stupens nimirum cæli opificem tam immensum & modicum, tam speciosum in cælis, & puerilem in terris esse: atque interim cum illo sese occupabat ita vt ab illo mouebatur, cantando, lachrymando, spiritalibus vacando exercitijs: ac deinde matri illum reddens, cum illa intrò ingrediebatur, donec essent peracta omnia.

Vt Bacchanalia peregerit.

CAPVT XIII.

SAbbatho ante Dominicam Septuagesimæ, quo Alleluia intermittitur, & homines mundani plus solito ob imminentia Bacchanalia incipiunt esse amentiæ dediti, ipse in suo corde cælestia sibi Bacchanalia cœpit instruere in hunc modum: Cogitabat primum momẽtaneam ac pernicialem carnalium Bacchanalium voluptatem, atque vt plerique pro breui delectatione diuturnis implicentur calamitatibus & miserijs: orabatque psalmum 50.

Miserere mei Deus, &c. in honorem præpotentis Dei pro cunctis peccatis, iniurijs & cõtumelijs, quæ illo petulantissimo tempore ei inferentur. Hæc autem Bacchanalia Rusticorum appellabat, vt qui nihil melius nouerint. Sed do præludia illa cælestis vitæ meditabatur, vt Deus cum amicis suis in hoc etiamdum mortali corpore per consolationes diuinas quasi ludat: moxque quicquid ipse eiusmodi expetitus esset, multa cum gratiarum actione & laude commemorans, in Deo ac Domino suo delectabatur. Eodem conuersionis suæ tempore spiritale quoddam carni spriuium illi diuinitus præstitum fuit, quod eiusmodi erat: In ipsis Bacchanalibus ante completorium in hypocaustum calidum sese receperat, quò se calefaceret: admodum enim frigore & fame laborabat: sed longe infestior illi sitis erat, quantum patiebatur. Cumque cerneret alios vesci carnibus & potare vinum, se interim fame & siti confecto, intus se moneri sentiens, foras mox abijt, miseransque seipsum ex alto corde traxit suspiria. Eadem verò nocte in visione esse sibi videbatur in valetudinario quodam audiuitque foris cęlestem concini cantilenam, tanta vocis suauitate, vt nulla posset cithara æquiparare melodiam: eratque vox tanquam pueri scholastici annorum duodecim. Igitur oblitus idem Sapientiæ Minister cibi ac potus, melodiam hanc arrectis hauriebat auribus, discens magno cordis æstu. Ecquis cantat foris? quidem in terris nunquã melos eiusmodi percepi. Respondit illi eximia forma adolescens, qui tum fortè aderat: Noueris melodem hanc

pos-

puerum tibi modulari, teque hoc cantandi officio spectare. Ait Minister: O si meî meminerit Deus. Oro te cælice adolescens, iube illum amplius canere. Rursus ergo cantare cœpit altissimo vocis sono, absolutque tres integras planè cælestes cantiones. Quibus finitis, puer ille, vt ipsi videbatur, per aëra accessit ad domicilij illius, vbi erat Minister, fenestras, porrexitque ei ramusculum rubentibus admodum confertum granis similitudine fragorum. Tulit autem adolescens ante dictus ramusculum è manibus pueri. Lætusque eum obtulit Ministro cum his verbis: Age mi frater & consodalis, cape rubros hos fructus à tuî amantissimo Domino, hoc ipso speciosissimo adolescentulo regis æterni filio, quem hactenus cantantem audisti, tibi dono datos. O quantopere is te amat. His auditis, frater ille præ gaudio, rubore vultus infusus, excepit hilariter sportellam cum fructibus, aitque: O me felicem, cui tam optatum contingit munus à præclaro diuinoque hoc adolescentulo, quod me sane non potest non perpetua animi exultatione afficere. Versusque ad adolescentem reliquosque beatos spiritus illic præsentes: Amici, inquit charissimi, æquúmne est gratiosum hunc & cælestẽ iuuenculum à me impense amari? Meritò profectò mihi diligendus est: atque si mihi gratissima illius esset perspecta voluntas, eam modis omnibus exequerer. Conuertitque se ad memoratum adolescentem, & ait: Dic mihi charissime, recténe tibi sentire videor? Subridens ille suauiter: Planè, inquit, rectè sentis, ac iure illũ amare debebis, qui te prę multis alijs beni-

gnius ſpectat & amat. Quamobrem ingentiillum fac amore proſequaris: adeoq; certum habeas etiam pro multis alijs duriora te deinceps perpeti oportere: ſimulq; præpares te. At ille: Faciam id libentiſſime: precorque vt mihi illius viſendi copiam obtineas, quò gratias illi agam pro ipſius præclaro munere. Perge, inquit adoleſcens, ad feneſtram & proſpice. Aperuit ille feneſtram, & ecce vidit illic puerum ſcholaſticum tantæ venuſtatis, vt non ſit illi vnquam quiſquam viſus ſimilis: cumque vellet per feneſtram ad illum egredi, blandè illi inclinans ſuauiter illi benedixit, & eueſtigio ab eius euanuit oculis. Sicque viſio illa finita eſt. Redditus ſibijpſi, gratias egit Deo pro eiusmodi diuinis Bacchanalibus ipſi præſtitis.

Vt ineuntis Maij diem primum exceperit.

CAPVT XIV.

NOcte illius diei, quæ menſis Maij caput eſt ac initium, pro more ſuo ſpiritalem quendam, eumque virentem ramum ſibi reponens, aliquammulto tempore ſingulis diebus eum venerabatur. Inter omnes autem quæ vnquam creuerint, quantumuis amœnas frondes, non potuit vllam inuenire vernantiorem præclaro ſanctæ crucis ſtipite, qui gratia & virtutibus atque omnigeno decore illuſtrior eſt, atque vernantior, quàm vllæ vnquam arborum frondes. Sub hac igitur arbore ſex, vt dici ſolet, capiebat venias, ad ſingulas quaſque in ſua meditatione ſingulatim deſiderans ornate

nare mysticam hanc frondem, idque rebus elegantissimis, quæ vernans posset proferre æstas. Dicebatq; & canebat intra sese hymnum, Salue crux sancta, &c. addens etiam hæc: Saluæ cælestis arbor salutis perpetuæ, in qua creuit fructus æternæ Sapientiæ. Primo quidem in tui perennem ornatum pro cunctis rubentibus rosis offero tibi amorem intimum. Secundò, pro cunctis humi repentibus violis humilem subiectionem. Tertio, pro cunctis suaueolentibus lilijs purissimum complexum Quarto, pro omnigenis grati coloris ac virentibus floscu-lis, quos vlla vspiam sylua, pratum, saltus, arbor, nemus, campus hoc amœno vere protulerit, vel vnquam extiterint vel existent, spiritale cordis osculum. Quinto, pro cunctarum in aëre hilariter volitantium auium cantu, quem illæ vnquam in quibusuis arborum ramusculis deprompserint, animæ laudes inexhaustas. Sextò, pro cujusuis generis ornatu, quo vllus vnquam verni temporis ramus virens præditus fuit, cor meum hodie spiritali te cantico extollit, obsecrans, vt tu arbor benedicta mihi auxilio sis, quò in hac vita momentanea ita te laudare merear, vt teipso fructu vitali perenniter frui dignus sim. Hoc pacto Maij initia celebrabat.

De miseranda crucis deportatione, quam ad Christi crucifigendi similitudinem imitari solebat.

CAPVT XV.

DEus omnipotens initio cælestibus consolationibus multo eum tempore recreauit,

quibus is adeo fuit oblectatus, vt quicquid ad diuinitatem pertineret, ei esset iucundum & delectabile: si verò eius passionem commemorare, atque ad eius imitationem se componere deberet, amarum & difficile ipsi videretur. Vnde illum quadam vice Dominus grauiter

Ioan. 10. obiurgauit, aitque illi: Itane ignoras ostium me esse, per quod omnes veri DEI amicitiam gredi debeant, qui velint beatitudinem adipisci? Planè necesse est per afflictam humanitatem meam illi te conformando penetres, modo ad nudam velis diuinitatem meam vera pertingere. Territus ille quidem fuit his

Qua via ad nudam Dei diuinitatem peruenitur. sermonibus, attamen conabatur illis quantumlibet sibi molestis animum intendere, capitque discere quod ante nescierat, atque animo resignato totum se diuinæ permisit voluntati. Ex hoc igitur tempore, singulis noctibus post peractas preces matutinas loco solito, qui erat in domo, vt vocant, capitulari, sedens Christi formem quandam exercebat compassionem eorum omnium, quæ Dominus Iesus pro ipso perpessus fuisset. Ambulabat de angulo in angulum, vt torporem omnem excuteret, esseque in Dominicæ Passionis sensu suo experimento vigilantior. Cœpit autem cum Christo ab ipsa cœna vltima, transtulitque se cum illo de loco in locum, donec eum ad Pilatum adduceret. Ad extremum assumpsit eum coram tribunali morti addictum, egitque cum illo miserabile illud deportandæ crucis iter, quod idem Dominus Iesus à tribunali ad montem vsque Caluariæ confecit. Hoc autem crucis iter hac ratione inchoauit. Vbi ad domum

Iter crucis.

Capi-

Capitularis vestibulum veniſſet, flexis genib. primò Domini ſui veſtigia oſculabatur, ad mortem damnati, ſeque vertentis, & ad ſupplicij locum properantis. Dicebat hic Pſalmũ: *Deus Deus meus, reſpice in me*, &c. atq; ita per oſtium in cœmeterium ſiue ambitum cœnobij procedebat. Finxerat autẽ ipſe ſibi plateas quatuor, per quas erat iturus cum Domino ſuo. Per primam gradiebatur cum illo ad mortem hoc deſiderio, quod & amicos & facultates ac bona temporaria vellet deſerere, atq; in Chriſti laudem exilium omni conſolatione deſtitutum ac voluntariam paupertatem perpeti. In altera platea proponebat contemnere honores ac dignitates temporales, ac vltroneo Mundi totius deſpectui ſtudere, cogitans Dominum ſuum vermem & non hominem, opprobrium hominum & plebis abiectionẽ fuiſſe. In tertiæ plateæ capite iterum curuabat genu cum humi exoſculatione, liberè illic renũcians omni non neceſſariæ quieti, commoditati & fomentis corporis, idq; in honorem excruciati corporis tenerrimi Domini Ieſu, reuocans inibi ob oculos, vti ſcriptum eſt, exaruiſſe ſicut teſtam virtutem eius, & in puluerem mortis deductum eum eſſe. Cumque eum ante ſe miſerandum in modum ſatellites impellerent, cogitabat iure meritoq; cunctorum oculis lachrymas & cordibus gemitus hoc ipſum excutere ac exprimere debere. Ad quartã plateam veniens, in illius medio ſe demiſit in genua, tanquã ſi ante portam, qua erat egreſſurus Dominus, flecteret poplitem, procedensq; ante illum oſculato ſolo obnixè præcabatur, ne ſine ipſo,

Pſalm. 21.

Plateæ myſticæ.

IV.

Pſalm 21.

ipso pergeret ad mortẽ, sed ipsum secum mori permitteret: siquidem iuxta ipsum necesse erat transire Dominum. Hæc verò quoad potuit, ad viuum suo animo impressit, tanquam coram reuera fierent: dixitq; precem illam, Auete nostri filii Dauid, &c. Sicq; eum præterire non bat. Deinde demno submittens se in genua versus portam, crucem quoque excepit cum versu, O crux aue spes vnica, &c. atque ipsam tidem antecedere permisit. Post iterum poplitẽ curuauit erga beatissimam virginem MARIAM cæli reginam, quæ immenso cordis dolore confecta, coram ipso ducebatur: obseruabatq; gestus eius miserabiles, feruentes lachrymarum imbres, alta & miseranda suspiria, vultum ac speciem longè tristissimam, & cebatq; illi semel, Salue regina misericordiæ vita, &c. atque eius vestigia cupide osculabatur. Tum repẽte exiliens, properabat post Dominum suum, donec eius lateri iungeretur.

2. Reg. 16. Quæ res quandoque per imaginationem tam illi præsens erat, ac si corporaliter ad eius latus graderetur: cogitabatq; vt Dauidem regem facie Absolonis fugientem fortissimi milites dextris & sinistris olim fuerint comitati, & semiliariter illi adstiterint. Hîc verò omnem voluntatem suam diuinæ permittebat ac resignabat voluntati, nihil recusaturus, quicquid ipso Deus facere vellet. Postmodum mente

Isa. 53. versabat lectionem illam Esa. Prophetæ, quæ in Paraseue legitur, Domine, quis credidit auditui nostro, &c. quæ ad viuum depingit ediectionem eius ad mortem, atq; sub hac in Chori ostium ingressus, per gradus ascendebat ad templi

templi pulpitum. Quò cum peruenisset, coram crucis imagine humi collapsus, rogabat Dominum Iesum, ne famulum suum neque morte, neque vita, neque prosperis, neque aduersis à se vnquam diuelli pateretur. Solebat adhuc aliud internum crucis iter peragere in hunc modum: Cum cantaretur SALVE REGINA, ad Completorium, suo in corde meditabatur tanquam etiamdum virgo sacratissima ad filij sui sepulchrum materni plena doloris versaretur, iamque tempus adesset, quo illam oporteret reduci domum, idque ipsi faciendum intumberet. Itaque in animo suo tres effingebat venias siue humi deosculationes, quibus eam domum reduxit. Prima erat circa sepulcrum, simul enim atque inchoatum esset Salue Regina, flectebat reuerenter ceruicem animæ suæ, ac spiritali quodammodo excipiebat eam in vlnas suas, plorãs maternum pectus illius, quod tam amaritudine, contemptu, probris & acerbissimo mœrore completum erat, consolabaturq; eam admonitione quadam, puta quod ea de causa nunc sit regina præpotens, regina misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra. Atquì vbi peruenisset cum ea ad portam Hierusalem, præcedebat illam, respicienſque intuebatur eã miserandum in modum in vrbem ingredientem, sacrosancto ex ruptis filij sui vulneribus stillante sanguine adspersam & infectam, omnique consolatione priuatam: atque inibi rursum eam cum sosi feruenti deosculatione excipiens ad verba illa, Eià ergo aduocata nostra, hortabatur vt bono esset animo, siquidem iam omnium nostrum dignissima esset aduocata:

Aliud iter crucis internum.

cata : rogabatq; vt in amore miserabilis illius adspectus misericordes oculos suos ad ipsum conuerteret, & IESVM benedictum fructum ventris sui ipsi post hoc exilium ostenderet benignum. Tertiam denique veniam capiebat ad fores domûs S. Annæ genitricis eius, ad quam mœrens introducebatur: idque faciebat cum quadam commẽdatione suî in illius dulcissimam pietatem, & pijssimam dulcedinem cum verbis illis admodum deuotis, ô clemens, ô pia, ô dulcis Maria : obsecrabatq; eam, vt animam suam miseram ac exulem in obitu susciperet, eamqúe duceret ac tueretur ab hostibus tartareis, & per cæli ianuam in æternam beatitudinem absportaret.

De vtilissima Silentij virtute.

CAPVT XVI.

VRgebatur idem Discipulus in interiori homine, vt ad veram cordis pacem pertingere niteretur: cui rei Silentium cum primis suffragari sentiebat. Quamobrem tantam suo ori custodiam adhibuit, vt intra annos triginta nunquam ad mensam fregerit silentium, vna duntaxat vice dempta, quando cum multis fratribus ex capitulo reuersus, in naui cum illis edebat. Atque vt linguam strictius domaret, nec esset ad loquẽdum præceps, in sua meditatione tres sibi præceptores constituit, sine quorum permissu singulari nollet loqui : ijque erant sancti Patres Dominicus, Arsenius, & Bernardus. Locuturus igitur in sua cogita-

cogitatione ab vno ad alium accessit, petens veniam & dicens. Iube Domine benedicere. Et siquidem locutio poterat fieri cõgruo tempore & loco, putabat se habere copiam à primo: & si ex locutione nullum foris impedimentũ acciperet, habebat facultatem etiam à secundo: atque si nullam ex verbis intus inquietudinem aut perturbationem contraheret, iam se credebat loquendi potestatem à tribus illis adeptũ: sicque demum loquebatur. Sin verò aliter sensisset, intra silentium sese continebat. Ad portam cœnobij vocatus, his quatuor nauabat operam: Primò, vt vnumquemlibet benigne exciperet. Secundò, vt paucis absolueret. Tertiò, vt consolatum à se dimitteret. Quartò, vt sine vlla contagione vel affectus adhæsione intrò rediret.

Quando aut qui loquendum.

Quatuor cuilibet merito religioso obseruanda.

De corporis castigatione.

CAPVT XVII.

IN adolescentia sua erat natura petulanti, quæ cum vitijs titillari inciperet, sentiẽs ille graue onus carnis indomitæ ac proprij corporis sui admodũ discruciabatur. Eam ob rem multa callide comminiscens, & diris corpus castigationibus affligens, nitebatur illud spiritui subditũ efficere. Cilicium & catenam ferreã diu tulit in corpore, donec sanguine eũpente coactus est deponere. Iussit clã sibi cõfici subligaculũ, & in ipso ligamina quædam, quibus infixæ erant acus asperæ cẽtum & quinquaginta, eædemque æreæ & lima exacutæ, quarum

quarum acumina semper erãt ad carnem versæ. Idem autem subligaculum valdè erat angustum, & ab anteriori parte constrictum, quod tanto propius corpus attingeret, & acus acutæ carnem penetrarent: pertingebatque vsque ad vmbilicum eius, & in ipso noctibus dormiebat. Aestate calida quando ex itinere defatigatus ac viribus exhaustus, aut lectoris officio perfunctus erat, in illis laboribus ita iacebat constrictus, vt simul etiam vermibus admodum vexaretur: sæpiusque in seipso contrahebatur & contorquebatur, & necessitate adactus hac illucq; sese vertebat, perinde vt solent vermes dum acu punguntur. Crebrò haud aliter affectus erat ex pediculorum infestatione, quam formicis multis vndique cinctus fuisset. Sive enim dormire cuperet, aut iam obdormiuisset, mirum in modum mordebant ac sugendo affligebant eum. Dicere tum quandoq; solebat Domino pleno corde: O Deus meus, quam acerba isthæc mors est. Si quem latrones aut feræ perimant, cita morte perit: atqui hic ego inter infestos decumbens vermes & morior semper, nec tamen possum emori. At verò nunquam neq; noctium hybernarum prolixitate, neque æstatis feruore adduci potuit, vt hinc abstineret. Et vt minus sub hoc cruciatu sentiret lecumẽti, aliud quiddam addidit: Gutturi suo circumdedit partem cinguli cuiusdam, cui aræ duos inseruit annulos ex corio confectos, quibus man⁹ insertas & brachia inclusit seris duobus, quarum claues ante lectum posuit in assere quodam, donec ad preces nocturnas surgẽs, seipsum absolueret. In his vinculis brachia

eius

eius ad guttur sursum versus ita extensa, eadēque vincula adeò obfirmata erant, vt etiamsi cubiculum eius totum conflagrâsset, non posset sibijpsi ferre suppetias. Tamdiu hæc continuauit, donec manus ac brachia ex ea constrictione admodum tremere inciperēt. Tum demum aliud excogitauit: Chirothecas duas ex corio sibi confici curauit, qualibus vtuntur rustici vel opifices, dum vepres ac sentes extrahunt, his ab artifice quodam æreos ac præacutos omni ex parte iussit clauiculos infigi, atque ita eis noctibus inserebat manus. Fecit id ea causa, vti fortè in somno voluisset remouere cilicinum subligaculum, aut quouis alio modo ipse sibi opitulari, dum à fœdis illis roderetur vermibus, clauiculi illi carnem eius compungerent: quod & factum est. Si enim nonnihil subsidij adferri sibi tentâsset, inter dormiendum cum acutis illis clauiculis pectus confricans, tam atrociter seipsum lacerabat, ac si vrsi cuiusdam vnguibus fuisset discerptus, adeo vt etiam in brachijs & circa cor eius caro intumesceret. Quibus post multas hebdomadas curatis vulneribus, denuo se confricans dilacerabat. Hoc genus acerbi valde exercitij, immò martyrij, sedecim annis prosequutus est. Quibus exactis, cum natura eius frigesceret & miserè contraria foret, die sancto Pentecostes cælestium spirituum iucunda visio illi apparens, certiorem eum reddidit, nolle Deum vt diutiùs id retineret. Tum ilicò desistens, in flumen cuncta proiecit.

De aspera cruce quam inter scapulas gessit.

CAPVT XVIII.

PRæ alijs quibuslibet exercitijs, cupidè admodum trahebatur, vt aliquod suo in corpore gestaret signum sensibilis condolentiæ erga acerbissimam crucifixi Domini sui passionem. Effecit ergo ipse sibi crucem ligneam, longitudine palmi virilis, & congrua latitudine, eique infixit clauos triginta in honorem vel memoriam omnium vulnerum Christi, quibus in nos suum est testatus amorem. Hanc crucem in dorso inter scapulas extendit in ipsa carne, & annis octo noctes atque dies iugiter eam tulit in laudem crucifixi Domini sui. Deinde extremo anno etiam acus septem eidem impressit, quarum acies per mediam adegit crucem, cui firmiter inhærebant: reliquam partem acuum superius resecabat. Harum cruentationem acuum pertulit ob honorem acutissimi doloris, quo virginis matris cor & anima in filij morte penitus confixa fuêre. Quando hanc crucem primum nudo suo corpori adstrinxit, tenera eius natura exhorruit: quam ob rem ad saxum clauorum aciem pauxillum retudit: sed ilicò hac neutiquam virili mollitiæ victum se dolens, denuò eos omnes lima exacuit & ad corpus applicauit. Eas quidem dorsi partes, vbi ossa extabant, crux ipsa sacrificabat, cruentumque eum reddidit & læsit: vbicunque siue ambularet siue recumberet, videbatur sibi hericij exuuijs opert⁹. Si quis eum imprudens eo loci vel tetigisset vel trusisset, lædebat

debat illum. Vt vero crux eadem ipsi esset tolerabilior, salutiferum IESV nomen illius tergo insculpsit. Hac cruce lõgo tempore bis quotidie se flagellabat hoc pacto. Pugno crucem tundebat, moxque claui in carnem adacti adeò infigebantur, vt cum vestibus eos cogeretur extraheret. Fecit autem hæc adeò rectè & prouide vt nemo facile id posset animaduertere. Primo se flagellabat in hunc modum, quando in sua meditatione ad eam peruenit columnam, vbi Dominus suus præ filijs hominum forma speciosus, tam immaniter fuit virgis & flagris cæsus, rogabatque eum vt suis vulneribus ipsius vulnera sanaret. Secundo flagellabat se, vbi cum Domino suo venit ad crucem, eique is clauis affixus fuit, ad quam etiam ipse se clauis adstrinxit, eo animo, quod nunquam ab illo vellet separari. Solebat etiam tertio se hac ratione cędere, sed non nisi quando nimiũ sibi inordinatæ delectationis indulsisset in capiendo cibo, vel potu, vel eiusmodi alijs. Quodam tempore ex quadam negligentia virginum duarum in loco publico ipsi coram alijs multis assidentium manus arripuit ac tenuit, nihil penitus mali cogitans aut spectans. Sed huius incuriæ citò eum valdè penituit, putabatque eam rem minimè inultam abire oportere. Cum ergò discessisset à virginibus, & in suum veniisset sacellum ad locum quendam secretum, pro errato illo cecidit sese in crucem, adeò vt acuti claui dorso eius infigerentur. Nec hoc contentus, insuper excommunicauit seipsum, vt non auderet ingredi post matutinas preces in domum capitularem ad consue-

Qualiter se flagellauerit suso & quando.

Delectatio quæ in Suſone, qualiter expiata fuerit.

tum orationis suæ locum, seseq; iungere angelicis spiritibus, qui illic meditanti præsentes adesse solebant. Postea verò cum pro hac culpa se penitus reconciliare vellet, multis sese annis pœnis dirè afflixit, procedensq; primò ad iudicis pedes, coram illo sese cum cruce flagellauit, deinde circa medium vndiq; ad sanctos accedens, triginta vicibus sese eodem modo concidit, ita vt sanguis per humeros dimanaret. Hac ratione dirè expiauit delectationem illi quam sibi inordinatius cepisse videbatur. Absolutis nocturnis precibus, ad capitulare sacellum pergens in secretum locum suum, centies in faciem prostratus, humum exosculabatur, totidemq; vicibus flexis genib' idem faciebat, habebatq; ad singulas eiusmodi deosculationes, peculiares quasdam meditationes suas. Vnde nimirum satis afflictus fuit propter crucem. Cum enim crucem ipsam fortiter ad corpus adstringeret, propiusq; illi applicaret quæ solent ligamina vasorum, atq; cum eadem cruce humi pronus collapsus centies terram oscularetur, in ipso casu claui eius carni imprimebantur, ijdemq; cum resurgeret, rursum extrahebantur, rursumque cadenti noua infligebat vulnera, quod illi reuera magnum attulit dolorem & cruciatum. Si vno manssissent fixi loco, erat id tolerabile. Ante hanc exercitationem aliam habebat: Confecerat ipse sibi flagellum, quod scutica dicitur, idq; iusserat æneis & acuminatis hinc inde obduci aculeis, instar styli acutis, biniq; aculei verber illud media ex parte anteuertebant, adeò vt singuli essent trisulci, qua parte corpus tangebant, vulneraque infli-

Nota duram afflictionem.

Flagellum Suonis quale.

gerent.

gerent. Huiusmodi ergo flagello confecto, ante nocturnas preces surgens ad Chorum templi ibat coram venerabili Sacramento, & sese acriter cædebat aliquammulto tempore, donec id ad fratum notitiam peruenisse sentiret, quo cognito, cessauit. Ipsis D. Clementis ferijs, quibus hyems aduentat, quadam vice generalem fecit confessionem, cumque noctis adessent silentia, in suo se cubiculo includens, nudatum corpus vsq; ad cilicinum subligaculum simulque brachia & crura aculeato flagello suo vsqueadeo cecidit, vt sanguis haud secus ex eius corpore decurreret, quam si ferro sacrificatum esset. Erat in illo flagello recurruus quidam aculeus, vnci specie, qui quicquid apprehendisset carnis extrahebat. Percussit tum corpus suũ tam pertinaciter, vt flagellum in tres sciſſum partes, vna cum aculeis ad cubiculi parietes volitaret, atque vna pars in eius remaneret manibus. Stans igitur illic totus cruentus, ac seipsum intuens, videbat miserandam sui corporis speciem, adeò vt sæpius quodammodo Christo crudeliter flagellato sibi similis videretur. Deinde ex quadam suijpsius commiseratione fleuit acriter, atque in illo hyemis frigore, ita vt erat nudus & sanguinolentus, positis humi genibus rogabat Deum, vt sua peccata penitus aboleret. Post hæc in Dominica Quinquagesimæ iterũ more suo, dum fratres essent in mẽsa, suum ingressus cubiculum, postquàm vestes detraxerat, immaniter se verberauit, largiter per corpus manante sanguine. Et cum duriora sibi intentaret verba, frater quidam audito flagellorum strepitu aduenit, sicq; desistit:

Vt se flagellauerit.

stitit: at nihilominus vt esset acrior cruciatus, aceto & sale vulnera confricauit. Sacro die S. Benedicti, quo ipse in hunc miserabilem mundum fuerat editus, sub prandio in sacellum suum se contulit: quo obserato, sese exuens, arepto flagello percutere cœpit, tetigitque infinistro brachio venam cordis, quæ mediana dicitur, aut aliam vicinam, ex qua tum sanguis vbertim prorumpens, in ima per pedum digitos decurrebat, pauimentum ipsum largiter madefaciens, moxque brachium impendio intumiscens, liuidum accepit colorem. Vndè territus, non audebat amplius percutere. Eodem tempore eademque hora, cum sese pacto verberaret, sancta quædam virgo Anna nomine, in alia vrbe in castro quodam orationi incumbens, in visione ducta fuit ad eum locum vbi se cædebat ille, visisque ictibus terrificis, nimium miserta, accessit ad eum propiùs, cumque iam extento brachio percussurus erat, ipsa se interponens in suum brachium sibi visa est ictum illum recipere. Reddita porrò sibijpsi, eundem ictum reperit atro leridoque colore in suo brachio designatum, atque euidens hoc certæ veritatis documentum multo tempore admodum seriò retinuit in suo corpore.

Susonis dies natalitius.

De strato illius.

CAPVT XIX.

PEr idem tempus antiquum quoddam ac reiectitium adeptus ostium, in cubiculo iuxta lectum

lectum suum reposuit, in eoque dormire solebat, nihil omninò habens operimenti, quo corpusculo subueniret. Texuerat autem ipse met ex iuncis tenue oportorium, quod ostio imposuit, idque non nisi ad genua illius extendebatur. Capiti ceruicalis loco suppositus saculum culminibus auenaceis refertum, cui aliud exiguum puluinar addidit. Nihil penitus, vt dictum est, habuit eorum, quæ ad lecti vsum pertinent, & vt interdiù incedebat, ita noctibus cubabat, hoc solo dempto, quòd calceis nudabat pedes, & crasso pallio sese induebat. Erat igitur stratum hoc miserabile. Siquidem duri illi auenæ culmi glomeratim sub eius capite iacebant, atque crux acutis clauis eius dorsum compungebat. Brachia erant obseratis stricta nexibus, & lumbos cilicinum vexabat subligaculum. Pallium nimio suo premebat pondere, & ostium erat durum ac rigidum. Iacebat itaque miserè affectus, & in trunci morem se mouere non poterat absque grandi dolore. Quod si somno pressus in crucem durius incubuisset, claui in ossa eius impingebant: Interim crebros dabat in cælum gemitus. Hyberno tempore admodum malè ipsi erat ex frigore. Pedes enim more solito extendens, nudos eos in ostio ponebat, quos frigore confectos, cum ad se retraheret, sursumque erectis genibus ad corpus adduceret, sanguis in cruribus exagitatus dirè eum torquebat: ipsique pedes complebantur sanie, & crura intumescebant hydropici in morem: genua cruenta erãt & attrita, lumbi ex cilicino subligaculo luridi acvlcerosi. Dorsũ sauciabat crux

Qualiter euduerit dormiturus.

corpus exhaustum erat rigore nimio, fauces siti arescebant, manus præ virium defectu tremor obtinuit, atque in his cruciamentis noctes exigebat & dies. Ferebat autem hæc omnia ea ingenti ac intimo æternæ Sapientiæ Domini nostri Iesu Christi amore, cuius acerbissimæ passioni sese nonnihil conformare volebat. Tandem relinquens hoc in ostio cubandi exercitium, in cellulam quandam commigravit, cuius sella, in qua alioqui sedebatur, strati loco vsus est. Erat autem tam angusta & breuis, vt ea se extendere non posset. In hoc igitur ergastulo atque in ostio ante dicto annis octo somnum capturus recubuit cum solitis ligaminibus suis. Erat tum illi in more, vt post Cōpletorium, quando in cœnobio degebat, in hypocaustum vel ad fratrum fornacem se non reciperet causa corporis calefaciendi, quantumuis acre sæuiret frigus, idque annis viginti quinq; obseruauit, nisi forte quandoq; alia ex causa uire debuisset. Ijsdem annis nunquam balneo vsus est, nunquam pedes lauit propter leuanda delicati corporis sui incommoda. Deinde sic se continuit, vt æstate iuxta ac hyeme non nisi semel in die ederet, nec solum à carnibus, sed etiam piscibus & ouis abstineret. Multis annis tantam dedit paupertati operam, vt neq; cum permissu, neq; sine permissu vllum vellet nummum recipere vel attrectare. Non parum multo tempore vsqueadeo studebat cordis & corporis puritati, vt nulla corporis parte sese vel fricare vel contingere vellet, præterquam in manibus & pedibus.

Causa cur sese tantopere affixerit.

Vt vel in maximo etiam frigore ab igne abstinuerit, & quam diu.

Paupertati ac castitati vt fuerit studiosissimus.

De potus parsimonia.

CAPVT XX.

QVodam tempore molestissimum suscepit exercitium, præfigens sibijpsi exiguã sane potus capiendi mensuram: cui vt minus vel foris vel domi admisceret siue adderet, confecit eiusdem capacitatis poculum parvum, idq; exiens foras secum tulit. In magna siti non nisi quoddam aridi sui oris erat refrigerium, ac si ægroto magno ardore æstuanti pauxillum liquoris instilletur. Deinde admodum diu vino abstinuit, solo Paschatis die, in tantæ solennitatis honorem, eius vsum sibi permittens. Cum iam siti eiusmodi diu laboraret, nec tamen præ animi rigore, neque aqua neq; vino sibi mederi vellet, simulq; miserandum in modum in cælum respiceret, contigit vt quadam vice eiusmodi Dei instinctum vel responsum intus sentiret: Animaduerte vt ego olim mortis angoribus correptus, sitim aridissimam modico aceto & felle tolerarim, cum tamen mei essent omnes fontes aquarum, vtpote à me conditi, sicut & cætera omnia in vsum ac sustentationem hominum. Ita ergo tu quoque, si meis vis ingredi vestigijs, penuriam & subtractionem feras moderate ac benigne. Quodam tempore ante natalem Christi omnibus corporis commodis ac fomentis prorsus valefaciens, præter communia illa diu vsitata exercitia, tres insuper alias corporales exercitationes vel afflictiones assumpsit. Prima ex his erat quod noctibus post Matutinas pre-

Ioan. 19. Luc 23. Marc. 15. Matt. 27.

I.

ces coram summo Altari stetit nudus plantis in lapidibus donec aduentaret dies. Idque faciebat, quando sunt noctes longissimæ, & citius ad nocturnam Synaxim fratres excitantur.

II. Altera erat, quod neque noctu neque interdiu ad calida accessit loca, nec ad Altare voluit manus igni calefacere: quanquam id temporis, quod esset acerrimum frigus, manus eius immaniter intumuerant. Post Completorium ita totus frigore correptus, in suam sedem dormitum se reposuit. Post nocturnas preces mansit, vt dictum est, nudis pedibus coram Altari in pauimento lapidibus strato, donec appropinquaret dies. Tertia erat, quod per diem omni sibi potu interdixit, quamlibet vehemens eum teneret sitis: sola prandij hora dempta, vbi tum non patiebatur sitim. Atque adueſperascente die, tam dira cruciabatur siti, vt omnis eius natura potui inhiaret: quod tamen premebat ipse & obluctabatur non mi multiplici eodemque acri dolore. Os eius foris & intus perinde arescebat, vt solet ægris morbo correptis: lingua scindebatur, adeò vt postmodum vno & eo amplius anno non posset refici. Quando stabat ad Completorium sitibundus, atque ex more aqua benedicta adspergeretur, magno desiderio hianti ore ad aspergillum se vertebat, si qua fortasse guttula arescenti linguæ eius præberetur, vnde pauxillum caperet refrigerij. Deinde cum ad Collationem, vt vocant, in mensa sedens, licèt valdè sitibundus, vinum à se remoueret, nonnunquam erectis sursum luminibus, ait: Accipe pater cælestis in sacrificium sanguinis cordis mei, hunc

III. Vt sibi potu omni per diē interdixerit.

In aridissima siti quid fecerit.

vini

vini potum, & præbe illum filio tuo nimia siti affecto, iamiamque in cruce morituro. Quandoque tam acri vexatus siti, ad fontem accedens, contemplabatur aquam leni susurrio indescaturientem, atque in cacabum stanno intrinsecus obductum exilientem, simulque oculos erigebat ad Deum alta imo ex pectore trahens suspiria. Interdum plus nimio grauatus, ex intimo cordis ait ad Dominum: O bonitas sempiterna, *quam occulta sunt iudicia tua*, vt cum mihi tam propinquus sit vastus ille lacus Constantiensis, itemque præterfluentis Rheni vnda perspicua, nihilo minus haustus aquæ vnicus mihi contingere non possit. Id verò miserrimum est. In hoc instituto perseuerauit ad id vsque temporis, quo recitatur Euangelium, vbi Dominus fertur aquam in vinum commutâsse. Eadem Dominica vesperi ad mensam residens miseria confectus, cibum capere non poterat ob sitis nimietatem. Simul autem vt gratiarum actiones dicebantur, actutum properabat ad Sacellum suum: neque enim præ afflictionis intolerabili vehementia vltra se cohibere poterat: fuditque ingentẽ lachrymarum vim, dicens ad Dominũ: O Deus æternæ, qui solus laborem & dolorem considéras, quâ planè miser editus sum in hanc lucem, vt cum mihi abunde suppetant vitæ sustentandæ necessaria, tantam nihilo seciùs, tamq; diram me oporteat penuriam perpeti. Sub his querimonijs visus est sibi in anima huiusmodi audire vocẽ: Bono sis animo, propedíẽ diuinitus gaudio & cõsolatione afficieris. Facessant lachrymæ fortis athleta Dei, sume animum, ac probè te ge-

Rom. 11.

Ioan. 2.

Psalm 9.

Nimia siti cõtabescens vt in animo solatium acceperit.

te geras. His verbis corde ita est confirmatus, vt à lachrymis nonnihil cessaret, nec tamen poterat omninò lętus esse: sed simul vt lachrymarum stillæ ex oculis profluerent, intus aliquid eum ridere compellebat ob euenturum ipsi breui diuinitus iucundum quiddam & prosperum. Ita affectus, iuit ad Completorium. Ot quidem psallebat, sed corde tremulo, atq; interim videre sibi videbatur citius ab hac cruce liberatum iri: quod etiam paulo post accidit eademq; nocte id aliqua ex parte cœpit in hunc modum: In visione contuitus est virginem matrem cum puerulo IESV ea specie, qua erat septennis in terris, ad se venire, eundemq; infantulum habere in manibus poculum aqua plenum, paulò maius quam erat scyphus cœnobio vsitatus. Porrò idem poculum beatissimæ virginem in manus sumere, atq; ipsi offerre, vt biberet. Quod ille accipiens, auidè bibit, & prototo sitim omnem profligauit. Ibat tum temporis in agro per angustam semitam, & ecce pauperem quandam, at honestam, sibi viam fœminam venire obuiam, quæ cum propius accessisset, ex itinere sicco secedens, in lutum se demisit, donec pertransiret. At illa se vertens, ait ad eum: Quid sibi vult Domine venerande, quòd ipse quamuis sacerdotij honore præditus, mihi inopi tanta humilitate cedere voluisti, cum tamen ego potius tibi deferre debuerim? Respondit ille. Equidem consueui cunctis fœminis honorem præstare ac reuerentiam, ob illustrissimam Dei matrem cæli reginam. Leuatis illa in cælum oculis ac manibus. Oro, inquit, & obsecro præstantissimam illam Dei geni-

Visio Susonis consolatoria

Vt Virginem Matrem in omnibus fœminis honorare consueuerit.

genitricem, ne ex hac emigres vita, quin peculiare quoddam ab illa consequaris beneficiū, quam tantoperè in nobis omnibus veneraris. Ad quod ille, Præstet, ait, id mihi præclarissima ea cæli imperatrix. Paulò pòst contigit, vt tametsi potus ei multiplex affatim adfuisset, nihilosecius pro more sitibundus à mensa abscederet. Nocte proxima in visu cælestis quædam miri decoris persona illi apparens. Ego, inquit, sum virgo mater, quæ nocte præterita potum tibi præbui ex poculo testaceo, & quoties iterum tam infesta cruciaris siti, ego itidē tereficiam misertа tui. Tum ille magna fiducia ait ad eam: Nihil tamen virgo intemerata in manibus habes, quo meam possis leuare sitim. At illa: Potum, ait, salutiferum tibi præbebo ex ipso corde meo manantem. Quibus verbis sic ille perterritus est, vt responsum reddere non posset, vtpote qui eo se indignum putaret. Atqui virgo sacratissima benignè eum consolans, dixit: Quandoquidem Dominus IESVS tam suauiter tuo se cordi immersit, idque ariditate oris tui tam cruciabiliter emeritus es, singulari hac à me consolatione afficieris: neque vero corporali te potu reficiam, sed salutari quodam præstantiq; ac spirituali intimæ ac integræ puritatis. Tum ille consensit vt verę, interim secum ita cogitans. Iam planè satis superq; potauero, quo tandem liceat ingentem propulsare sitim. Vbi verò cælico illo est potu abunde recreatus, mansit ei in ore quasi molle granum quoddam niuei coloris, cuiusmodi manna fuit. Idque in veritatis argumētum diu satis in ore retinuit. Hinc in ardentes lachry-

Alia visio.

Vt cælesti potu sitiardens fuerit recreatus Exod. 16.

lachrymas solutus, gratias egit medullitus Deo & eius sacratissimæ genitrici pro tanto sibi ab ipsis præstito beneficio. Eadem nocte Dei genitrix sancto cuidam homini alibi morati sese visibilem exhibens, qua ratione pœnam illi præbuisset, significauit: hæcque addidit: Vade ad filij mei Ministrum, & dic ei verba meis, quemadmodum literis proditum est. præclaro illo Doctore Ioan. Chrysostomo, quod cum puer scolasticus esset, & ante aram se demitteret in genua, vbi ego ipsa in ligneæ imagine filium meum in sinu meo lactui, per eandem imaginem dixi filio, vt paulisper cessaret, sineretque puerum ante dictum meam bera fugere: dic illi, inquam, eandem gratiam in visione ipsi quoque per me præstitam esse. Atque in veritatis argumentum, si animaduerteris, senties deinceps doctrinam ex sancto eius ore proficiscentem, auditu longè quàm antehac gratiorem & feruentiorem, ac magis etiam desiderabilem. Hęc cum ad illum relata essent, sublatis sursum manibus, corde & oculis, ait: Benedicta sit vena perpetim scaturientis diuinitatis, itemque benedicta sit dulcissima tota gratiæ mater pro hoc cælesti munere mihi indigno exhibito. Huius simile quiddam Lector offendet in prima parte Speculi Vincentij. Porrò idem sanctus homo etiam hæc addidit. Et præterea aliud, quod tibi significem. Hac nocte virgo cum puerulo suo mihi per visum apparuit, habens in manu elegans poculum aqua plenum. Ipsa verò & puerulus honorificam & benignam tui habuêre mentionem. Deinde mater filio obtulit poculum, rogans vt illi benedicat

Io. Chrys. à virg Matre lactatum in pueritia fuisse.

Vino, siti arescens Suso, rursum iubetur frui.

1. Tim. 5.

pediceret. Fecit ille vt mater voluit, & confestim aqua transijt in vinum: dixitque. Sufficit iam: nolo vt deinceps Minister meus hoc genus exercitij prosequatur, vt vino abstineat. Vtatur posthac vino ob naturam suam exhaustam & confectam. Hac igitur illi potestate facta à Deo, deinceps (vt ante solebat) vino vsus est. Eadem tempestate admodum fractus erat ex antedictorum exercitiorum & castigationum, quibus tam multis sese afflictârat annis, nimietate. Apparuit autem Dominus IESVS cuidam amico suo, ferens pyxidem in manibus. Interrogatus ab eodem sancto homine, quid sibi vellet illa pyxide: Ex hac, inquit, mederi volo Ministro meo ægre affecto. Et ecce ipsum adijt Ministrum, aperuitque pyxidem recenti plenum sanguine, eodem tinxit, siue liniuit cor Ministri, adeo vt prorsus cruentum redderetur: deinde manus, pedes, cunctaque eius membra eodem sanguine perunxit. Tum sanctus ille homo, qui hæc in visione conspiciebat: Quamobrem, ait, Domine ita eum sanguine consignas? Visne illi quinque vulnerum tuorum similitudinem imprimere? Respondit Dominus: Ita nimirum: siquidem cor totamq; naturam eius cruce & afflictione signabo, eumque adhibitis medicamentis curabo, faciamq; eum hominem iuxta omne cor meum. Cùm igitur Minister eiusmodi duris corporis afflictionibus, quales superius partim commemoratæ sunt, deditam egisset vitam à decimooctauo vsque ætatis suæ anno ad quadragesimum, omnisque natura siue corpus eius plane confectum & consumptum esset, nihilque præter mor-

visio cuiusdã viri sancti de Sapientiæ Ministro.

22. annis durissimis afflictionibus agitatus.

mortem supereſſe videretur, niſi à talibus abſtineret, deinde miſſas illas fecit. Significatum eſt autem illi à Domino, eum viuendi rigorem & auſteritatem, cunctaq; illa inſtituta & exercitia, non niſi bonum quoddam initium fuiſſe, & indomiti corporis ſui mortificationem atq; edomationem: porro adhuc alia ratione eum premi & exercitari oportere, ſi modo recte cum ipſo agi deberet.

Vt ad rationalem quandam veræ reſignationis ſcholam miſſus ſit.

CAPVT XXI.

POſt hæc ſedens quadam nocte poſt matutinas preces in ſedili ſuo, inter meditandum factus eſt in ecſtaſi, putauitq; ſe in viſu illo interno egregium quendam iuuenem ſupernè venientem cõſpicere, ſibiq; adſtantem hunc in modum proloqui: Diu ſatis in minoribus ac triuialibus verſatus & exercitatus es ſcholis, iam tempus eſt, vt ad altiora conſcendas. Agè igitur mecum perge. Equidem ad principium huius temporariæ vitæ Gymnaſium te perducam, vbi præclariſſimæ dabis operam ſcientiæ, quæ veram tibi præſtabit pacem, & bona initia ad felicem deducet exitum. His illa lætior effectus, ſurrexit. Atverò Iuuenis apprehenſa manu eius, duxit eum (vt ipſi videbatur) in regionem quandam ſpiritalem, vbi erat insignis domus, habitu ac ſpecie cœnobij cuiuſdam, in quo ſpiritales homines degerent. In hac domo illi morabantur, qui iã dictæ ſcientiæ ſtudiosi

studiosè vacabant. Ingressus autem intro, comiter ac benignè receptus & salutatus est ab illis. Moxq; properarunt ad illius Pædagogij præfectum siue Rectorem, certiorem eum reddentes de cuiusdam aduentu, qui se in eius disciplinam tradere, & artem memoratam perdiscere statuisset. At ille se faciem eius contemplari velle respondit, & quid eo sperandum foret perspicere. Viso igitur illo, suauiter arrisit, aitq; : Poterit profecto hospes hic noster in insignem huius præcellentis scientiæ Magistrũ euadere, si æquanimiter sese velit offerre ergastulo, in quod eum conijci necesse est. Verba hæc obscurius prolata Minister necdum intelligens, vertit se ad iuuenem illum, qui ipsum introduxerat, hunc in modum scisciţans ex illo: Dic mihi, inquit, charissime, quænam est hæc præcipua Academia, eiusq; disciplina, cuius apud me mentionem habuisti? Respondit Iuuenis angelicus: Excellẽtissima huius Gymnasij disciplina non alia est, quam perfecta sui abnegatio & resignatio, qua quis vsqueadeo à seipso deficiat & moriatur, vt qualemcunque se illi Deus exhibuerit siue per seipsum, siue per creaturas, & tam in aduersis, quàm prosperis, semper æquabili & eodem esse animo nitatur cum abnegatione suî & quicquid ipsius est, quatenus quidem humana id potest præstare imbecillitas, solamque Dei laudem & honorem spectet: quemadmodum Christus Iesus erga cælestem Patrem suum perpetim sese gessit. Placebant ista Sapientiæ Ministro, dicebatque omninò se huic velle studere scientię, nec quicquam tam molestum ipsi posse occurrere, vn-

dè ab hac sententia retraheretur: iamque incipiebat moliri domicilij cuiusdam ædificium, & multis sese inquietis occupare actionibus. Quod Iuuenis prohibens, ait eam artem tranquillum & religiosum expetere otium: quantoq; minùs quis ageret, eo reuerà plus eum facere: de ea videlicet actione loquens, qua quis seipsum impedit, nec purè spectat honorē Dei. Hoc finito sermone, ilicò ad se redijt Minister, sedensq; tacitus, alta cœpit mēte reuoluere quæ audiêrat, aduertitq; verò prorsus esse consentanea, & quæ ipse Christus docuerit. Itaq; ipse secum intus colloquens, ita ait: Introrsus adspice & vide quam reipsa tete modo deprehenderis, vtqúe cum omnibus ante memoratis externis exercitijs, quæ ex tuo tibi arbitratu adhibuisti, etiamdum irresignatus sis ad externam siue ab alijs irrogatam perferendam aduersitatem. Adhuc lepusculi trepidantis, atque alicubi inter arbusta latitantis, & ad omnem cuiuslibet folij strepitum extimescentis in mortem, ad aliundè occurrentes afflictiones quotidiè expauescis, ad adspectum eorum, qui tibi contrarij sunt, colorem mutas: vbi emori ac succumbere deberes, fugis: vbi teipsum paratum simpliciter offerre, latitas. Si quidem laudibus veharis, rides: si vituperaris, doles. Quamobrem facilè crediderim, sublimioris Scholæ exercitationibus opus tibi esse. Mox profundo pectoris suspirio tollens oculos ad Deum, ait: O Deus æterne, quam liquido veritas ipsa mihi explicata est? Heu me, quando tandem verè resignatus ero?

Luc. 10.

Redditus sibi vt se reprehenderit.

De

De quibusdam molestiis sui abnegationibus.

CAPVT XXII.

POsteaquam Deus externa illa partim antè iam dicta exercitia, quæ illi vitã penè extinxissent, Ministrum omittere iussit, vsqueadeò hoc ipso delassata & exhausta eius natura exhilarata est, vt præ gaudio fleret, cum in memoriam rediret asperrimorum ligaminũ ac vinculorum, & aliorum, quę durè ac acerbè tulisset. Voluebantur tunc eius in animo huiusmodi cogitationes. Deinceps Domine Deus vitam quietam agam, mihiq; indulgebo: sitim aqua & vino propulsauero: absque vinculis in facco stramineo cubabo: quod mihi commodi vel ante mortem præstari sæpius expetij. Satis superq; vires attriui meas: iam requies captanda est. Id genus temerariæ cogitationes, eius sensibus illabebantur: atqui nesciebat ille, quid de ipso statuisset Deus. Cumq; iam aliquot hebdomadibus huiuscemodi cogitationibus sensus eius pulsarentur ac velut recrearentur more solito residens in sella sua, mente tractabat verissimam illam D. Iob. sententiam. Militia est vita hominis super terram: Interim rursus ecstasim patitur, videreq; sibi visus est quẽdam spectata forma ac virili habitudine iuuenem ad se ingredi, duasque sibi ocreas militares inferre, itemque vestes alias, quibus vtuntur strẽnui equites: deinde ad ipsum accedere, & vestibus his indutum: ita affari: Noueris miles, hactenus te pedibus militasse, at nunc equitem te gerere vult Deus. Intuebatur ille ocreas suas, & cum

Iob 7.

Visio alia ecstatica.

cum grandi cordis admiratione ait: Papæ, quid mihi accidit, quid me factum est? Itáne o ques ero, qui hactenus libentius ocio & quies perfrui consueui? Dixitq; ad Iuuenem. Quando ita visum est Deo, vt sim equestris ordinis, si quidem aliquo in conflictu vel concertatione id mihi dignitatis cum laude peperissem, foret eo nomine mihi optatius, iuuenis autem so parumper vultu subridens. Noli, inquit, hac in parte esse anxius, satis superq; multa tibi prębebitur dimicandi occasio. Nimirum quis quis spiritalem ac strenuum Christi militem præstare se appetit, multo illi plures immaniores esque eluctandæ ac subeundæ erunt pugnæ angores, quam olim illustribus illis eximiis ducibus ac heroibus, quorum res bellicas insignesque triumphos homines mundani verbis & carminibus celebrant. Persuasum tute habes Deum iam tuo te absoluisse iugo, & vincula abiecisse: ac deinceps vacandum tibi esse commodis & quieti. At secus multo sese res habet. Non vult Deus vinculis te liberare, sed ea mutare duntaxat, longeq; efficere grauiora, quam antehac vnquam fuerint. Territus his valde Minister ait ad Dominum: Ecquid tandem me facturus es Domine? Putabam ego certamina cuncta me iam superasse, & vt video, nunc demum inchoanda sunt, iamq; acriùs vrgeri & angi mihi videor. Quid hoc sibi vult Deus meus? Solusne ego peccator sum, & alij omnes iusti sunt, vt in me miserum tam seuerè animaduertas, cæteris parcas? Ita mecum agis ab ineunte ætate mea, semperque iuuenile corpus meum diuturnis ac diuturnis excruciâsti morbis, videbarq; mihi

Militi Christi strenuo plura maioraque reseruari certamina, quã olim heroib.

Habac. 1.

mihi iam multa satis perpessus. Ait ad eum Dominus: Minimè verò: necdum satis exercitatus es. Si vis rectè tecum agi, modis omnibus funditus vt proberis, necesse est. Tum ille. Quæso, inquit, Domine, quot mihi etiamdum perferendæ sint cruces, indicare ne graueris. Gen. 15. Cui Dominus, Suspice, ait, cælum, & si potes innumeras numerare stellas, poteris etiam adhuc euenturas tibi afflictiones numero complecti. Atq; vt stellæ quãuis prægrandes sint, tamen exiguæ videntur: ita etiam cruces tuæ paruæ videbuntur hominibus non exercitatis, quas tamen tu duras & acerbas admodum experieris. Et Minister ad Dominum. Precor, inquit, cruces ipsas ante mihi significes, vt eas cognitas habeam. Ad quod Dominus. Minimè, ait, id opus est, immo verò præstat eas vt ignores, ne ante animo collabaris. At tamen ex innumeris, quas oportebit perpeti, crucibus non nisi tres commemorabo. Prima est, quod hactenus quidem ipse te cecidisti manibus tuis, ac tui misertus, cessabas dum volebas: at nunc è tuis manibus ereptum alijs te absque vlla tui defensione male tractandum obijciam, vbi necesse erit, vt in quorundam cæcutientium cordibus famæ & existimationis tuæ magnam patiaris iacturam, quæ res longè tibi erit toleratu acerbior, quam crux illa acutis referta clauis, dorso tuo fuerit. Enimuerò ex superioribº exercitijs tuis laudem & gloriam apud homines obtinuisti, atqui hîc depriméris, planeque habeberis pro nihilo. Altera est, quamuis numerosis dirisq; tete mortibus afflictaris, nihilominùs Dei permissu natura tibi permánsit

Ex omnibus perferendis tres solum illi prædicuntur cruces.

Prima.

Secunda.

amicabilis, & quæ cupiat amari, sed nunc quibus in locis peculiarem quãdam fidem & charitatem aucupaberis, grandem experieris infidelitatem, & dirè affligeris ac vexaberis, idque tam multis modis, vt qui te sincera fuerint complexi fide & beneuolentia, ijsdem tecum molestijs ex commiseratione inuoluendi sint. Tertia. Tertia est, hucusque vbera suxisti velut infantulus necdum ablactatus, atque in diuinæ dulcedinis affluentia tanquam in pelago natasti. Ideq; posthac neutiquam tibi præstitero, sed præterna paupertate arescere ac tabescere te sinam, erisque & à Deo & ab hominibus derelictus, pariterque & ab amicis & ab inimicis immaniter diuexaberis. Et vt paucis multa complectar, quicquid pro tuî consolatione & commodo molitus eris, prorsus in contrarium abibit. Fuit his verbis ita consternatus Minister, vt totus corpore contremisceret, exilienſque cum impetu, crucifixi specie se humi abiecit clamãque ad Deum lugubri corde & voce lachrymabili, precabatur, si fieri posset pro sua paterna benignitate his ipsum calamitatibus non pateretur inuolui: sin minus id posset, æternæ sue definitionis voluntas in ipso perficeretur. Cumque aliquamdiu his angustijs correptus, ijsdemque precibus intentus iaceret, audiuit quandam intra se vocem eiusmodi. Sis bono animo: ego ipse tecum ero, efficiamque vt cuncta hæc feliciter superes ac eluctaris. Surrexit ergo, seseque Dei manibus permisit. Porrò manè exoriente, cum in cubiculo suo post Missæ sacrificium sederet tristis, atque hæc animo pertractaret, simulque ob hyemis asperitatem frigo-

frigore correptus esset, vocem cuiusdam intra se loquentis sensit, ipsique dicentis, vt fenestra patefacta, prospiceret ac discereret. Aperuit ille & prospexit. Ecce autem canis quidam per medium cœnobij ambitum cursitans, ore gestabat pannum detritum quo pedes obuoluuntur, mirumque illo panno ludum exercebat, modò sursum, modo deorsum eum iactitans, vnguibusque lacerans. Suspexit in cælum Minister, & ex profundo ingemiscens pectore, audit hæc intra se verba edi: Eodem plane modo tu quoque fratrum tuorum ore tractaberis. At ille ita secum cogitabat: Quando aliter fieri non potest, resignes tete, & vt pannus iste vexationes omnes tacitus suffert, idem ipse quoque facias. Descendit autem, tulitque pannum illum, & multis annis vt rem pretiosam asseruauit, ac si quando ex impatientiæ vitio prorumpere voluisset, protulit pannum, vnius contemplatione rediret ad se se, seque cognosceret, atque erga omnes intra silentium se se teneret. Si forte quandoque faciem ab ipsum prementibus cum quadam dedignatione auertisset, intus obiurgabatur cum his verbis: Memineris vt ipse Dominus tuus elegantissimam faciem meam non auerterim ab increpantib⁹ & conspuentibus me. Mox ille acriter dolens, benignè ac placidè ad illos se se conuertebat. Principio si qua illi crux accidisset, hoc pacto cogitabat: Vtinã Deus bone ab hac afflictione absolut⁹ essem. Apparuit autẽ illi puer Iesus in visione ipso Purificationis die, reprehensoq; ait. Necdũ benè perpeti nõsti: equidẽ hoc te docebo, Cũ aliqua laboras cruce, non debes illius

Ad quid pannum lacerum planeque vilissimum secũ asseruauerit.

Isa. 50.

ſpectare finem, quaſi tum requieſis potiturus, ſed dum crux ipſa perſeuerat, ſubmittas tete, atque ad aliam æquanimiter excipiẽdam pra-

Cruce vel afflictione gratus quid ſpectare debeat.

pares. Sic prorſus decet. Imiteris virginem roſas carpentem, quæ non ſtatim contenta eſt vnam è ſentibus decerpſiſſe roſam, at plures colligere ſtatuit. Ita, inquam, & tu facias. Sis animo præparato, ſimulatq; præſens crux finem acceperit, ad aliam eueſtigio capeſſendam. Inter alios Dei amicos, qui ipſi euenturas propediem cruces ante ſignificabant, præcipuè cuiſdam ſanctimoniæ virgo ipſum adijt, dicens ſe in Angelorum ſolennitate poſt Nocturnas preces multum ſerio Dominum pro ipſo deprecatam fuiſſe. Viſa autem ſibi eſt, vt aiebat, in viſione duci ad locum, vbi erat ipſe Miniſter: perſpexitq; ſupra ipſum excreſcere roſarium latè & amplum ac peramœnum, vernantibus plenum roſis, ijſdemque rubicundis. Porrò ad cælum tollens oculos, vidit Solem miro ſplendore nullis impeditum nubibus oriri: atque in ipſis radijs ſiue lumine pulcherrimum ſtare puerulum, forma crucifixi: cæterum ex ipſo Sole radium quendam in ipſius Miniſtri cor proficiſci, tantæ virtutis & efficaciæ, vt cuncta eius membra & venæ omnes inflammarentur. Atquì roſarium illud denſum roſis refertum, ſeſe interponens nitebatur ab eius pectore ſolis ſplendorem mouere & excludere: ſed nequibat: quandoquidem micantes illi radij magna vi frutices omnes penetrabant, ſeſeq; in cor Miniſtri infundebant. Poſt hæc intuita eſt puerulum illum ex Sole prodeuntem, aitq; illi. Quorſum tendis bone puer? Ad mihi charisſimum,

mum, inquit, ministrum meum. Et illa. Quid sibi vult, ait, puer dulcissime splendor ille Solaris in eius pectore? Respondit puer: Tanta cor illius perfudi lucis claritudine, quod eiusdem luminis repercussus quidam ex illo erumpens, multorum ad me corda reducet ac pertrahet: neque id præpedire poterit densum hoc rosetum, multiuarias ipsi adhuc perferendas cruces significans, quo minus præclarè ac excellẽter in ipso perficiatur. Quando verò abstracta vita homini incipienti cumprimis vtilis est, consultissimum sibi fore visum est, vt in suo Cœnobio decem & eo amplius annos permaneret, ab omni hominium familiaritate atque toto Mundo separatus. Surgens à mensa, in suo se incluſit Sacello, ibiq; permansit, & neque ad Cœnobij portam, neque alibi siue cum fœminis, siue cum viris sermonem protrahere, aut eos adspicere voluit. Præfixerat certos eosque angustos suis oculis limites, quos excedere nõ deberent, nempe spatium pedum quinque. Sẽper hæsit domi, nusquam neque in oppidum, neque in loca finitima progrediens, sed vni duntaxat sibi suæque solitudini vacans: Quæ tamen omnia nihil illi contulere, quin eodem anno tam diris infestaretur crucibus, vt & ipsum suî & alios misereſceret. Vt autem Sacelli illius solitudinem, in quam seſe velut in carcerem toto illo decennio sine ferro recluserat, suauius ac moderatius ferret, precibus contendit à pictore quodam, vt Patres antiquos, & eorum sententias quasdam, itemque nonnulla alia prorsus pia, quę hominem afflictum excitarent ad patientiam, ad parietes depingeret.

Incipienti vitam abstractã quid consultissimum.

At hîc quoque Deo permittente non statim ad voto potitus suo. Simul enim atque pictor Patrum imagines carbone delineârat, oculis laborare cœpit, nec potuit præ caligine cœptum opus prosequi. Quam ob rem discedendi copiã petijt, asserês opus ita dimitti oportere, quoad reualesceret. Interrogans verò quantum necesse esset temporis intercedere, dum melius haberet, respondit, menses tres. Tum ille eum minister scalam denuò erigere, quam ascendens manus ad imagines applicuit, ijsdemque ægros pictoris contingens oculos, dixit: virtute DEI & sanctitatis Patrum istorũ principio tibi Pictor, vt cras huc oculis omnino bonis reuertaris. Mane facto, lætus & incolumis redijt, gratias agens DEO & ipsi prorediti oculorum vsu. Atquì Minister non sibi, sed sanctis Patribus, quos manibus contractare hoc acceptum retulit. Videbatur illis temporibus DEVS cunctis & dæmonibus & hominibus ipsum affligendi facultatem præbuisse. Innumeras tum dæmonum vexationes sustulit, vtpote qui exquisitis ac acerbis eum modis pertulantissimè ac procacissimè noctu diuque vigilantem, dormientemque cruciarent, acerbe maniter affligerent. Contigit quandoque vt edendi carnes eum cupido inceserét: siquidem multis annis illis abstinuerat. Vt autem sumptis carnibus satisfecit desiderio, in visione terrimus quidam cacodæmon coram illo astans hunc recitauit versum: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*, grauique latratu dixit ad circumstantes: Monachus iste reus est mortis, qua ego nunc illum mul-

Pictoris cuiusdam oculos manuum cõtactu Suso sanitati restituit.

Dæmones quam ipsum dirè afflixerint.

mulctabo. Quod cum alij nollent permittere, immanem protulit terebram, aitque ad illum: Quando aliud tibi irrogare non sinor, corpus tuum hac terebra torquebo, oreque perforato tantum tibi inferam doloris & supplicij, quantum ex carnibus voluptatis cepisti: moxque ad os terebram adegit, vnde confestim maxillæ & dentes atque os adeo intumuerunt, vt toto triduo neque carnes, neque aliud quicquam per os inferre posset, quantum sugendo perciperet.

De quibusdam vexationibus internis.

CAPVT XXIII.

INter alias afflictiones suas, tres internas perquam molestas pertulit. Quarum vna erat, cogitationes impiæ contra fidem. Incidebant animo illius id genus susurria: Qui tandem DEVS potuit homo fieri? atque his similia multa, quibus quanto amplius sese volebat argumentando opponere, eò magis implicabatur. Hac tentatione annis nouem laborauit, flens interim atque eiulans oculis & corde ad Deum & sanctos omnes pro impetrãdo auxilio. Tandem vbi Domino visum est opportunum, penitus hac eum liberauit ingens{que} illi diuinitus collata est firmitas fidei illuminatæ. Altera erat inordinata tristitia. Fermè continuè tanto animi pondere premebatur, quasi montẽ totũ in suo gestaret pectore. Id illi hinc partim accidit, quod subita eius ad Deum cõuersio tã fuerat vehemens, vt corpus eius ad

Cõtra fidem quî tentatus, & quamdiu.

Inordinata tristitia vnde illi proueneri, & quamdiu adhæserit

modum

modum inde angeretur. Hãc moleſtiam anno octo ſuſtinuit. Tertia fuit, tentatio quædam illi perſuadere volens, nunquam eum poſſe ſalvum fieri, ſed æterno apud inferos cruciandum eſſe: quantumuis bene ageret, quantumcunque ſeſe exercitaret, non poſſe illi conferre, quicquam, vt ad electorum numerum pertineret, ſed omnem ſe operam atque oleum perdere. His cogitationum aculeis pungebatur noctes atque dies. Accedentem ad templum, aut aliud quippiam boni molientem, iſta mox tentatio inuaſit, ſatiſq; miſerè compellauit his verbis: Ecquid prodeſt tibi ſeruire Deo? tamen male dictus es, nunquam tamen poterit tibi conſuli: iam maturius deſine, actum eſt tamen de ſalute tua, vtcunque te geſſeris. Quæ cum ſentiret, ita quandoque cogitabat. Heu me miſerum, quo me vertam? Si cucullum excuſſero, certe me manet damnatio, ſin autem hic permanero, nec ſic tamen potero ſalutem conſequi. O Deus æternæ, quis me vnquam vixit infelicior? Sedebat quandoque in ſeipſo attonitus, crebroſq; ex alto pectore trahebat gemitus, manantibus per ora lachrymis. Tũdebat interdum pectus dicens: Itane Domine Deus perire me omnino neceſſe eſt? Quid hoc poteſt eſſe calamitoſius? Adeone & in iſto & futuro ſeculo miſer vtique oportet? Heu mihi, quod vnquam in hanc lucem editus ſum. Hanc tentationem ex inordinato quodam contraxit metu. Dictum namq; illi erat, ad Cœnobium receptum eum fuiſſe pro quibuſdam bonis temporarijs, quod eſt Simoniæ vitium, vbi ſpiritalia temporalibus comparantur. Hoc alto illi manſit fixum pe-

Quantum deſperatione ſalutis conſequendæ fuerit afflictus.

Deſperatio hæc vnde habuerit originem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctore, donec in hanc vexationem incideret. Cæterum posteaquam annis decem teterrimã hanc afflictionem tolerârat, atque toto illo tẽpore non nisi ceu damnatum se respexerat, venit tandem ad virum sanctissimum D. Eckardum Theologiæ Doctorem, cui cum suam explicasset molestiam, illius cõsilijs liberatus est, euasitque ex Tartari carcere, in quo tot annis fuerat demoratus.

Qualiter hac horribili tentatione fuerit liberatus.

Vt ad proximorum procurandam salutem sese transtulerit.

CAPVT XXIV.

CVm annis plurimis non nisi suo vacâsset interiori homini, itemq; silentio ac solitudini, deinde multis reuelationibus diuinis compulsus est ad aliorum promouendã salutem animum applicare. Quæ verò illi in hoc officij ac pietatis genere aduersa occurrerint, neque numerum, neque modum habent. Atque ediuerso quam innumeras Domino lucratus fuerit animas, quandoque ostẽsum fuit spectatæ religionis virgini cuidam, quę & ipsa spiritalis eius filia erat. Namq; inter orandum in spiritu rapta, vidit hunc fratrẽ in alto quodam monte Missæ sacrificium peragere, atque innumerabiles homines ipsi adhærere, diuersos inter se, singulos quosque vt erant Deo cõiũctiores, ita & ipsi quoq; propinquiores: quãtoq; illi essent propius vniti, tanto etiam Deum ipsos ad se familiarius adiungere. Adspiciebat eum multum serio pro cunctis illis deprecari Deum,

Deum, quem manibus tenebat. Petijt autem diuinitus hanc sibi visionem explicari: quod illi præstitum est, dicente ad eum Domino: Innumeram hanc hominum frequentiam quos illi inhærere conspicis, eos significant nôris, qui illi confitentur, in eiusque disciplinam sese tradiderunt, aut citra hoc spectabili cum fide & beneuolentia complectuntur: quos omnes adeò ille mihi commendauit, vt vitam eorum sim fine beato clausurus, ne à me vnquam eos separari patiar. Quicquid autem huius causa illi vel alienæ vel spontaneæ afflictionis erit illatum, satis abunde meis consolationibus compensabitur. Antequam hæc iam dicta eximiæ sanctitatis virgo Ministrum hunc æternæ Sapientiæ agnosceret, intus à DEO mota ac instigata fuit vt videndum eum. Contigit autem, vt mentis excessum patiens, per visum audiret dicentem sibi quendam, vt eò veniret vbi erat Minister, eumque conspiceret. Quæ cum respondisset, se præ fratrum multitudine eum non posse internoscere, mox dictum est illi: Haud difficile inter alios agnosci potest, quod venantem in capite coronam gerat, rubentibus & albicantibus intermixtam rosis, perinde vt sertum rosaceum, significantque albæ rosæ eius puritatem, & rubræ eius inter multijuges perpessiones tolerantiam, atque vt aureus ille circulus, qui in diuorum capitibus pingi solet, eorum designat æternam qua in DEO perfruuntur, beatitudinem, ita corona hæc rosacea multiuarias exprimit afflictiones DEI amicis perferendas, dum in hac vita sunt

Aureus circulus in diuorũ imaginum capitibus quid designet.

quid

iuis exercitationibus Deo ac Domino ſuo militant. Poſt hæc duxit eandem virginem angelus Dei in viſione ad id loci, vbi degebat Miniſter, ſtatimque ex corona roſacea agnouit eũ. Hiſce temporibus, quibus dire ac multifariam affligebatur, præcipua ei erat intus animi coroboratio, perpetua angelicorum ſpirituum conſuetudo & familiaritas. Quadam vice ſenſibus externis deſtitutus, in ſpiritu ſe duci vidit ad locum quendam angelicorum ſpirituum frequentia confertiſſimum, ex quibus qui illi erat proximus, ait ad eum: Profer manus tuas & adſpice. Protulit ille manum, & reſpiciens vidit in media manu eximiam rubicundo colore prodire roſam, vernantibus cinctam folijs: adeoque roſam illam excreſcere, vt manum totam ad digitos vſque operiret, tantamque contrahere venuſtatem & gratiam, vt magnam oculis adferret voluptatem. Vertit ille manus in vtramque partem, & erat vtrobique adſpectus longè gratiſſimus. Itaque vehementer admirans, ait. Quid ſibi vult optime iuuenis iſthæc viſio? Reſpondit ille. Nimirum cruces atque cruces, itemque alias atque alias cruces à DEO præſtandas tibi ſignificant quatuor iſtæ roſæ vtriuſque manûs ac pedis. Ingemuit Miniſter, atque ô benigniſſime Deus, inquit, tam moleſtam eſſe homini crucem, & nihilo minus tantum eidem conferre decorem ſpiritalem, id vero admiranda quædam tua permiſſio ac diſpenſatio eſt.

Multiplices iotet cruces quid Suſonẽ in animo cõfirmauerit.

De cruce multiplici.

CAPVT XXV.

QVodam tempore ad oppidulum quod-
damvenit. Porrò non longè inde aberat
lignea quædam imago Crucifixi, cui ex-
tructa erat ædicula, ita vt pleriſque locis eſt conſuetudo, rumorq; ferebatur plura illic edi miracula: quam ob rem cereas imagines, multæque ceræ illuc homines comportabant, ſuſpendebantq; inibi in laudem Dei. Veniens ergo iam ipſe ad Crucifixum, ſubmiſſo poplite, quamdiu orauit, abijtq; cum ſocio ſuo ad hoſpitium. Viderat autem eum ſic orantem puella quædam ſeptennis. Nocte proxima fures perfractis ædiculæ clauſtris ceram omnem diripuerunt. Illuceſcente autem die, rumor in oppidulum peruolauit, reſq; delata eſt ad ciuem huius imaginis tutorem. Ille mox inquirere cœpit, quiſnam id ſacrilegij perpetrâſſet. Tum memorata puella ſe eius authorẽ ſceleris nõminauit. Quæ cum vrgeretur nomen illius prodere, Miniſtrum indicauit, dicens illum ſeptimo eius diei ſerò admodum illic orantem perſpexiſſe, atque inde ad oppidum recedentem. Fit puellæ verbis ciuis ille vt veris fidem mox adhibuit, atq; longè & latè id mendacij propagauit, adeò vt iam per omne oppidum rumor ille commentitius peruagaretur, & tanti ſceleris miniſtrum plerique reum cederent. Multa interim iniqua in eum iactabantur iudicia, quo genere ſupplicij quamprimum ex hominum conſortio tanquam nefarius tollendus eſſet.

Inſons ſacrilegij inſimulatus.

esset. Vt autem hæc ille percepit, valde extimuit, licet planè innocentem se nôsset, atque alto cordis gemitu dixit ad Deum : Quandoquidem me pati necesse est Domine, si cruces eiusmodi mihi euenire permitteres, quæ me nõ dehonestarent, ferrem eas equidem ac lubens. Atqui ea te permittente mihi accidunt, quæ meam extinguunt famam, mihique acerbissima sunt. Permansit autem eo in oppido, donec rediret tranquillitas. Accidit alia in vrbe, vt ingens de illo rumor percrebresceret, & nedum illud oppidum, sed etiam totam regionẽ peruagaretur. Erat namque in illa ciuitate Cœnobium, vbi imago Crucifixi saxea habebatur, eiusdem vt ferebatur staturæ, cuius fuerit Dominus Iesus. Quodam autem Ieiunij Quadragesimalis tempore sanguis recens circa latus vulneris eiusdem imaginis visus est. Accurrit eo Minister vna cum cæteris, vt miri illud, cõspiceret. Viso sanguine, accessit propiùs, & excepit illum in digitum suum, adspectantibus cunctis qui illic aderant. Factus est autem ingens populi concursus, compulerunt que eum propalam edicere ecquid vidisset & attrectâsset. Dixit ille rem omnem ita vt erat, nihil definiens, vtrum diuinitùs vel humanitùs id accidisset, sed id aliorum iudicio permittens. Latè sparsus est hic rumor ilicò per illam regionem, & adijciebat quisq; quod voluit, eoq; res deducta est, vt dicerent eum vltrò sibi digitum pupugisse, & profluenti sanguine imaginem liniuisse, vt crederetur sua sponte manasse sanguinem, eumq; populi concursum excitâsse nõ alia ratione, nisi vt suæ satisfaciens auaritiæ,

Miraculi in Saxea quadã imagine crucifixi Iesu.

Vt Vitæ discrimen Suso sibi intentum euaserit.

nummos sibi plurimos conflaret. Id genus detrectationes per hominum ora alijs in locis illo volitabant. Simul autem vt ciuibus eius oppidi isthuc delatum est, noctu compulsus inde profugere: at illi eum insequi cœperant animo penitus perdendi eum, nisi euasisset. Multam verò pecuniam pollici sunt, si quis siue mortuum, siue viuum ad ipsos detulisset. Huius generis calumniæ perplures de eo iactabantur, & quocunque peruenissent, pro vera habebantur: atque ea re perplures eius nomen execrati sunt. Creberrima in eum ferebantur iudicia prorsus iniqua & temeraria. Aderant quandoque nonnulli prudentiores, qui eum nôssent, ac innocentem asseuerarent. Attamen tanta importunitate ab alijs restitum fuit, vt in silentio tenere, atque eius infamiam perpeti cogerentur. Honesta quædem eiusdem loci matrona vbi hanc illius immeritam dicitur vexationem, miseratione ducta, venit ad illum afflictum, hoc ei præbens consilij, vt à Senatu vrbis literas publico munitas sigillo acciperet, quas suæ testes innocentiæ alio secum deportaret: præsertim cum plerique omnes illius oppidi ciues, eum innocentem minimè ignorarent. Cui ita respondit: Siquidem hac sola Dei permittente vexarer cruce, facile literis me tuerer. Atquì eius generis tot mihi indies occurrunt infestationes, vt me rem omnem oporteat Deo committere, nec quicquam reniti aut obluctari. Accidit vt quodã tempore in inferiorẽ Germaniam pro celebrando (vt vocant) Capitulo demigraret: vbi tum iam antè illi parata & structa erat afflictio. Namque duo ex præ-

Vt se Deo in omni aduersitate resignârit.

puis

pijs suiOrdinis viris eodem proficiscebantur, sommoperè in eam intenti curam, vt eum graviter afflictarent. Adductus est corde tremulo ad iudicium, & inter alia multa etiam eo nomine delatus est, quod (vt ipsi aiebant) libros hæresi infectos conficeret, quibus omnis circumquaque regio deprauaretur. Hac de causa acriter obiurgatus est, multasque ei minas intentarunt, licet & apud Deum & homines prorsus esset ab hoc vitio immunis. Neque tamen satis fuit Deo hac eum cruce affligi permisisse, sed exaggerauit etiam, corpus eius acribus excruciens febribus, præter quas etiam vlcus periculosum haud procul à corde in eius viscerbus extitit: atque ex his tum internis, tum externis angustijs eovsque adductus est, vt eius vitam omnes desperarent. Socius eius crebrò eum adspectans, animæ illius exitum obseruabat. Itaque hunc in modum in alieno cœnobio lecto decumbens planè desolatus, cùm non posset noctu somnum capere ob doloris acerbitatem, cœpit cum Deo rationẽ inire, aitque ad eum: O Deus iustissime, qui exhaustum corpus meum tam intolerabili prægrauâsti dolore, & cordis penetralia ingenti probro ac ignominia transfixisti, adeò vt iam totum me foris & intus vehemens angor occupet, quando tandem pater pijssime satis tibi afflictus videbor? quando tandem percutere desines? atq; sub his verbis mortis illos angores quos Christus in olueti monte pertulit, animo pertractauit. Interim verò ex lecto, vt potuit, se recepit in sedem iuxta positam, atque illic resedit: neq; enim præ vlceris molestia iacere potuit.

Accusatur hæreseos & aliorum, licet planè innocens.

Infirmitas eius periculosa.

Matt. 26.

Illo verò miserandum in modum sic sedente videre sibi visus est in spiritu, magnum cælestium spirituum frequentiam ad cubiculum ipsius consolandi causa aduentantem, carmenque cælicum iucundis modulantem vocibus, cuius melos adeò illius oblectauit aures, vt omnis eius natura immutaretur. Porrò hunc modum illis cantantibus, atque ipso ægrè affecto & in sella cum dolore recumbente, adolescens quidam eum adijt, benigne compellans his verbis: Cur taces frater? cur non vna nobiscum concinis? tamen satis peritus es cælestium melodiarum. Cui ille non sine altis afflicti cordis sui suspirijs respondens: Vide, inquit, quo in loco res meæ sint? Quis vnquam moribundus lætari potuit? Iráne ad canendum me prouocas? Equidem carmen lugubre iam depromo. Si antehac vnquam lætus cecini, id modo finem habet. Iam non nisi mortis horas sustineo. Tum adolescens ille ingenti hilaritate ait ad eum: Viriliter age: nihil eiusmodi pateris. Talem crede mihi adhuc cantionem proferes in vita tua, quæ & omniporenti Deo honorem, & multis afflictis ac miseris sit consolationem allatura. Mox illi patescunt oculi, prorupitque in lachrymas: eodemque momento vlcus crepuit, & est redditus sanitati. Vbi autem domum reuersus fuit, præcipuus quidam Dei amicus illum accedens, ait ad eum: Tamesi Domine mi hac profectione plus centum miliaribus à me abfueris, nihilominus crux tua mihi præsens fuit. Equidem quadam die æternis oculis supremum Iudicem in suo throno residentem solio, eiusque permissu duo cacodæmo-

Visio.

Restituitur sanitati ab omnibus desperatus.

dæmones soluti te diuexarunt, idq; per duos illos prælatos, qui huius fuêre persecutionis authores. Clamans autem ad Dominum: Quî tãdem, inquam, pijssime Deus tam acerbam amicæ tui molestationem ferre potes? Respondit Deus: Ego illum mihi elegi, vt per afflictiones vnigenito filio meo conformetur. At tamen exigit meæ censura iustitiæ, vt tanta illius iniuria morte duorum illorum, qui hanc ei irrogârunt, vindicetur. Id quod etiam re vera paulò pòst accidit, atque ad multorum notitiam peruenit.

Ad quid variè fuerit tẽtatus

De graui quadam molestia, quæ illi ex Germana sorore sua euenit.

CAPVT XXVI.

ERat illi soror Germana, monasticũ professa institutum. Hæc, fratre eius alibi demorante, cœpit noxiæ sese hominum adiungere societati. Cum igitur quandoque vna cum illis foràs profecta esset, in peccatum lapsa est. Ex ea verò calamitate & miseria eò adducta est, vt relicto monasterio aufugeret, nesciente fratre quonam abijsset. At illo domum reuerso, rumor iste per hominum ora non sine murmure iactabatur. Quidam ad illum veniens, rei gestæ certiorem eum fecit. Quo audito, totus obstupuit, ac præ dolore animo tabescens, non aliter quam qui sensibus sit destitutus, incedebat. Per contanti vbinam esset misera, nemo certi aliquid indicare potuit. Tum ille ita secum cogitabat: En nouam tibi afflictio-

Soror Susonis è monasterio profugit ipso inscio.

nem. At ne frangaris animo: Agè vide, si qua tandem ratione miseræ illi ac perditæ possis animæ opitulari. Honoris ac existimationis tuæ iacturam pijsimo Deo offeras: facessat omnis humanus pudor, & in profundum tete lacum demittas, quo possis inde infelicē extrahere. Fratribus in Choro constitutis, per medium transibat Chorum toto vultûs colore mutato, ingentique horrore correptus. Non ausus erat quempiam accedere: siquidem illi puduit omnes: qui prius familiares eius socij fuerant, ab illo profugiebant. Si consilium voluisset capere ab amicis, auerso vultu eum aspernabantur. Subijt tunc illius cogitationi D. Iob, dixitque: Quandoquidem totus à me alienus est orbis, benignissimus Deus sua me consolatione dignetur. Sciscitabatur vbicunq; poterat, quonam iter capessendum esset, vt pereunti velox remedium afferret. Tandem quidā illi indicatus est locus, quo se mox contulit. Erant tum feriæ D. Agnetis virginis, & frigus aërea obtinuerat. Eadem nocte vehemens è cęlo lapsus imber, riuos passim impleuerat. Cūque riuum quendam saltu transmittere instituerat, prę virium defectu in aquas corruit. Indè vbi potuit emersit. Et quia animi nimius ei dolor occuparat, non magnipendit id corporis incommodum. Deinde proficiscenti illi, soror eius in quodam domicilio demonstrata est. Ingrediebatur intrò totus dolore confectus & ecce illic sedentem offendit. Cumque eam esset intuitus, in scamnum cui illa sedebat, collapsus, bis animo defecit. Atqui sibijpsi redditus, miserandas prorupit in lachrymas, cœpitque

Salutem sorori lapsæ meditatur recuperandā.

Sororem reperiens sæpius eius causa intermoritur dolore nimio.

Psalm. 21.

pitque voces & querimonias edere miserabiles, & complosis in capite manibus, DEVS DEVS meus, inquit, vt sic dereliquisti me? Mox euanescebant oculi, lingua palato hærebat, manus contrahebantur, atque ita aliquam diu iacebat sensuum officio destitutus. Inde iterùm ad se rediens, sororem complexus ait: Eheu filia mea, Eheu soror mea, quò calamitatis deuoluta es O virgo sanctissima Agnes, quam mihi tristis & acerba fuit hæc dies tua. His dictis, rursus collabebatur, alienus à sensibus. Quod cum perspiceret misera soror illius, pedibus eius sese aduoluit, ingentem lachrymarum profundens imbrem, atque his querulis eum compellans vocibus: O Domine & pater mi, ô calamitosam illam diem, qua in hunc mundum edita sum, quæ iam & Deum meum perdidi, & tibi tantas confeci angustias. Meritò igitur malè mihi semper erit, meritò pudore & gemitibus perpetim confici debebo. O fidissime infelicis animæ meæ recuperator, tametsi responso & colloquio tuo prorsus indigna sum, at pijssimo subeat precor cordi tuo, nulla re maiorem te Deo fidem præstare, nec ad eius similitudinem proprius posse accedere, quàm miseram ac despectam reducendo peccatricem, & animum plus satis prægrauatum releuando. Nimirum præstitit tibi Deus promptam erga miseros quoslibet misericordiam. Quo igitur pacto desolatæ mihi, ab reiectaneæ peccatrici misericordię præcludes viscera, quę iam Deo cunctisque mortalibus facta sum miserabilis quando me iniquitas mea tam citò omnibus inuisam despectamque effecit? Sed

Lachrymabūda fratris illa fidelissimi pedibus aduoluitur.

Egregia pœnitentis peccatricis compellatio.

quam cuncti despiciunt ac respuunt, eam tu requiris: cui omnes haud immeritò pudet, eam tu non sine graui tuæ existimationis iniuria cordisq; angore repetis. Obsecro te mi Domine tuis substrata vestigijs, cum perpetuo cordis dolore, vt ob honorem Dei, infelici mihi grauem hoc parricidium, quod in te animamq; meam proh dolor admisi, clementer remittas meminerisq; tametsi honori ac vitæ tuæ temporariæ non parum detrimenti, attulerim, at singulari te honore & sempiterna consolatione eo nomine in cælis perfruiturum: miserearque te multo infelicissimæ peccatricis, quæ in laqueum præceps me conieci, in omne æuum graue hoc damnum in corpore & anima lacera, atque tum mihi, tum cæteris omnibus omni futura: & in tuam me quæso fidem in ista pariter ac futura vita recipias. Neque quicquam æque desidero, quàm vti ne vnquam iure soror tua dicar aut sim, sed tantum ex misericordia patiaris me locum obtinere perditæ sororis tuæ, iure autem, non nisi repertæ ac cruciabiliter recuperatæ clientulæ tuæ. Idque adeò mihi planè medullitùs deliberatum est, vti quis me tuam velit appellare sororem, aut eo nomine quicquam mihi præstare, id animo meo cumprimis molestum & acerbum sit: plane neque me tuî misereat, si te illic adesse contingat, vbi me coram conspicias, perpetiq; habeas, vt ipsa te noui, quod meritò ex ipsa natura vnicuilibet pudori esse debeat, à qua tu forsitan verecundia non es alienus: nec vlla alia vnquam mihi tecum sit, nec esse possit familiaritas aut consuetudo. Non enim possunt me non

non horrere, meiq; causa pudefieri oculi & aures tuæ. Sed hæc quamuis molesta & acerba, tamen libenter feram, & pro probroso crimine meo offeram præpotenti Deo vtì pro tua benignitate meî misertus, fideliter pro meo errato satisfacere, & cum Deo animam meam in gratiam restituere digneris. Hisce lamentis & querimonijs frater eius vbì ad se reuersus est, hunc in modum respondit: Agedùm feruentes lachrymæ ex abundanti, neq; sese præ dolore vltra cohibere valente corde iam prorumpite. Eheu filia mea. O vnicum cordis & animę meę solatium ab ineunte ætate mea, quæ mihi gaudio & consolationi fuisti, accede ad me, & astringere iam præmortuo pectori calamitosi fratris tui. Sine perfundam acerbis oculorum meorum lachrymis faciem sororis meæ. Sine emortuam complorem & deplangam filiam meam. O dolor exiguus, vel mille corporis mortes perpeti, at dolor immanis, animæ & bonæ famæ iacturam facere. O dolor & calamitas tristissimi cordis mei. Eheu Deus pijssime, quid accidit misero mihi? Accede ad me filia mea. Quãdoquidem filiam recuperaui meam, iam plorare desinam, atque hac ipsâ die ea te benignitate & misericordia suscipiam, qua miserum me peccatorem recipi velim in extrema hora vitæ meæ: libentissimeq; tibi condonauero acerbissimos animi dolores, & quicquid id est molestiæ, quod tua causa iam perpessus sum, atque ad extremum vsque diem vitæ meæ perpeti necesse erit: neq; quicquam ambigas, quin pro tuo errato & apud Deum & homines efficaciter expiando tibi sim adiumento futu-

Dolor quis exiguus, quisue maximus censendus.

O vere paternus charitateque mira refertus affectus.

futurus. Qui tum fortè huic negotio præsentes aderant, atque vtrinq; fusas lachrymas, editosque gestus miserabiles conspexerant, adeò sunt miseratione commoti, vt nemo ex eis sibi posset temperare à lachrymis. Porrò huiusce modi lugubri gestu & benigna cõsolatione emolliuit pectus illius, vt confestim prompto sese animo offerret ad amplectendum quod deseruerat monasticum institutum. Post hæc vbi ineffabili cum pudore ac ignominia, & grauli labore ouem hanc perditam ad Christi ouile reduxerat, Dei benignitate factum est, vt cœnobio longè oportuniori & commodiori eadem ipsa reciperetur, quam fuerat prius: atque intantum illius erga Deum feruor & strenuitas deinceps excreuit, sanctaq; & cauta siue bene custodita conuersatio eius adeo in virtutibus ad mortem vsq; stabilita est, vt frater illius & apud Deum & homines pro perpessis eius causa molestijs abundè recrearetur. Cernens quæ afflictiones eius nomine toleratas tam cõmodè cessisse, mirè delectabatur & exultabat: confitabatq; occultas Dei ordinationes, vt diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum: respexitq; ad Deum cum profusa gratiarũ actione, eiusq; animus totus in Dei laude colliquescebat.

Ouiculam perditam, magnoque labore recuperatam ouili suo restituit.

Rom. 8.

De acerba vexatione, quæ illi ex parte fratris cuiusdam accidit.

CAPVT XXVII.

PRoficiscenti illi aliquando laicus quidam frater itineris socius adhibitus est, quem propterea inuitus secum duxit, quod pe-

rum

rum esset sano cerebro. Redibat in memoriam eorum omnium, quæ illi à plerisque socijs petulanter allata fuissent: ac nihilominus submittens se aliorum voluntati, memoratum fratrem assumpsit. Itaque fortè in pagum quẽdam ante prandium venerunt: quo propter nundinas magnus fiebat hominum concursus. Erat autem laicus ille frater ex pluuia madidꝰ: quamobrem domum quandam ingressus, ad ignẽ sese applicuit, dicens Sapientiæ Ministro, senuisquam posse progredi: efficeret absq; ipso, siquid haberet negocij: se illic eum præstolari velle. Simul autem vt Minister pedem foras protulit, frater laicus ab igne surgens, ad mensam sese contulit, vbi erat dissoluta hominum negociatorum frequentia, qui ad mercatum illiũ spe lucri confluxerant. Qui cum cernerent fratrem hunc etiam vino bene madidum, è mẽsa surrexisse, atque in postico oculos huc illucq; circumferentem, & oscitabundum consistere, appræhenderunt eum tanquam qui illi caseum suffuratus esset. Interim dum scelesti illi miserum hunc ea ratione vexarent, alijs superuenêre armati homines quinque numero, feroces admodum, atque ijitidem fratrem compræhẽdentes, venena eum spargere ac circumferre vociferabantur. Id namque temporis rumor ille de venenis percrebuerat. Cœperunt igitur miserum, magnamque excitarũt tragœdiam, ita vt passim omnes eò aduolarent. Videns ille se captum, volebat sese explicare è vinculis, versusque ad circumstantes, his eos verbis affatꝰ est: Auscultetis me obsecro paulisper, & quid actũ sit, ordine vobis patefaciam,

illis

Illis magno silentio aures erigentibus, ita loqui exorsus est. Perspicitis omnes vos, me parui sanæ mentis habere: quo fit vt nemo alicuius me pensi habeat. Porro socius meus vir cordatus est, & perfectus, cui id à nostro Ordine datum est negocij, vt iamiande ab hoc loco ad Tribonos siue Alsatiam vsque, fontes omnes toxico inficiat. Eò namque proficiscitur, omnium itinere veneno corrupturus. Agedùm igitur eo illum apprehendatis: alioqui exitiale hoc latrocinium exercebit: idemque ipse paulò antè sacculum veneno refertum in huius pagi demersit fontem, vt pereant omnes quotquot huc aduenerint, ex eoq; fonte potârint. Qua causa est, cur hîc permanserim, neque vna cum illo abscesserim; quando id me malè habet. Atque vt me verum dicere certum habeatis, fidem eius rei vobis faciet saccus prægrandis, quo libri deportantur, quem habet secum id genus veneno refertis plenum loculis, & compluscu lis aureis nummis quos tum ipsi, tum Ordini nostro Iudæi dono dederunt, quò hoc immane perpetret facinus. Hęc vbi feroces ac dissoluti illi percepêre homines, itemque alij, qui eò confluxerant, immanes edidêre rugitus, magnisque clamabant vocibus: Actutum persequamur. Mox alij lanceam, alij securim, alij quod fortè occurrisset arripientes, tanquam mentis impotes cursitabant, perfractisque foribus & ædiculis, vbi se eum reperturos sperabant, districtis ensibus lectos & stramina confodiebant: adeò vt ad hunc tumultum omnes, quotquot in ijs erant nundinis aduolarent. Aderant illic etiam extranei quidam homi-

Veneficij Suso innoxius incusatur à comite.

Inquiritur ad supplicium

homines cumprimis honesti, qui eum probè nouerant, ijque audito eius nomine, procedentes in medium, aiebãt iniquè eos agere: virum illum ea esse virtute prędituṁ, qui tale flagitiũ nulla velit ratione perpetrare. Vbì verò inuenire eum non potuerunt, conquiescebant: at socium eius ad pagi præfectum captiuum perduxerunt, qui eum iussit in quodam domicilio recludi. Horum nihil nouerat Minister. Cumq́ iam putaret prandij adesse horam, sociumque suum vestes pluuia maditas desiccâsse venit eo animo vt prandium caperet. Vt autẽ hospitium ingressus est, narrabant illi omnem hanc tragœdiam. Quibus cognitis, euestigio multum perterritus properauit ad ædes, vbì socius eius & præfectus erant, orabatq́ præfectum dimitti sibi socium suum. Respondit ille, nulla id posse ratione fieri, velle se eum in turrim conijcere ob scelus admissum. Id vero minister grauiter & acerbè ferens, sursum deorsum cursitabat, vt illi misero opem ferret. Cũque non sine magno dedecore & molestia diu satis id egisset, ad extremum grandi suo dispẽdio effecit, vt socium suum liberum abire paterentur. Sperabat tum huic malo finem esse impositum: at id hinc primum cœpit recrudescere. Vbi enim ab illis, qui magistratum gerebant, non absque multa sui vexatione & detrimento sese expediêrat, tum demum in vitæ ipsius discrimen adductus est. Nam cum ab præfecto discederet, vespertino tempore rumor sparsus erat in vulgus & fæces hominum, venena eum circumferre: ijq́ omnes haud secus quam latronem eum insectabantur, adeò

Socius eius detinetur in vinculis.

Vt in discrimen vitæ socio liberto adductus sit.

vt non

vt non auderet ad pagum accedere. Digitis eum omnes demonstrabant, dicentes: En hic est ille venenarius, certè non effugiet manus nostras, morte iam mulctandus est: nullis se nummis apud nos redimere poterit, vt apud præsidem effecit. Illo autem fugam ineunte, atque in villam declinare volente, atrocius clamare cœperunt. Quorundam ista vox erat: Mergamus eum in Rheni flumen, (is enim ad pagi latus decus decurrebat.) Alij contra dicebant. Minime verò: Namq; flumen omne impurus hic latro inficiet, satiùs est, vt flumen exuratur. Rusticus quidam crudelis & ferus, idemq; lacernam indutus, arrepta hasta per populi frequentiam fortiter nitens, ante omnes constitit, atq; in hæc verba prorupit. Audite me viri, & quotquot hîc adestis: Nulla poterit hæretic⁹ iste probrosiori morte affici, quàm si hac eum hasta medio transfigam, perinde vt configi solent bufones. Ita, inquam, venenarium istum nudum hasta confossum, & supinum in aëra leuatum ad firmam hanc sepem fortiter alligabo, efficiamq; ne possit ruere. Exarescat corpus impurum in aëre, vt quotquot sursum deorsum hac pertransierint, latronem hunc adspectent, & eum deostentur ac execrẽtur tam turpiter defunctum, vt & in præsenti & futuro seculo tanto sit calamitosior. Id enim homo pestilẽtissimus nimis quam meritus est. Audiebat hæc verba Minister nõ sine terrore magno altisq; suspirijs, adeò vt præ angustia lachrymis ora rigaret. Quotquot ibì tum circumstabant homines honesti, viso illo, acerbè plorabant: quidam præ miseratione tundebãt pectora, & manus supra

verti-

verticem complodebant: nec tamen quisquam quicquam erat ausus proloqui metu furentis turbæ, ne fortè comprehenderentur. Porrò die iam adueſperascente, vltrò citroq; pergebat, cum lachrymis petens hospicio recipi: sed durè repulsus est. Piæ quædam fœminæ libenter eum recepissent domo, sed non audebant. Ille igitur mortis angoribus correptus, atque omni humana ope destitutus, cum id vnũ duntaxat expectarent omnes, vt comprehensum extinguerent, præ dolore ac mortis formidine iuxta sepem quandam corruit, oculosq; tumescentes ad cælestem patrem erigens, ait. O pater indulgentissime, quando tandem misero feres auxilium his angustijs laboranti? O pater multo pijssime, cur adeò mei obliuisceris? O pater, ô fidissime, ô clementissime pater, adsis misero mihi in hac extrema necessitate mea. Iam enim præmortuo corde meo, nulla viuendi spes reliqua est: prorsus iam emoriendum est mihi siue in aquas demerso, siue flammis conflagrãti, siue lancea confixo. Commendo tibi hodiè desolatum spiritum meum, misereat te huius calamitosæ mortis meæ, non enim longè absunt, qui me occidant. Lamentabiles has querimonias vbi Sacerdos quidam percepit, illuc properans, vi eum extraxit è manibus eorum, introductumque in ædes suas seruauit ea nocte illæsum, & summo mane dimissum ex præsenti mortis discrimine liberauit.

Ingens Ministri ex præsenti periculo afflictio.

Eripitur ab imminente clade.

De

De latrone quodam.

CAPVT XX.

REdeuntem illum quandoque ex inferiori Germania, atque per Rheni tractum ad partes superiores contendentem, socius quidam iuuenis & ad iter expeditus comitabatur: quem cum die quodam paribus vestigijs sequi non posset, quòd ægrè affectus & delassatus esset, relictus post illum fortè dimidio miliaris interuallo. Respexit autem subindè, si quis illi comes itineris obtingeret per nemus proximum ituro. Siquidem dies erat ad occasum decliuior, & sylua immanis ac periculosa, vtpote latrocinijs admodum infesta, restabat. Ante syluam parumper substitit, socii aliquem expectans. Interea videt duos celeri aduentantes gradu, è quibus altera erat fœmina iuuenis & decora, alter vir terribilis, hastam gerens & ensem oblongum, atque laternam indutus coloris atri. Territus ille immanis viri illius tetra specie, circumspexit vndique, si quis forte à tergo sequeretur. Sed neminem vidit. Cogitauit autem secum: Quod genus homines sunt isti Domine Deus? Quinam gradè hoc nemus penetrare potero? Quid me futurum est? Mox impressa suo pectori crucis figura, ingressus est syluam. In qua cum iam longè processissent, fœmina prior illum adijt, sciscitans quis esset, aut qui vocaretur. Edixit illi nomen suum fœminæ. At illa, Nourte, inquit, Domine mi ex nomine. Oro confessionem meam recipias. Cœpit ergo confiteri, dixit

Latrone quodam eminus conspecto pauet.

Eheu

Rheu obseruande Domine conqueror tibi infelicitatem meam. En vir iste, qui nos consequitur, latro est, iugulatque homines tum in isto nemore, tum etiam alijs locis, auferté; nũmos & vestes eorum, parcens nemini. Ille me fefellit, abduxité; ab amicis meis, cogorque illius esse coniunx. His auditis, parum abfuit, quin præ horrore Minister deficeret, respicitque, miserabiliter lustrabat oculis omnia, si quem vel videre vel audire liceret. Atqui nec vidit, nec audiuit quemquam in opaca illa sylua, præter latronem ipsum sequentem. Cogitabat interea. Si sic delassatus fugeris, facile te assequetur & perimet. Si clamaueris, non est, qui audiat in hac vasta solitudine, erisque nihilominùs perditus. Suscipiẽsque in cælum tristis ac mœrens, ait: Ah Domine Deus, quid futurum hodie est misero? O mors quam propinqua es. Vbi porro fœmina suam peregit confessionem, regressa ad latronem, clàm orabat eum, dicens: Quęso te vir bone, fac illi confessionem. Apud nostrates ea de ipso existimatio & fides est, quisquis ei confiteatur, quãtumuis sceleratus sit, nunquam eum à Deo relictũ iri. Agè igitur quod te hortor: si fortassis Deus illius causa extremis laboranti angustijs opitulari tibi velit. Dum ita illi inter se susurrarent, terrore correptus Minister, proditum se verebatur. At latro ad illum adire cœpit. Quo aduentante cum hasta sua, toto tremuit & exhorruit corpore, putans actum de salute sua. Nesciebat nanque, quid inter se locuti essent. Erat autem loci illius situs eiusmodi, vt Rhen⁹

Horrore magno concutitur periculo cognito.

iuxta syluam decurreret, & semita esset inipso fluminis littore. Latro autem Ministrum voluit ire ea parte, quæ ad flumen vergebat: ipse aliud tenebat latus. Ministro igitur non sine cordis tremore ingrediente, suam latro confessionem exorsus, cuncta illi, quæ perpetrâsset latrocinia explicuit: speciatim verò quoddam ei commemorauit homicidium nimis quam horrendum, vnde toto corde Minister contremuit, dixitq; latro. Quandoque in hanc peruenimus syluam latrocinandi causa, quemadmodum etiam nunc, oblatusque mihi fuit sacerdos quidam honestus & venerabilis, cui confessus sum ambulanti mecum perindè vt tu mecum gradieris. Deinde absoluta confessione, educto gladio isto quem cernis, illum transfixi, immolique ex littore in profluentem Rhenum. Hæc verbis & gestibus ac adspectu latronis immanitatum expalluit & fractus est Minister, vt gelidus mortis sudor per eius ora in sinum decurreret, totusque obriguit & vox faucibus hæsit, adeò vt sensibus penè destitueretur: ac subindè ad latronis gladium oculos referens, obseruabat quando etiam ipsum eodem confoderet, & extinctum in fluuium præcipitem ageret. Cum iam præ angore collabi inciperet, nec haberet vltra vires, vultus eius erat miserabilis, vel hominis præsentissimum mortis periculum euadere cupientis. Id vbi animaduertit fœmina latronis socia, occurrens ilicò eum humi collabentem amplexa est, nitebaturque eum erigere, dicens illi: Nihil timeas bone domine: non patieris quicquam molestiæ. Et latro ipse

Latro suæ Ministro peccata confitetur.

Expetit latro preces Ministri.

ipse: Multa, inquit, de te bona audini domine, quorum gratia viuere te permittam. Ora Deũ, vt mihi misero latroni, extremum trahenti spiritum tua causa subueniat & misereſcat. Sub his verbis ad Sylũæ extrema peruenerunt: atque ecce socius eius ille sub arbore residẽs, eius aduentum præstolabatur. Latro cum socia sua anteceſſiſſet: at Miniſter ad ſuum reptans confratrem in terram corruit, corde simul & corpore toto quodam tremore correpto. Iacente illo sic aliquamdiu, postquam recepit vires, surgẽs cœptum confecit iter: rogabatque Deum seriò intimis cum gemitibus, vt latroni illi vellet prodeſſe spem bonam ac fidem quam erga ipsum Miniſtrum concepiſſet, nec eum sineret moriturum condemnari. Præſtitit autem illi Deus eiusmodi viſum, quo omnino certior factus eſt de futura latronis salute, ita vt nihil hæſitaret illum seruatum iri.

De periculis ſubmerſionis.

CAPVT XXIX.

PRo consuetudine sua quandoque Argentoratum profectus erat. Rediturus domũ, in sæuum quendam Rheni gurgitem cecidit, vnaq; libellus, quem paulò ante cõfecerat, cui admodũ infestus erat malus spiritus. Dum ergo vi fluminis raptus, in mortis angoribus super aquas deorsum ferretur, nullo illi opem ferrente, benigniſſimi Dei prouidentia contigit, vt eadem hora iuuenis quidam miles Pruſſienſis ex Argẽtorato superueniẽs, in ipsum seſe fluuium perquam impetuoſum conijceret, & tam

Multis cuiuſdam ſubſidio à præſentiſſimo mortis periculo extrahitur.

& tam Miniſtrum quam ſocium eius ex illa morte miſerabili extraheret. Alia vice ex obedientia aliquo profectus eſt hyberno tempore. Cumq; tota die ad veſperam vſque ſine cibo in vento illo frigido & aere aſpero ac gelido currv vectus fuiſſet, ad turbidas quaſdam venit aquas, eaſque profundas & rapido curſu labentes, vi imbrium incitatas. Famulus autem qui currum ducebat, ex negligentia ad littoris limites nimis propè accedens, currum euer-

Aliud periculum Miniſtri.

Mox Miniſter præceps è curru ruit, lapſuſq; ſupinus in aquas: ſtatimq; currus recta in pro delatus eſt, ita vt nullam in partem ſeſe poſſet vertere Miniſter à curru oppreſſus nec ſibi opem ferre. Itaq; vna cum curru procul ferebatur in aquis vſque ad molendinum quoddã. Ibi famulus cum alijs quibuſdam accurrens eum appræhendit: & licet percuperent eum educere ex aquis, ſed ingenti currus pondere deprimebatur. Amoto tandem curru non ſine grandi labore, extraxerunt eum benè madidum in terram: ſtatimq; veſtes eius præ nimio frigore in eius corpore congelabant, adeò vt frenderet dentibus. Stetit autem diu ſatis tam miſere afflictus, ſuſpicienſque ad Deum. Quidnam, inquit, Domine faciam, quidve primum aggrediar? Iam nox impendet, nec locus hic vllus vel pagus adiacet, vbi poſſim calefieri aut refici. Si ergo hîc ita mihi emoriẽdum eſt, profectò miſerabile illud mortis genus eſt. Porro huc atque illuc oculos circumferens, procul ad montem vidit pagum quendam. Eò ſe contulit, vt potuit, madidus & frigore conſtrictus. Etiam nox aderat. Circumibat domos, petens hoſpi-

hospitio recipi causa Dei, & ecce vbique repellabatur, nullo eius vicem miserante. Timens ergò vitæ suæ, alta voce clamauit ad Dominũ: Satius fuerat Domine, si me demergi permisisses: ita celerius optatiusque perijssem, quam vthîc frigore moriar. Has voces lamentabiles fortè audiuit rusticus, qui eum ante reiecerat, eiusq; misertus, vlnis compræhensum in ædes suas introduxit, atq; ibi noctem exegit miserabilem.

De breui quadam afflictionum intermissione.

CAPVT XXX.

OMninò id illi in consuetudinem verterat Deus, vt vna recedente afflictione, mox alia accederet. Ita sine intermissione illum Deus exercebat. Solum vna vice aliquantulam illi permisit requiem, sed minimè diuturnam. Eodem tempore ad quoddam Monialium cum accessisset cœnobium, spiritales filiæ eius ex eo, quinam haberet, percontabantur. Respondit ille, vereri se malè secum agi, Deumq; sui oblitum esse eo, quod mensæ integro neque in corpore, neque in fama à quoquã læsus esset, præter antiquam consuetudinem suam. Sedente illo breui spatio ad cancellos eiusdem cœnobij, frater quidam professione Dominicanus illum ad se euocans, dixit ei: Nõ ita pridem in arce quadam positus, audiui illius loci Dominum dure inquirentem vbinam esset, atq; erectis sursum manibus coram omni

illa hominum frequentia iurantem, siquidem te vsquam comperiret, gladium per tua lar se adacturum. Idem iurârunt etiam alij quo nobiles eius consanguinei, qui per aliquot nobia eo nomine te perquisiêrunt, vt scelet tam in te voluntatem suam possint effic Vide igitur cautè te geras, caueasq; tibi quam ptas consultum vitæ tuę. His auditis, pertim Minister, dixitq; ad fratrem, scire se velle, q re mortem illam esset commeritus. Ait fra Relatum est illi Domino filiam te suam, vx rosq; alios, ad singulare quoddam vitæ ge traduxisse, quod spiritale vocetur, eiusq; sec tores spirituales dici: persuasumq; est illi, h genus homines mortalium omnium longe terrimos esse. Præterea aderat illic alius dam homo audax & ferus, qui te affirma chariſſimam sibi abstraxisse coniugem, in illa operta facie nollet ipsum adspicere, sed trorsus duntaxat vellet respicere: cuius re authorem proclamabat. Hæc vbi Minister dicit, gratias egit Deo, festinatoq; intrò re sus ad cancellos, dixit filiabus suis: Virili gite filiæ chariſſimæ, en recordatus est mei nec adhuc illum mei cepit oblitio: narra eis immanes illos rumores, vt pro bene maleficia ipsi homines reddere molirentur.

De amicabili quadam ratione cum Deo quandoque inita.

CAPVT XXXI.

EOdem afflictionis tempore, atque ipse in locis, vbi tum morabatur Minister, gre

greſſus nonnunquam in valitudinarium ſiue domum infirmorum, vt ægrè affecto corpuſculo ſuo aliquod impertiret leuamentum, cū ad menſam ſederet taciturnus more ſuo, ſcommatibus & verbis inſolitis exercebatur: quod principio quidem multum illi dolebat, ſeſeque intantum miſerabatur, vt haud raro feruentes lachrymæ per eius faciem deciderent, vnaque cum cibo & potu in eius os deferrentur. Leuatis autem ſurſum oculis, intimis ſuſpirijs compellabat Deum in hunc modum: Piiſſime Deus, non tibi ſufficit miſeria & calamitas mea, qua noctu diuque afficior, niſi etiam modica, quam accipio, eſca mihi in ſummam vertatur a maritudinem? Accidit id illi crebrò ſanè. Quadam vice ex menſa ſurgens, non potuit ſe vltra cohibere, quin ad ſecretum ſuum abiret locum. Deoque has offerret querimonias: Dulciſſime Deus, Mundi totius domine, pium ac benignum te præbeas oro erga me miſerum. Siquidem hodie mihi tecum ratio ineunda eſt: id quod prætermittere non poſſum. Et quamuis nulli quicquam debeas, nec obligatus ſis vlla in re ob immenſam maieſtatem tuam, decet nihilominus infinitam bonitatem tuam, vt animum afflictionibus prægrauatum in te patiaris captare refrigerium ex gratia tua, præſertim qui neminem habeat alium, cui conqueri poſſit, aut qui ipſum conſoletur. Ecce Domine teipſum teſtem adhibeo, qui nôſti omnia, ab ipſo matris vtero ſemper me cor pium habuiſſe. Neque enim quemquam vnquam afflictum vel mœrentem adſpexi, cui nō medullit⁹ cōdolerē: nec vnquā audire

Deum pietatis ſuę teſtem inuocat.

audire potui vel præsente vel absente proximo, quod eum grauare potuisset. Habeo huius rei testes socios meos omnes, raro ex me audisse quemquam, verbis meis siue fratris, siue cuiusuis alterius hominis facta in peiorem partem me interpretari vel apud superiores, vel quoslibet alios. Immò verò mortalium omnium facta, quoad potui, in mitiorem partem semper traxi: vbi id non licuit, tacui, aut certe fugi, ne talia audirem. Quorum autem aduersus famæ vel existimationi aliquid derogatum, illis me ex miseratione magis familiarem exhibui, quo tanto facilius sua eis existimatio salua redderetur. Miserorum fidus pater ipse vocabar: omnium Dei amicorum amicus singularis. Quotquot tristes aut afflicti adme accessissent, aliquid saltem ex me consilij reportarunt, ita vt hilares & bono animo abmi recederent. Siquidem flebam cum flentibus, dolebam cum merentibus, donec eos maerore pietate erigerem & consolarer. Nũquam quisquam tam mihi molestus fuit, quin statim totum illi condonarem perinde ac si nihil mihi nocuisset, si vel semel placidus mihi arrisisset. Et quid me necesse est Domine commemorare de hominibus, quando etiam quorumlibet animantium, auium, bestiolarum indigentiam, afflictio visu vel auditu mihi cognita, cor meum adeò torsit, vt rogarem omnipotentem Deum, eis subuenire dignaretur. Quicquid in terris degit, pietatis & beneuolentiæ viscera in me comperit. Tu verò pijssime Deus permittis quibusdam, quales Apostolus vocat falsos fratres, vt nimis quam verosciter erga me se gerant,

Vt facta cuiusuis quæq; excusauerit, vtque ab aliorum famæ derogatione abhorruerit.

Iob. 12.

Rom. 12.

2. Cor. 11. Galat. 2.

rãt, vt & tibi Domine satis perspectum, & omnibus notum ac manifestum est. Quæso id attendas Domine, & per teipsum me recrees. Posteaquam diu satis animum suum hac ratione apud Deum refecisset, tranquilla quadam potitus est requie, & diuinitus eiusmodi illi illuxit responsum: Ratio tua puerilis, quam mecum iniuisti, inde proficiscitur, quod non semper æquè attendis verba gestusque Christi Iesu patientis. Noueris sanè non id satis esse Deo, quod ad te attinet, si sis corde pio ac benigno, sed adhuc perfectius aliquid à te requirit. Vult ille nimirum, vt vbi quis verbis vel moribus indignè ac inhumaniter te tractat, non solum id feras æquanimiter, sed etiam adeo moriaris tibijpsi, vt somnum non sis atsus capere, donec eiusmodi hominem accedas, blandisq; ac modestis placidisq; sermonibus & gestibus tuis, quatenus fieri poterit, animi eius ferocitatem & impetum lenias atq; tranquilles. Siquidem istiusmodi leni modestia ac humilitate gladiũ ex eius manibus extorques, afficisq; eum in sua maleuolentia prorsus infirmum ac imbecillem. Ista videlicet est antiqua perfectionis semita, quam Christus suis tradidit discipulis: cum ait: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Deinde vbi ad se rediit minister, visa est ipsi hæc perfectionis semita plus satis molesta ac difficilis, nec sine tædio inde cogitare potuit, maioriq; cum tædio eam nitebatur ingredi: at nihilo secius animo resignato cœpit conatum adhibere suum, vti discereteo gradi itinere. Accidit postmodum, vt Laicus quidam frater plus satis tumidè & efferatè cum illo collo-

Qualiter iniuriantibus obuiandum.

Luc. 10. Matth. 10.

queretur, ac notabili eum iniuria afficeret. Tacuit ille patienter, & id volebat esse satis. Attamen admoneri se sensit plus aliquid præstare debere. Adueſperascente ergò die, Laico illo fratre in valetudinario cœnam capiente, Minister ad ostium valetudinarij eum ingressum sustinuit, moxque ad egredientis vestigia prouolutus, humiliter eum obsecrauit, dicēs: Charissime & religiose pater, quæso te ob honorē Dei, vt si qua re tibi molestus fui, reque offendi, misero mihi remittas propter Deum. His vbi frater ille Laicus primum tacitus substitit, deinde suspiciens, alta dixit voce. Papæ, quid mi iam facis? Nunquam quicquam mihi nocuisti, non magis quam alijs. At ego insigni te molestia affeci, teque dirè afflixi petulantissima mordacitate mea. Quod vt mihi condones, peto iam atque etiam rogatum te velim pater. Atque hoc pacto animus eius sedatus est, & tranquillitati redditus. Quodam tempore ad mensam in valetudinario sedenti Ministro, frater quidam procacibus verbis molestus fuit. Ad quem ille admodum benignè se se componens, arrisit illi, tanquam qui singulari quodā beneficio ipsum affecisset. Id verò fratrem illum intus adeò compunxit, vt non solum taceret, sed etiam suum illi vultum omnino placidum exhiberet. Facto prandio, idem frater narrauit hoc in vrbe, dicens: Hodie tanta affectus sum verecundia & dedecore ad mensam residens, vt nonquam maiori me affectum potem. Cum enim erga Ministrum indignè & petulanter me gererē, serenissimum mihi exhibuit vultum, adeò vt pudore suffunderer.

Conuitiatorem prœuenit humilitate ac patientia.

Alterius item procacitatē benignè sustinens, eum compunctū reddidit.

Quod

Quod illius exemplum semper mihi profuturum spero.

Vt præanimia afflictione quandoque ad mortis vsque discrimen adductus sit.

CAPVT XXXII.

CONtigit quodam tempore, vt non paucis noctibus è somno nõ sine terrore expergrecto, nescio quidnam, mox Psalmum illum de Christi passione, cuius est initium, *Deus Deus meus respice in me*, inchoaret. Quem Psalmum Dominus Iesus in cruce pendens, atque illa extrema necessitate tum à Patre, tum à creaturis omnibus derelictus, fertur dixisse. Quæ quidem continua huius Psalmi repetitio vel commemoratio initij illius, simul atq; euigilasset, admodum perterruit Ministrũ, haud vulgariter sibi metuentem. Clamauit ergò ad Dominum cruci hærentem, idque cum acerbis lachrymis, dicens illi: Eheu Domine Deus, nouáne rursus mihi tecum ferenda crux est, vel crucifixio? Quod si ita est, cõple obsecro in me misero innoxiam atq; sanctissimam mortem tuam, sisq; mecum, & tuo auxilio fretum fac afflictionem omnem superare. Accedente deinde cruce, vt illi fuerat antè significatum, immanes quædam afflictiones, de quibus hîc non expedit dicere, illi accrescere cœperunt, atque indies augmenta capere, quæ tandem vsque eo excreuerunt, vt illum alioqui debilem, ad extremum vitæ punctum perducerent. Cũ enim vice quadã extra cœnobiũ cõstitutus serò cubitum, Psalm. 21.

Vt præ nimia viriũ imbecillitate demortui quasi speciem in ecstasi positus induerit.

tum iuisset, quodam virium defectu comprehensus est adeo, vt sibi videretur præ nimia debilitate defecturus ac ilicò periturus. Iacebat ibi tam quietus & immotus, vt nullatenus corpore vena moueretur. Id vbi animaduertit homo quidam pius ac fidelis, eiusque studiosus, quem ipse ad Deum pertraxerat non sine multo grauique labore, accurrit mœrens & diligens, eiusque pectus & cor palpare cœpit, exploraturus num quis in eo vitalis spiritus reliquus foret. Sed cor adeo erat consopitum, vt nihilo magis quàm in homine mortuo agitari videretur. Tum ille præ nimio dolore collabens, profusus lachrymis ac lamentabili voce dixit: O Deus, en vt hodie extinctum est præclarissimum cor illud, quod te longo tempore haud vulgari pietate in se retinuit atque tulit, quodq; innumeris dissolutis hominibus verbis & scriptis in omnes iam regiones diffusis suauissimè te prædicauit. Eheu quam tristis illa rumor est, computrescere iam debere cor illud eximium, nec illi longa adhuc viuendi spatia tribui in tui laudem, & multorum consolationem. Ita ergo lamentans & plorans, subinde cor, os, & brachia illius attrectabat, scire cupiens vtrum viueret an extinctus esset. At nullum percepit motum. Facies expalluerat, os atrum induerat colorem, nec quicquam vitale spirârat, haud secus quam in funere iamiamque sepeliendo. Durabat id fermè eousque, vt intra vnum milliare Germanicum potuisset confici. Dum ergo sic iaceret ecstaticus, obiecto nomine fruebatur spiritus illius, quam Deo & diuinitate, verò & veritate, ac sempiterna vita

tate. Sed antequam viribus inciperet destitui & extra se rapi, exorsus erat familiariter cum Deo colloqui ac blandiri in hunc modum: O veritas æterna, cuius inexhausta abyssus incognita est creaturis omnibus, miser ego seruus tuus videor nunc mihi ad extrema perductus, quemadmodum ipsa virium imbecillitas testatur. Itaque in supremo spiritu constitutus, tecum loquor omnipotens Deus, cui nemo mentiri, quem nullus fallere potest, vtpotè cui manifesta sunt omnia. Tu solus nôsti, vt inter te & me agatur. Tuam igitur imploro benignitatem & misericordiam clementissime ac fidissime Pater: quodq; vnquam in vllam deflexi dissimilitudinem extra supremam veritatem, eius me iam pœnitet Domine Deus, doleoque toto corde, obsecrans vt tuo precioso sanguine id expies pro tua clementia ac mea necessitate. Memineris oro Domine, vt purissimum ac sacrosanctum sanguinem tuum omnibus diebus vitæ meæ sublimiter extulerim pro viribus: isque nunc precor me ex hac vita migrantem ab omni peccato mũdet & abluat. Quæso vos sancti omnes, tuque speciatim benignissime Pater & Pontifex Nicolae flexis genibus, & erectis manibus, mecum simul Dominum rogetis, felicem mihi præstet obitum. O purissima ac præclarissima virgo MARIA, tuam mihi nunc porrige manum: tuam, inquã pijssimam manum, & hac suprema hora suscipe animam meam in tuam fidem & patrocinium: quandoquidem tu vnicum es post Deũ cordis mei gaudium & consolatio. O domina & mater mea, in manus tuas commendo spiritum

Colloquium Ministri cum Deo, iamiam se moriturũ existimans.

Sanctorum expetit præsidia.

tum meum. Eia dulciſſimi ſpiritus angelici, ſ-
tis oro memores, vt per omnem vitam quo-
es vel nominari vos audiſſem, exultârit &
ſerit cor meum: & quam crebrò afflictionib
laboranti mihi gaudia planè cæleſtia confe-
ritis, atque ab hoſtibus me defenderitis. Ei
præclariſſimi ſpiritus, nunc demum extrem
me obtinet neceſſitas & anguſtia, & ſum auxi-
lij indigus. Nunc ergo feratis opem miſer
ſeruetiſque me à terribili & tetro inimicor
meorum adſpectu. Laudes grateſque tibi ag
Deus omnipotens, quod morienti mihi tan
bene ſui compotem mentem, perſpicuam
tionem & cognitionem præſtitiſti: exeo
ex hoc ſeculo cum integra fide catholica, ab
vlla hæſitatione vel formidine: libenſque
noſco omnibus, qui mihi vnquam moleſti
êre: perindè vt tu ignouiſti in cruce illis, q
tibi mortem inferebant Domine Ieſu, ſacra
ſimum corpus tuum, quod hodie in Miſſa q
libet infirmus accepi, tueatur & deducat me
conſpectum vſque diuini vultus tui. Porro
trema oratio mea, quam hac ipſa mortis m
hora facio, eſt pro chariſſimis ſpiritalibus fil
& filiabus meis, ſingulari fide aut etiam confe
ſione mihi in hoc exilio amicè deditis & ad
ctis: & quemadmodum tu pijſſime Ieſu mor
proximus, chariſſimos diſcipulos tuos cæle
patri ſumma fide commendâſti: in eadem ch
ritate etiam ij tibi oro ſint commendati, v
illis ſanctam felicemque mortem dones. I
quidem nunc totum me efficaciter auerto a
ducis creaturis omnibus, atque ad ipſiſſima
diuinitatem, in primam æternæ ſalutis orig
nem

Luc. 23.

Pro ſibi item familiaribus deprecatur.

Ioan. 7.

nem me conuerto. Cumq; hæc atque eius generis pluraque alia intra seipsum blandè suauiterque locutus esset, raptus est extra sese, & antedicta cœpit laborare debilitate. Existimante autem & eo ipso, & alijs ipsum è viuis excessurum, redijt ad sese, corque exanime vitalem resumpsit spiritum, & membra ægrè affecta, sunt sanitati reddita, & pristinas recepit vires.

Vt afflictiones cum laude & gratiarum actione in Deum sint referendæ.

CAPVT XXXIII.

QVodam tempore cum Minister afflictus diuturnas suas concertationes alta mẽte perpenderet ac commemoraret, atque in ijsdem occulta Dei stupendaq; indicia attenderet, conuertit sese ad Deum intimo cum gemitu, aitque: Externæ istæ cruces & afflictiones domine forinsecus non aliud videntur, quàm acutæ vepres & spinæ, ipsam carnem & ossa configentes. Quamobrem pijssime domine fructus aliquis suauis salutiferæ cuiusdam institutionis ex his asperis sentib. emanet, obsecro quo nos miseri tanto moderatius aduersa feramus, crucesque nostras in Dei laudem tanto melius referre sciamus. Postquam ille diu satis à Deo seriò hæc petijsset, quandoq; intra seipsum & supra sese raptus fuit, sensibusq; destitutꝰ corporeis, audiuit dominũ isthęc verba suauiter ipsi pronunciantẽ: Equidẽ in præsentiarũ excellẽtissimam vitæ meæ præstantiã ac dignitatem tibi patefaciam, reddamq; te certiorem,

tiorem, vt homo afflictus, ea quæ patitur, cum laude in DEVM refundere debeat. Hæc vbi ille audiuit, animo totus liquefactus, sub illo mentis excessu præ immensa quadam cordis abundantia, animæ suæ brachia in vastissimos cæli terræq; fines extendit, gratias agens Deo cum intimo ac ineffabili cordis affectu & desiderio in hunc modum: Hactenus quidem mi Domine in scriptis meis te laudaui, te celebraui, te extuli, commemorando & adhibendo in tuum preconium, quicquid in creaturis omnibus iucundum & plausibile esse queat. At nunc in nouam quandam, compellor prorumpere melodiam & encomium hauquaquam vsitatum, quod nec ego ipse antehac compertum habui, nisi quod nunc demum in afflictionibus illud didici: idq; eiusmodi est: Totis animi visceribus medullitus concupisco, vt cruces & molestiæ omnes quascunque ipse perpessus sim, ibique quorumlibet aliorum dolores & angores, vulnerum omnium acerbitates, ægrotorum omnium cruciatus, mœrentium quorumque gemitus, plorantium lachrymæ, oppressorum contemptus & contumeliæ, viduarum & pupillorum omnis opis expertium penuria, pauperum ac esurientium arida fames & sitis, martyrum cunctorum profusus sanguis, omnium adhuc ætate florida vigentium propriæ voluntatis abnegatio, quorumlibet Dei amicorum aspera, & rigida exercitia, occultæ & mul & manifestæ afflictiones & dolores omnes, quos vel ego, vel quiuis vnquam miser & calamitosus homo sustinuerit in corpore, in facultatibus, in honore, in prosptris & adue-

sis,& quicquid demum ad vltimum vsq; diem quisquam vnquam perpessurus est, vt ea, inquam,omnia in tuî Deus Pater laudem cedant sempiternam, & pro nobis patienti vnigenito filio tuo honori sint & gloriæ in secula seculorum.Adhæc miser ego seruus tuus,afflictorum omnium, qui fortassis crucibus suis rectè vti non nouerunt, te patienti & grato animo laudando,vices fideliter implere appeto, atque illorum perpessiones & molestias ipsorum loco in tui laudem refero, quocumque demum illi passi sint modo, easdemq; eorum vice tibi offero in vnigeniti dirè perpessi filij tui laudem perennem, ipsorumq; afflictorum hominum consolationem, siue etiamnum præsens seculum eos in carne retineat, siue iam futurũ exutos corpore susceperit.Quæso miseri & afflicti omnes,qui vna mecum cruces patimini, oculos aureisq; in me conijcite, & dicta mea attentius auscultate. Decet nimirum gaudio & consolatione affici nos,quamuis afflictos, cõtemplatione dignissimi capitis ac Domini nostri Iesu Christi, qui prior cruces multiuarias expertus est,adeò vt in terris degens, nullum vnquam lætum diem duxerit. Certè si in humili & vili quadam familia non nisi vnus esset homo opulentus, tota illa cognatio haud dubiè eo nomine sibi gratularetur. OIESV pijssime, præclarissimum caput omnium nostrûm cruce laborantium, esto nobis propitius, atque vbi ex humana fragilitate in qualibet afflictione à vera patientia deficimus, tu id apud patrẽ cælestem sarcias perficiasque. Memento domine, vt quandoque vni ex famulis tuis in ipsa

ſua aduerſitate propemodum deſperante op
tuleris, dicens ei: Bono ſis animo fili: me reſp
ce. En ego ipſe & clariſſimis fui ortus natal
& tamen inops & pauper vir in hoc mundo
mul & tenerrimus eram & miſerrimus: ex ſum
mis fui gaudijs editus, ac nihilominus tota
me dolor & crux obſederat. Agedum igitur
quotquot ſumus ſummi illius Imperatoris
ſtrenui milites, nequaquam animis frãgamur
quotquot præclariſſimum illum ducem ſecu
mur, pectus virile ſumamus, nec inuiti ſer
mus poſt illum crucem noſtram. Enimuero
nulla alia eſſet afflictionis vtilitas, quam quo
ſpeculo illi lucidiſſimo Domino Ieſu Chriſto
tanto efficimur ſimiliores, quanto eum vehe
ſectamur, eſſet ea profectò magna ſatis. Equ
dem ſic mihi perſuadeo, etiamſi idem poſtha
vitam eſſet præmium daturus Deus patien
bus & non patientibus aduerſa, adhuc tamen
meritò potius crucem nos pati velle debe
tantum illius ſimilitudinis obtinendæ cau
Amans namque, ſuo ſe conformat adiungit
dilecto vbicumque poteſt. Sed qua ratione
tentare aut appetere audemus Ieſu rex inuiſtiſ
ſime, vt patiendo tibi conformes & aſſimilis
efficiamur? O quantum intereſt inter afflic
ones tuas & noſtras. Tu ſolus es Domine, qu
grauiſſimè paſſus es, & tamen nullam vnquam
crucem commeruiſti. Quis verò gloriari de
poſſit alius, nullam ſe vnquam meruiſſe affli
ctionem? Nam etſi vna ex parte præter me
tum patiatur, ex alia tamen habet vnde affli
dignus ſit. Itaque omnes nos quicunque vnquã
afflictiones perpeſſi ſumus, in ampliſſimum
orbem

Afflictionum quanta vtilitas.

Multum inter noſtras Seruatoriſq; noſtri cru. es intereſſe.

orbem vndique consedemus, & te suauissimũ amicum nostrum in ipsa media afflictorum omnia corona vel circulo collocamus, arentesque venas nostras præ ingenti desiderio erga te omnis gratiæ vitalem fontem latè expandimus. Solet autem humus præ ariditate vel maximè scissa vbertim fusos imbres copiosius excipere. Ita etiam nos fragiles multisque culpis obnoxij, quanto maiori tibi debito obstricti tenemur, tanto magis dilatatis ac hiantibus animis & cordibus te intra nos complectimur, & quemadmodum tu ipse sacro ore testatus es, vel inuitis omnibus volumus ex largiter manantibus vulneribus tuis ablui, atque modis omnibus ab omni culpa & reatu penitus expiari: vndè & tibi perennis laus honorq; ex nobis refertur, nosque ex te gratiam consequimur. Ista namque efficacissima virtute pretiosi sanguinis tui omnis nostra dissimilitudo aboletur. Posteaquam Minister Sapientiæ diù satis ita quietus resedisset, donec in intimis animæ eius penetralibus cuncta hæc seriò admodum reuelata essent, deindè surrexit lætus & alacer, egitque gratias Deo pro hac præstita sibi gratia.

Vt Deus afflictos in hoc seculo in ipsorum afflictionibus recreet & consoletur.

CAPVT XXXIV.

QVadã Paschalis solennitatis die Minister Sapientiæ iucũdo erat animo. Sedẽs igitur pro suo more eo in loco, vbi quietẽ

pauliſper captare ſolitus erat, ſcire cupiebat
Deo, quid recreationis in hac vita præſtitum
eſſet ijs, qui illius cauſa multa forent perp
Interim raptus in ecſtaſi, ex diuina illumi
tione huiuſmodi reſponſum accepit: Gaude
totis animi viſceribꝰ & infracto ſpiritu, qu
quot afflicti ſunt, & ſuas cruces animo rẽp
to perferunt, certi videlicet patientiam ſu
immenſis donandam præmijs. Vt enim mu
ipſi hîc facti ſunt miſerabiles, ita innum
perenni afficientur gaudio ſpirituali ac diu
ob illorum præcipuam gloriam & laudẽ ſe
per duraturam. Mecum hic emortui ſunt, re
que mecum hilariter reſurrexerunt. Por

Quæ tria gaudia quibus obuentura.

tria eis peculiaria præſtabo gaudia, tanæ d
nitatis & excellentiæ, vt ea nullus æſtim
I. queat. Primum eſt, quod optandi à me acqu
ent facultatem in cælis & in terris, & quicqu
II. optauerint, ſemper impetrabunt. Alterum e
quod diuinam eis impartiar pacem mun
quam nec Angeli, nec Dæmones, nec Homi
nec vllæ demum creaturæ eis queant eripe
III. Tertium eſt, quod omnes illos intimè exoſc
labor, tamque ſuauiter intus amplectar, vt
num prorſus mecum ſint atque æterno per
Ioan. 17. uerent, ſintque ipſi in me, & ego in illis. Et ſ
ægrè affectis cordibus moleſtum eſt diu rogat
nec aſſequi, ita pro præſenti afflictionis hor
la ne ad momentum quidem hic mutuus in
termitteretur amor, ſed hic inchoabitur & ſem
piternò perfruetur, quatenus mortalis imbe
cillitas pro cuiuslibet conditione pluſve m
nuſve perferre poterit. Hiſce rumoribus non
mediocriter iucundis exhilaratus Miniſter lo
pienti

pientię, vbi ad se redijt, exiliens è sella, medullitus ridere cœpit, ita vt in Sacello vbi tum erat, fortiter resonaret: aitque lætus intra sese: Si quis aduersa pertulit, procedat in medium, & conqueratur. Plane de meipso sic ego statuo ac pronuncio, nunquam me in terris, vt mihi videtur, aliquid perpessum esse. Nescio profectò quid sit crux vel afflictio: at probè compertum habeo, quid sit gaudium & exultatio. En data est mihi optandi libera potestas, qua careant necesse est innumeri à recto itinere aberrantes: Ecquid præterea possim aut velim concupiscere? His dictis, ratione & intelligentia vertit se ad æternam veritatem, dicens: Obsecro, de his me certiorem reddas æterna veritas Iesu pijssime, quatenus poterit verbis declarari. Latent enim ista penitùs plurimos occœcatos homines. Mox illi intùs eiusmodi præstita est institutio: Quicumq; rectè sese gerunt in ea suî mortificatione & abnegatione, quam præcedere necesse est in homine, ita vt sibijpsi & rebus omnib⁹ moriatur, quorum heu exiguus est numerus, eorum sensus, & animus vsqueadeò in Deum aberrarunt ac excesserunt, vt propemodum de seipsis nihil nôrint, nisi vt tum seipsos, tum quæuis alia in sua prima origine capiant. Atque hac de causa tanta afficiuntur voluptate & complacentia ex quibuslibet Dei operibus vel factis, ac si Deus nihil eorum gessisset penitus, sed ipsis pro illorum iudicio efficienda ea tradidisset. Atque hac ratione in seipsis optandi accipiunt facultatem: quãdoquidem eis obsequitur ac inseruit cælum cum terra, obtemperantque illis creaturæ omnes eoi-

Vt gaudij veri cognitio afflictionibus attritos, etiã sui suarumq; calamitatum faciat oblitiscì.

pso dum faciunt quælibet id, quod agunt, sic
omittunt id quod omittunt. Istiusmodi hom-
nes nulla in re animi afflictionem sentiunt. Si-
namque animi dolorem vel afflictionem sen-
tire ego appello, cum voluntas hominis de-
berata ratione vellet afflictione carere. Nam
secundum exteriorem hominem etiam isti, &
quibus agimus, & bene & male habent, vt alij
homines, & plerumque acrius sentiunt dolo-
rem, quam alij ob ipsorum exhaustam mau-
ram: sed nullum in eis locum intus obtinet
atque secundum externum hominem nisi
immodestè vel impatienter sese gerunt. Abun-
dè exatiantur hîc, quoad fieri potest, per sub-
sorum excessum, ita vt in omnibus pleno, in-
tegro ac stabili gaudio perfruantur. Siquidem
in diuina essentia, in quam ipsi animo acces-
runt, si tamen rectè cum illis actum est, neque
dolor neque mœror locum habet, sed pax &
lætitia: nisi quatenus suapte culpa & vitio in
peccati consensum labuntur, vnde merito ac-
cedit tristitia cuilibet ipsum peccatum perpe-
tranti: quantum autem vitijs committendis
sese commaculant, tantum proculdubio de-
cit eis isthæc felicitas vel beatitudo: quatenus
verò peccatum fugiunt, in eoque sese excusant &
abnegant, exceduntqúe in id, vbi nec dolor
nec molestia animi possit sentiri, (nisi quod
dolorem non putant esse dolorem, nec afflicti-
onem pro afflictione habent) adeò vt in om-
nibus vera pace gaudeant, iam certè benè cum
ipsis agitur. Id verò totum præstat propria
voluntatis extinctio & omissio. Enimuerò ex-
tra seipsos auidissimo quodam desiderio ac

Animi dolorem in aduersis sentire, quid sit.

Voluntatem propriam extinguere & deserere quã vtile.

sti propelluntur ad exequendam DEI voluntatem & iustitiam. Porrò DEI voluntas tam benè eis sapit, tantamque inde capiunt voluptatem, vt quicquid DEI permissu ipsis acciderit, tam eis gratum sit ac delectabile, vt nec velint nec appetant aliud. Nec tamen hæc ita accipienda sunt, quasi hac ratione illis permissum nõ sit orare ac deprecari Deum. Namque ea ipsa DEI voluntas est, vt ipsum oremus. Sed intelligenda sunt iuxta ordinatam proprij sensus & iudicij abnegationem & resignationem in summæ Deitatis voluntatem, quemadmodum dictum est. Atqui occultus quidam hîc hæret scrupulus, in quem plerique impingunt, isque eiusmodi est. Quis enim, aiunt, compertum habet, vtrum hæc sit DEI voluntas? Reuera Deus bonum est super essentiale, quod rei cuilibet interius ac præsentius est, quam sit res ipsa sibi: atque illo inuito nihil potest fieri, nec durare vel ad momentum. Non possunt ergo non torqueri & cruciari grauiter, qui semper diuinæ renituntur voluntati, cuperentque propriæ semper voluntatis libidini obsequi, modo possent. Isti pace non alia gaudent, quàm qui apud inferos cruciantur. Nam perpetuò animi mœrore conficiuntur. Contra verò animo omni propria voluntate exuto ac nudato, Deus & pax perpetuò reipsa respondent, idque æquè in aduersis, vt prosperis ac iucundis. Ipse namque reuera adest, qui cuncta agit ac moderatur, quique est omnia. Qua ergo ratione crux vel afflictio præsens molesta eiusce modi hominibus esse queat, quando in ea Deum cernũt, Deum inue-

Pax immortificatorum quæ.

Volũtate propria nudatis

nulla crux molesta, sed est Deus omnia in omnibus.

niunt, Dei voluntate fruuntur, & suam prorsus nesciunt voluntatem? vt interim taceam omnes illas luculentas consolationes & cælestes oblectationes ac delicias, quibus Deus afflictos amicos suos crebrò recreat ac sustentat. Nimirum in ipso propemodum cælo isti degunt: quandoquidem quicquid illis eueniat vel non eueniat, quicquid in creaturis omnibus Deus siue agat siue non agat, cuncta hæc illis optimè cedunt & cooperantur in bonum. Hoc pacto homini æquanimiter aduersa patienti etiam in hac vita pars quædam præmij restituitur, eò quod in omnibus pace & gaudio potiatur, & post obitum vita eum consequatur æterna. Amen.

Rom. 8.

De spirituali Ministri filia.

CAPVT XXXV.

EOdem fermè tempore Minister Sapientiæ filiam habuit spiritalem professam Dominicanam, in clauso quodam cuidam oppidi cœnobio degentem, vocabulo Elizabeth Staglin, cuius externa vita & conuersatio admodum sancta, & interior animus plane angelicus erat. Præclara illa conuersio, qua totam anima & corde ad Deum transtulit, tam erat fortis, efficax, & vehemens, vt abomnibus statim rebus superuacaneis cunctisque vanitatibus, quibus multi æternam suam salutem negligunt ac impediunt, prorsus expediretur. Omne illius studium eò intentum ferebatur, vt spiritalibus posset institutionibus imbui, quibus

Elizabeth Staglin qualis.

quibus ad beatam perfectamque obtinendam vitam, cui vni vnicè inhiabat, dirigeretur. Si quid vspiam didicisset pium ac salutiferum, quod tum ipsam, tum alios ad spiritales capessendas virtutes posset prouehere, id diligenter annotabat. Imitabatur planè sedulas apes, mel dulcissimum ex multigenis floribus comportantes. In cœnobio illo, vbi inter alias virgines morabatur ceu virtutum omnium viuũ quoddam simulachrum, quamuis affecto & debili esset corpore, tamen librum quendam confecit non parum magnum, in quo inter alia conscripserat vita functarum virginum sanctam & religiosam viuendi rationem, & quam stupenda ac mira in eis Deus effecisset: quæ sanè cumprimis ad pietatem excitant homines Deo deuotos. Eadem virgo notitiam contraxit Ministri Sapientiæ, ad cuius discendam vitam ac institutiones multa cum deuotione diuinitus permota fuit: ficque factum est, vt occultè admodum qua illa ratione per omnia penetrâsset in Deum, seseq; primum abnegâsset, ex illo expiscaretur: idemque in scripta retulit, vt iam superius dictum est, & infra referetur. In primo conuersionis eiusdem virginis initio multa illi sublimia & ad intellectum pertinentia inciderunt, captu admodum difficilia, vtpote de simplici ac nuda diuinitate, vt res omnes creatæ nihil sint, de sui resignatione, de formarum ac simulachrorum omnium expulsione ac absterſione, atq; id genus alijs, quæ & elegãtibus erant ornata verbis, & lectori miram adferebant animi voluptatem. Sed in his id latebat detrimenti ac perniciei, quantum ad simplices

plices & primum inchoantes homines pe-
nebat, quod ob necessariæ discretionis defe-
ctum, quo etiãdum illa virgo laborabat, ver-
ba illa dictaque possent in hanc atque illam
partem, & æquè ad carnem vt ad spiritum
accommodari, prout lector affectus esset. Ip-
seipsis quidem erant optimæ institutiones, ne-
tamen ipsa se indè expedire poterat. Quamo-
rem scriptis orauit Ministrum Sapientiæ, vt
ipsi suppetias ferret, & ad planum regium-
ipsam iter deduceret. Sed quia ante dictarum
rum institutionum voluptate etiam ipsa non
nihil capta erat, scripsit ei, vt intermissis tu-
oribus institutionibus, de sublimibus illis
suprà memoratis rebus ad ipsam perscriberet.
Ad quæ Minister ita respondit: Si quidem tu
de eiuscemodi altis rebus præ admiratione
me cupis certior fieri, vt illis cognitis, de spi-
tu possis commode eloqui, facile te pauca
pediêro verbis, quæ tamen te gaudio effer
non debeant, maximè quando hinc facilè po-
tes in pernicioſos errores abduci. Vera sanc-
tas & profectio non in pulchris est verbis,
sed in bonis operibus & rectè factis. Si verò
te ad percontandum incitat, vt possis ea vbe-
do assequi, fac quod hortor, omissisq; interro-
raris & præcellis hisce quæstionibus, ea potiu
inquiras, quæ tibi magis conueniant & accom-
moda sint. Vt mihi quidem videtur, mon-
lis etiamnum es & iuuenis & parum exercita-
ta: quamobrem tibi tui que similibus longè
tilius & conducibilius fuerit, nôsse vt primu
incipiendum sit, & de vita actuosa salutiferi-
que ac pijs exemplis, vt videlicet ille atque ille

Vera sanctitas in quibus cõsistat.

Dei

Dei amicus, qui simili modo suæ vitæ emendationem sint auspicati, principio quidem in Christi vita & passione sese exercitârint, quænam perpetim perpessi sint, vt sese foris ac intus gesserint, vtrum à Deo suauitate an sterilitate tracti sint, & quando denique vel quo pacto rerum formis & imaginibus absoluti fuerint. His nimirum homo inchoans prouocatur, dirigiturque ad apprehendendam perfectionem, & ea, quæ sunt viciniora saluti, quâtenus possit hæc eadem Deus in momento præstare homini, quod tamen non solet, sed labore & concertatione ea obtinenda sunt. Ad hæc rescripsit virgo iam dicta: Non ego sublimibus & subtilibus inhio verbis, sed vitæ sanctimoniæ ac integritati, eaque omninò fiat animi sententia, rectè ac ordine prosequi, vtcunque molestum & acerbum id fuerit. Siue fugere oporteat, siue perpeti, siue emori, siue quodlibet aliud sit, quod me ad supremam possit perfectionem euehere, id planè persequi decreui. Nec est quod te absterreat Pater naturæ meæ imbecillitas. Quicquid ipse iubere ausus eris, etiamsi naturæ doleat, id equidem, diuinæ virtutis freta auxilio, exequi non verebor. Incipe primum à minimis, & sensim ad altiora me deducito, quemadmodum puerum scholasticum solet ludimagister ea primum docere, quæ pueritiæ congruant, ac subindè magis magisque promouet ad studia potiora grauioraq; donec in magistrum euadat. Vnum est, quod te oratum velim, quæso ne id abnuas, vt non modò abs te dirigar ac instituar, sed confir-

Quib. ad perfectionē quisq; piam nouitius incitetur apprehendēdam.

Ardens piæ virginis proficiendi desiderium.

Pelecanus quãto pullos suos amore prosequatur.

confirmer etiam & corroborer in quibus libe quæ mihi possint accidere, aduersitatibus. Sol citante Ministro, quænam ipsius esset petitio respondit. Ex alijs didici mi Domine, pelecanum ea esse natura, vt rostro seipsum vulneret, ac proprio cruore suos alat pullos, naturæ victus amore. Quo exemplo id ego significare volo, vt tu quoque eodem modo me miseram ac indignam filiam tuam esca spiritualium institutionum tuarum foueas ac nutriceris, nec eas aliunde colligas, sed ex teipso petas. Quanto namq; propius quid ipse experiaris, propriaq; didicisti vita tua, tanto magis afficiet ac permouebit sitibundam animam meam. Ad hæc Minister rescripsit in hunc modum: Non ita pridem sublimia quædam dicta mihi exhibuisti, quæ tu ipsa tibi collegeras ex mellitissimis sanctæ memoriæ Doctoris Eckardi scriptis, quæq; ita vt par est, magno studio & amore conseruas. Non possum ergo non vehementer admirari, quod post hausti præclarissimi illius viri eximium nectar, tanto opere te sitire significas humilis Ministri simplicem ac rusticum potum. Quamquam dum id rectè perpendo, non sine ingenti gaudio tuam hac in re prudentiam & industriam comperio, quod studiosè inquiras, quæ prima sint initia sublimis ac securæ vitæ, aut quibus exercitijs ad eam primò pertingendum sit.

De hominis inchoantis primis initijs.

CAPVT XXXVI.

AT verò sanctorum omnium exordia diuersa sunt, aliud huius, aliud illius. Interim tamen non committam, quin de illo agam rectioris vitæ initio, de quo tu cupis certior effici. Noui ego hominem in Christo, qui cum incipere meditaretur, primò conscientiam suam integra confessione expurgauit: eratque tum totus in eam intentus curam, vt confessionem illam ritè perageret, erratáq; sua omnia prudenti ac discreto confessario explicaret, sicq; ab eodem Dei vices gerente mundus & immaculatus recederet, remissis ipsi cunctis peccatis, perinde vt beatissimæ Magdalenæ, corde compuncto & flentibus oculis Christi sacra vestigia abluenti, eodemq; Christo omnia illi peccata condonante. Hoc, inquam, illius hominis primum fuit erga Deum initiū. Quod vbi percepit antedicta virgo, suo affixit animo, volensque etiam ipsa similiter agere, toto affectu Ministrum illū ceu maximè idoneum cœpit velle habere confessarium, hoc ipso id etiam spectans, vt ratione confessionis, illius quoque filia spiritalis efficeretur, esseq; in fide Dei tanto commendatior. Sed quia certis quibusdam ex causis non poterat illi ore confiteri, totam suam commemorauit vitam, quæ reuera innocens & immaculata erat, & vbicunq; pro sua opinione vnquam deliquerat, in grandi conscripsit tabula cerea, eamq; signatam illi misit, rogans vt absolutionem ipsi impartiē-

Initium vitæ melioris integraveraque cōfessio peccatorum.

Luc. 7.

partiretur. Perlecta ergo illa confessionis bula, ad calcem ita scriptum offendit: Venerabilis Domine, misera ego peccatrix tuis pe uoluta vestigijs, obsecro vt fidissimo corde me in cor diuinum reducas, patiarisque me & dici filiam tuam in temporaria ac eterna ta. Hac ille fidenti virginis huius deuotio medullitus commotus, ad Deum se conuerti ait: Ecquid dicam pissime Domine? An re pellam eam? Certè id ego nec cani possim cere: & si id agerem, fortassis dedecori esset bi Domino meo: quandoquidem illa divina Domini sui in eius famulo requirit. Itaque mentissime Domine vna cum illa tuis adoran tus pedibus, obsecro eam exaudias. Profit fides sua & pia confidentia. Clamat enim pu Matth. 15. nos. Cogita quid olim feceris mulieri illi Ca nanitidi. Certè pijssime Domine tam apud nos celebris est & peruulgata immensa benigni tua, vt etiam multò pluribus peccatis merit debeas veniam dare. Clementissime Iesu, be gnissimos oculos tuos ad illam conuerte. Di vnicum illi consolatorium verbum: Confi filia, fides tua te saluam fecit. Sitque id oro bi mum & ratum & meas ergo illã vices implas siquidem ego quod meum erat, feci, optans i pleniſſimam peccatorum omnium veniã. De indè cum eodem nuncio rescripsit illi: Quod Deo per Ministrum petijsti, præstitum tibi ue ueris, certumque habeas iam antè id illi fuisse à Deo reuelatum. Eodem namque die mane admodum post absolutas preces suas paulisper quieturus resedit, consopitisque externis sen sibus per visum multa ei diuinæ bonitatis spe

OIV 45

stacula obiecta fuêre. Inter alia ex diuina irradiatione didicit, vti Deus angelicos spiritus maximis affecerit gaudijs, summaque felicitate donarit, & vt singulis pro singulari quodam ordine at discrimine peculiares indiderit proprietates, quas verbis non posset explicare. Atque cum aliquamdiu cum illis beatissimis spiritibus cælesti sese recreâsset voluptate, essetque animo exhilaratus ex stupendis illis & admirandis, quæ illius anima persenserat, illustrationibus, in eadem visione ad sese ingredi te vidit, coramque ipso assistere inter angelorum frequentiam assidente, moxque serio admodum flexis humi genibus faciem tuam ad cor ipsius reclinare, atque diu satis ita te permanere, adspectantibus illis angelicis spiritibus. Mirabatur autem ipse Minister audaciã tuam: quamquam ea ciuilitate ac honestate composita eras, vt benignè te toleraret. Quid verò gratiæ in illo misero recumbens corde à Deo cõsecuta sis, tu ipsa optimè nõsti, poteratque in te animaduerti. Non post longam moram cum te erexisses, facies tua tam iucunda, serena, gratiosa apparuit, vt posset perspicuè intelligi singularem quandam gratiam tibi & contulisse Deum & adhuc collaturum per cor illud, adeò vt Deo laus, & tibi indè accedat consolatio. Eodem ferè modo contigit alteri cuidam, præclaræ sanè ac admodum religiosæ virgini in castro quodam commorari, Annæ vocabulum habenti, cuius vita omnis non nisi mera perpessio fuit. In ea DEVS magna & admiranda operatus est à primæ ætatis initijs ad mortem vsque. Hæc ante quàm nõsset Mini-

Ministrum Sapientiæ, & vel auditu quipp
de eo percepisset, vice quadam inter ora
facta in ecstasi, vidit vt in cælesti patria
Deum contemplentur & laudent. Petijt a
à D. Ioanne Euangelista, qui illius erat Apo
lus, cuiq; speciali deuotione afficiebatur,
sius confessionem reciperet. At ille perbe
respondit, daturum se ipsi suo loco bene
neum confessarium, cui Deus plenam in
contulisset authoritatem siue potestatem,
qui abunde eam posset consolari in mul
dis ipsius afflictionibus. Perquirente a
Virgine, quisnam ille esset, quique voca
cuncta illi ab Apostolo declarata sunt. Ill
tias agens Deo, primo manè surrexit, ad
cœnobium, quò missa erat à Deo, inquis
vbi Minister foret. Itaque Minister voca
portam cœnobij accessit, & interrogauit
quid negocij haberet. Exposuit ea illi te
erat, & confiteri cœpit. Ille cognito quod
nitus ad ipsum missa foret, permisit eam
teri, & illi satisfecit. Narrauit autem M
eadem sancta virgo, vidisse se quandoq
spiritu pulcherrimam rosaceam arborem,
imijs ijsdemq; rubicundis conspicuam ro
hac arbore apparuisse puerulum Iesum
serto ex rubicundis confecto rosis. Subipsa
tem arbore sedisse Ministrum. Porrò
paruulum perplures carpétem rosas, in ipsu
Ministrum conieciisse, donec totus esset
obsitus. Sciscitanti autem virgini ecquid
rosæ illæ vellent, puerulus respondit: Ros
stæ multæ numero, multijuges significant
ces, quas Deus Ministro permittet euenire,
illi

ille suauiter ac comiter accipiet ex Dei manibus, & feret patienter.

De primis hominis incipientis institutionibus & exemplis siue figuris, vtque eius exercitia cum discretione debeant esse coniuncta.

CAPVT XXXVII.

CAeterum vbi in primo rectioris vitæ exordio per confessionem sese Minister ritè repurgârat, sua ipse sibi cogitatione tres præfixit circulos vel terminos, intra quos pro spiritali custodia ac obseruantia sese inclusit & cohibuit. Primus circulus erat, eius cubiculum, Sacellum, & Chorus Templi. Intra hunc ambitum constitutus, satis sibi in tuto esse videbatur. Alter erat circulus totum cœnobium intra portæ limites. Tertius idemq; extimus, ipsa erat porta, vbi multa illi opus erat circumspectione & custodia. Extra hos autem tres terminos si quando processisset, nihil sibi differre videbatur à siluestribus bestiolis extra suam specum progressis & à venatoribus circundatis, quibus haud dubiè magna opus est industria & arte qua se tueantur. In ipso quoq; suæ conuersionis principio quendam sibi secretum delegerat locum, nempe Sacellum, vbi suæ deuotioni etiam per imagines satisfaceret. Speciatim verò cùm adhuc adolescentulus esset, in membrana sibi depingi curârat æternam Sapientiam cælo terræque præsidentem, miraque pulchritudine & formæ elegantia ac amicabili

cabili specie creaturarum omnium decor facilè superantem, vndè eam sibi in ipso tutis flore in sponsam & amicam adsciue Hanc imaginem mirè formosam secum de re solebat, quamdiu studij causa alio profi cogebatur, eamque sibi ob oculos ponebat sui cubiculi fenestram, & intimo cordis affe sæpius eam intuebatur. Ad extremum secu eam domum reduxit, & sincera animi intu tione in ipso Sacello eam collocauit. Quas rò præterea illic imagines habuerit, pro rum obiectis, prout ipsi alijsque inchoanti congrueret, satis potest aduerti ex pictis Sacello figuris & sententijs antiquorum trum, quæ hic partim asscriptæ sunt, ita Sacello erant delineatæ, magisq; sensum qua verba expressimus.

ABBAS Arsenius interrogauit Angelu quid faceret vt saluus fieret. Dictumq; est Fuge, Tace, Quiesce. In visu quodam Angel Ministro ex vitis patrum eiusmodi legisse tentiam: Fons & origo bonorum omnium d iugiter secum commorari.

ABBAS Theodorus: Puritas cordis maio rem confert scientiam, quam studium ipsum

ABBAS Moises: Sede in Cella tua, & ipsa de omnibus instituet.

ABBAS Ioannes: Externum hominem cu serua in silentio, & internum in puritate.

IDEM: Pisces extra vndas, & Monachus ex tra Cellam, æquè deficiunt.

Castitatem quæ conser-uent.

ANTONIVS. Corporis castigatio, cordis deuotio, & secessus ab hominibus, efficiunt ac tuentur castitatem.

IDEM

IDEM: Nullam geras vestem, quæ prę se ferat vanitatem. Primum noui tyronis certamẽ est, aduersum vitia fortiter dimicare.

ABBAS Pastor: Nulli vnquam indignaberis, etiamsi vel dextrum tibi impleatur oculũ excutere.

ISIDORVS Abbas: Homo iracundus displicet Deo, quamlibet magna signa efficiat.

IPERICIVS: Minus peccat, qui tempore vetito carnes edit, quam qui proximo detrahit. Detractiõ quantum malum.

ABBAS Pior pessimum est aliena tractare vitia, propria dissimulare.

ZACHARIAS: Magnoperè illum contemni necesse est, qui velit esse perfectus.

NESTOR. Asinus ante fias oportet, quam diuinam obtineas sapientiam.

SENEX quidam: Mortuorum instar in aduersis & prosperis semper immotus permaneas. Ornatus religiosi quis.

HELIAS: Pallidus vultus, confectum macie corpus & humilis incessus ac conuersatio, probè ornant religiosum hominem.

HILARION. Equo lasciuo & petulãti cori de esca detrahendum est.

SENEX quidam: Auferà me vinum: siquidẽ mors animæ in illo latet.

PASTOR: Nequaquam ille Monachus cẽsendus est, qui adhuc conqueritur, nec iram compescere, multiloquium fugere, suiq; contemptum ferre nouit.

CASSIANVS. Vt sese Christus gessit in cruce moriens, ita nostros debemus mores componere. Mores nostri qui componendi.

ABBAS Antonius ad fratrem quend
Agè frater salutis tui curam geras, aut cert
que DEVS, neque ego vnquam tibi consc
poterimus.

ARSENIVM Abbatem cum mulier q
rogasset, vt ipsius esset memor apud Dom
At ego, inquit, oro Deum, tui memoriam
nimo meo prorsus excludat.

MACARIVS: Vexo corpus meum
diuexans, multisqúe affligens me tent
nibus.

IOANNES Abbas: Nunquam pro
voluntati obsecundatus sum, nec vnq
verbis alios docui, quod ipse factis non
stitissem.

SENEX quidam: Multa pulchra verba
que rectè factis, inania sunt, perindè vt a
multis abundans folijs, & fructu vacua.

NILVS: Qui in mundo multum ver
habet, multa is quoque vulnera accipi
cesse est.

Castę vitæ meritum.

SENEX quidam: Si nihil potes aliud in C
la exercere operis, vel parietes illius, Dei a
re, custodias.

IPERICIVS: Qui castè viuit, is honor
afficitur, & à Deo coronatur.

APOLLONIVS: Principijs obsta, & ca
serpentis contere.

AGATHON Abbas: Triennio lapidem
re tuli, vt silere discerem.

ARSENIVS: Sæpè me locutum dolui,
cuisse nunquam.

SENEX à quodam iuuene requisitus qu

ciu tacendum sibi foret, respondit: Donec interrogaretur.

SANCTA Syncletica: Dum ægrotas, gaude: tamque Deus tuî meminit. Nec morbi causam ieiunijs assignes, siquidem & qui non ieiunant, ægrè habent. Si corporis vexaris tentationibus, itidem gaude, quod alius ex te Paulus possit effici. In aduersitatibus curgaudendum. 2. Cor. 12.

NESTORIVS. Nunquam me Sol manducantem vidit.

IOANNES. Nunquam me Sol irascentem intuitus est.

ANTONIVS. Discretio inter virtutes facilè primas sibi vendicat, id est, vt in omnibus possis medium attingere & adhibere modum.

PAPHNVTIVS: Nihil iuuat benè cœpisse, nisi ad finem perseueres.

ABBAS Moises. Quicquid animi officit puritati fugiendum est, quantumuis bonum appareat.

CASSIANVS. Totius perfectionis scopus est, vbi anima cum vniuersis viribus suis in vnicum illud vnum quod Deus est, recepta est. Luc. 10.

Hasce figuras & sententias Patrum filiæ suæ spiritali Minister misit ea mente, vt etiam ipsa corpus suum Patrum illorum exemplo seuerè castigaret. Quod illa suscipiens, cœpit subtrahere sibi, seseque affligere cilicinis vestibus & funibus, horrendis vinculis, acutis clauis ferreis, atque id genus alijs multis. Quod vbi Minister percepit, hæc illi mandauit. Si quidem filia vitam spiritalem pro meo consilio ducere decreuisti, quemadmodum à me ipsa petisti, missum fac eiusmodi nimium rigorem &

asperitatem. Neque enim vel fœmineæ imbecillitati, vel benè constitutæ naturæ ac habitudini tuæ ea congruit. Non dixit Christus, Tollite meam crucem in humeros vestros, sed ait, *Tollat quisque crucem suam.* Non debes velle imitari Patrum antiquorum rigidam seuerim[illegible] nec etiam aspera spiritalis Patris tui exerci[illegible] Sed ex his duntaxat quædam tibi desumes, [illegible] corpusculi tui infirmitas benè perpeti po[illegible] vt vitia quidem in te extinguas & perimas [illegible] corpore diu viuas. Ea nimirum præclara [illegible] exercitatio, tibique vtilissima. Cum autem [illegible] la scire vellet, cur ipse Minister tam dura [illegible] set amplexus exercitia, quæ tamen nec ipsi [illegible] alijs consuleret sectanda, ad scripturas Pa[illegible] eam remisit, dicens: Literis proditum est, [illegible] inter Patres quosdam penè inhumanam a[illegible] pra quam credi possit, asperam egisse vi[illegible] adeò vt hisce recentioribus temporibus [illegible] cati quidam homines non possint id sine [illegible] rore vel audire saltem. Non enim attend[illegible] quantum feruens amor & strenuitas cum [illegible] virtute cõiuncta, & agere & perpeti queat [illegible] sa Dei. Huiuscemodi feruenter amanti [illegible] ni, omnia etiam impossibilia, planè possibi[illegible] fiunt in Deo. Ita Dauid in Psalm. *In Deo* [illegible] quit, *transgrediar murum.* Contra verò in [illegible] Patrum vitis æquè annotatum legimus, [illegible] dam hanc asperitatem & rigorem præter[illegible] sisse: & tamen vtrique ad vnum spectabat scopum. D. Petrus & Ioannes Apostoli [illegible] eodem tracti fuêre modo. Quis hæc omnia mira sanè, absoluere & explicare queat [illegible] quod *mirabilis* est *Deus in sanctis suis*, & [illegible]

Matth 16. Luc 9. Crux cuique sua ferenda.

Psalm 17.

Psalm. 67.

dum multitudinem magnitudinis fuæ diuersis vult modis laudari? Deindè non omnes eadem sumus corporis & naturæ habitudine pręditi. vnde quòd vni proficit, alteri officit. Non ergo putandum est, si quis fortassis talem rigorem amplecti nequeat, ea re impediri eum quò minus summam possit perfectionem assequi. Quanquam alia ex parte non debent molles ac delicati in alijs eiusmodi rigida exercitia & asperam viuendi rationem spernere aut damnare, vel in partem peiorem interpretari. Vnusquilibet tantum in seipsum intentus sit, obseruetque quid ab ipso requirat DEVS, & illi satisfaciat, alijs prætermissis. Vt plurimum sanè satiùs est, moderatum ac discretum sequi rigorem & seueritatem, quam nimiam ac indiscretam. Sed quia difficilè est medium tenere, præstat paululum à medio deficere, quam plus satis ipsum excedere. Fit enim haud rarò, dum naturæ nimium inordinatè subtrahitur, vt postmodum necesse sit inordinatè nimium illi indulgere: tametsi plerique insigni sanctitate Patres, præ ardentissimo feruore hac in parte excesserunt. Eiusmodi rigida viuendi ratio & exempla memorata illis conferre queãt, qui sibijpsis nimiũ propicij sunt, nimisq; molliter se habent, ac petulãti & indomito corpore suo in suî perniciem dedita opera abutuntur. Porrò tibi actuî similibus non ita conueniunt. Habet Deus varias cruces, quibus suos castigat & probat amicos. Equidẽ sic sentio Deum aliã tuis velle humeris crucem imponere nõ paulò molestiorem, quam sit ista corporis castigatio.

Cuique sibi ipsi tantum intendendũ.

Vitæ rigor quibus conducat & quibus non.

Eam vbi acceſſerit, æquo animo recipe. Non multò pòſt elapſo tẽpore cœpit Deus hãc virginem diuturnis afficere morbis, ita vt corporis aduerſa laboraret valitudine ad extremum vitæ ſuæ diem. Scripſit autem Miniſtro vtinam accidiſſet, quemadmodum ille antè prædixerat. Cui tale Miniſter reſponſum reddidit per literas: Non ſolum per me filia chariſſima Deus tibi futuras prædixit cruces tuas, ſed manu iam in te afflixit & læſit, maximè quando neminem alium habeam, qui deinceps pari studio & tam ſincera fide ſuam mihi commoda curus ſit operam in abſoluendis conficiendisve lucubrationibus meis, perindè vt tu ſecum incolumis eſſes. Eam ob rem idem Miniſter Deum ex animo pro te orauit, ſi ſibi gratus eſſet, vt ſalutem tibi reſtitueret. Sed cum precibus voto non ſtatim exaudiretur, amicabili quadam indignatione erga Deum motus, dixit nullos poſthac de ipſo conſcripturum libellos, atque etiam matutinam illam ſalutationem, qua erat vtì ſolitus, ſeſe omiſſurum, niſi ſibi ſanitati redderet. Cum igitur ſub hac animi perturbatione in Sacello pro conſuetudine ſeſſum ſe recepiſſet, à ſenſibus abſtractus, videre viſus eſt angelorum frequentiam in ipſum Sacellum ingredi, & eius conſolandi gratia cœleſte carmen depromere. Nouerãt enim id temporis haud vulgari eum afflictione vexatum. Sciſcitantibus autem illis quid ita mœſtus eſſet & cur ipſis cantantibus ſe ſocium non adhiberet, faſſus eſt illis animi ſui perturbationem, qua commotus eſſet erga piſſimum Deum, quod ſuas nollet exaudire preces ſalutis tuæ cauſã

causa fusas. At illi hortabantur eum vt quiesceret, nec ita se gereret: quandoquidem DEVS eam tibi permisisset euenire corporis aduersam valetudinem pro summa vtilitate tua, atque eandem fore crucem tuam in hoc seculo, qua & in presenti maximam gratiam, & in futura vita multiplex præmium tibi sis comparatura. Ergo filia patiens esto, & afflictionem hanc non nisi ex Dei prouidentia ceu munus gratissimum accipe. 2. Cor. 12.

De puerili deuotione in nouis Christi tyronibus.

CAPVT XXXVIII.

POstea Ministrum visitandi causa ad se venientem, ægrè affecta hæc virgo rogauit, vt quippiam de rebus spiritalibus sibi referret, quod non magnam præ se ferret seueritatem, & tamen animo Deum amanti esset iucundum auditu. Cœpit ergo Minister illi quædam commemorare de sua puerili deuotione ac pietate, aitque Minister cum ætate adhuc iuuenili viuido esset animo, multo tempore eum seruabat morem, vt vbi venam sibi incidi permisisset, ad Christum se reciperet in cruce pendentem, prolatoque saucio brachio suo, intimis cum suspirijs diceret illi. O amicorum omnium longè charissimè Domine Iesu, recorderis obsecro hanc inter homines versari consuetudinem, vt amici suos accedant amicos, cum sibi sanguinem minuerint, quo salubrem possint recuperare sanguinem. Atqui tu

Ad incisionē venę in ætate adhuc iuuenili, vt se Minister gesserit.

ipse nôsti mi Domine, neminem te vno m
esse chariorem. Hac de causa ad te venio, v
huic meo benedicas vulneri, & bonum mih
sanguinem crees. Eodem adolescentiæ sua
pore postquam rasus erat, & elegantissimo fa
cies eius colore perfunderetur, ad Domin
Iesum se cõtulit dicens. Suauissime Iesu, si iu
tus & os meum rosarum omnium colore
quantumuis gratum vinceret, non nisi tibi
hanc pulchritudinem tuus Minister exhibe
Et quamuis cor ipsum tu potius inspicias, a
externa non admodum attendas, hoc ipso
men cor meum quandam tibi amoris signi
cationem exhibet, quod ad te, non ad alium
liquem, me confero. Si quando nouam tun
aut cucullum induisset, primò ad solitum
recipiebat locum suum, orabatque cæli Do
num, cuius beneficio id esset vestimenti con
cutus, vt eam vestem sibi vellet esse salutar
præstaretque ipsi pro sua gratissima volun
eam deterere. In puerili etiamnum ætate co
stitutus, Vere nouo aduentante, & pulcher
mis erumpentibus flosculis, pro consuetudi
sua retinebat sese, ne flosculos vel carperet
attrectaret, donec spiritali amicæ suæ iucu
dam & peramœnam ex ipsis floribus coron
conficeret, in qua primum quem carpsi
florem, in Dei matris honorem inseruit. U
inde vbi tempus illi adesse videbatur, decer
bat flores non sine multis amantissimis cog
tationibus, absportansque eas in cubiculu
sertum indè efficiebat: ingressusque Chor
Templi aut D. Virginis Sacellum, coram ip
imagine flexis humilimè genibus, eiusde
ima

Puer adhuc qualiter sertum Deiparæ facturus flores carpserit.

imaginis capiti sertum imponebat, ea animi intentione, quod ipsa esset flos omnium gratissimus, suique cordis vernans amœnitas oraba tque vt primitias florum à suo seruulo oblatas non despiceret. Quodam tempore, cum pulcherrimam illam Dominam suam eiusmodi decorâsset corona, in visu cælum ipsi patêre videbatur, cernebatque lucidissimos spiritus angelicos splendidis amictos vestibus sursum deorsum volitare: simul etiam auribus hausit melodiam, longè omnium quę vnquam auditæ sint, suauissimam ab illis iucundissimis spiritibus in cæli palatio decantatam. Speciatim verò carmen quoddam de virgine matre concinentes illos audiuit tanta vocum harmonia, vt præ nimia voluptate totus animo colliquesceret. Erat autem carmen simile illi, quod omnium Sanctorum solenni die in Sequentia (vt vocant) canitur: ILLIC REGINA VIRGINVM TRANSCENDENS CVLMEN ORDINVM, &c. Cœpit autem etiam ipse vna cum illis canere. Hausit ibi tum anima illius plurimum cælestis gustûs & suauitatis, ardentisque erga Deum desiderij. Alio item tempore sub Maij initium amantissimæ illi Dominæ suæ cælorum Reginæ iuxta morẽ coronam rosaceam magna cum deuotione imposuerat. Eodem autem die mane admodum somnum sibi indulgere volens, eò quòd ex itinere fessus domum redijsset, proponensque ea vice gloriosam virginẽ insalutatã dimittere, vbi surgendi iuxta consuetudinem illius hora aduenit, videbatur sibi velut in cælesti quodã Choro consistere, vbi Magnificat in Dei matris laudem

laudem decantabatur. Eo finito, virgo illa sacratissima accessit ad Ministrum, præcepitque vt versum illum canere inchoaret, O VERNALIS ROSVLA, &c. Cogitabat ille quid hac re sibi vellet, ac nihilominus obtemperare ei volens, hilari animo cantare cœpit, O VERNALIS ROSVLA: moxque ex illa angelica familia in Choro adstante, tres vel quatuor adolescentes simul cum illo suas iunxerunt voces: deinde certatim reliqui omnes: cantabantque tam magnanimiter ac suauiter, ac si vniuersa illic instrumenta Musica resonuissent. Sed eam cantûs nimiam suauitatem infirma eius natura ferre non valente, ipse ad se reuersus est. Altera post assumptionem eiusdem virginis die ingentia cælestis patriæ gaudia iterum videre permissus fuit, sed nemo intrò admittebatur, qui indignè accessisset. Itaque Ministri admodum nitentem ingredi, adolescens quidam per manum apprehendit, aitque: Non ita vt putes frater hac vice licere tibi ingredi: sed hîc foris subsiste: quandoquidem debito obstrictus teneris, culpamque tuam satisfactione diluas oportet, ante quam possis cælicas audire cantiones. His dictis, per viam flexuosam ac tortuosam duxit eum in antrum quoddam subterraneum, prorsus obscurum ac inane & horrido adspectu. Non poterat hac illac vel progredi Minister, perinde vt illi, qui in vincula coniecti, neque Solem, neque Lunam videre denuntur. Hîc ille misere afflictatus, cœpit alta trahere suspiria, & gestus præ se ferre lamentabiles ob suam captiuitatem. Paulò post reuersus adolescens, petijt ab eo, vt haberet.

Respon-

Respondit ille, pessimè se habere. Tum adolescens: Noueris, inquit, summam cælorum Imperatricem inpræsentiarum irato in te esse animo ob culpam illam, cuius causa hic captiuus detineris. At Minister hinc valde perterritus, ait: Heu me miserum, quid tamen erga illam deliqui? Respondit Adolescens: Indignè fert, quod tam inuitus de ipsa concionaris in illius solennitatibus, adeò vt heri etiam in illius præcipua celebritate superioribꝰ tuis nolle te de ipsa concionem habere responderis. Ad hæc Minister: Ego, inquit, mi Domine tantæ eam dignitatis existimo, vt me indignum putem, qui de ipsa verbum faciam ad populum: atque eam ob rem senioribus magisque idoneis hanc ego prouinciam relinquo, quod plane sentiam longè eos præclarius de ipsa concionari, quam miser ego possim. Contra autem affirmante adolescente, quod Dei genitrix ipsius conciones perquam gratas haberet, nec debere eum posthac id officij subterfugere, ille solutus in lachrymas, dixit adolescenti. Quæso te charissime, concilia mihi gratiam beatissimæ matris Dei. En polliceor tibi fide mea, me posthac aliquid eiusmodi non admissurum. Subrisit adolescens, eumq; blandè consolans, ex carcere eductum ad sua reduxit, dicens ei: Animaduerti ex placido cælestis Imperatricis vultu & illius de te sermonibus, suam erga te iram sepositam esse, semperq; materna fide te prosecuturam esse. Per id temporis in consuetudinem verterat, vt quoties extra cubiculum descenderet, vel rursus ascenderet, per Templi Chorum suum faceret iter, & dignissimum salu-

Cur de gloriosa virg. matre Suso concionari detrectauerit.

Morem quē Minister intrans & egrediens cubiculum suum habuerit.

salutaret Sacramentum, ita secum cogitans, S. quis habeat eò quo pergit itinere amicū hau vulgarem commorantem, libenter solet no nihil suum proferre iter, vt possit suum am cum inuisere & familiariter alloqui. Aliquan do contigit vt peteret quidam à Deo festa bacchanalia exhiberi, eo quod nollet ea a quauis mortali creatura recipere. Itaque à sen sibus subductus, videre sibi visus est Domin Iesum intrantem ea forma, qua erat cum esset triginta annorum, vt ipsius expleret desider um & cælestia ei bacchanalia efficeret. Accep

Discrimen hominis inchoātis, progredientis, & perfecti.

autem idem Dominus Iesus scyphum vin plenum in manus, obtulitque eum tribus illi ad mensam inibi assidentibus, alij post alium Primus hausto vino cecidit, viribus destitu tus. Alter nonnihil debilis effectus est. Tertia nihil sensit incommodi. Quid verò hæc sibi vellet, Dominus Ministro expositi, indicau illi quid inter inchoantem, progredientem, & perfectum hominem interesit, & vt ei diuersa se ratione gerant in diuinæ suauitatis affluen tia. Hæc atque eius generis alia cum Minister suæ ægrotæ filiæ recitâsset, sermoni suo finem imposuit. At illa, quę audierat, cuncta annotauit clanculo, & vt possent seruari, in cistam ei inclusit. Quodam autem tempore alia quędam religiosa sanctimonialis venit ad eam, dicens Ecquid habes soror diuini mysterij in tua ar ca reconditum? Hac nocte in somnis vidi cæle stem quendam puerulum in eadem arca consi stentem, manu tenentem Musicum quoddam instrumentum longè suauissimum, quo spiri tales depromebat cantiones vsqueadeo iucun

dat

das & tinnulas, vt nemo nõ spiritali inde gaudio & voluptate afficeretur. Quæso te mea soror, profer id quod illic inclusum seruas, vt etiam nos aliæ legamus. Tacuit illa, nec quicquã indè referre voluit: siquidem ne id faceret, interdictum illi erat.

Vt homines Mundi vanitatibus deditos Minister ad Deum reduxerit, & vt afflictos sit consolatus.

CAPVT XXXIX.

ALiquando multum interceſſerat temporis, quo nihil suæ spiritali filiæ Minister significârat. Scripsit ergò illi literas, vt quippiam ipsi denunciaret, vndè cor eius afflictum repurgaretur. Erant autem literæ in hunc fermè modum scriptæ: Miser aliquis nonnihil indè consolationis accipit, si alios se miseriores conspiciat: itemque homo afflictus animum recipit, si vicinos suos quandoque magis calamitosos fuisse, & tamen diuinitus adiutos percipiat. Ad hæc Minister ita rescripsit: Vt cruces tuas feras moderatius, dicam aliquid de afflictionibus in laudem Dei. Noui ego hominem, cui permittente Deo immanes euenêre cruces, quæ illius celebrem famam & existimationem attingerent. Illius ipsius hominis eò spectabat conatus omnis & desiderium, vt Deum posset toto amare pectore, eundemque ita posset insinuare omnibus, vt supra omnia ab illis amaretur, eosque à noxio & vano amore abstraheret: id quod & factum est in multis vtriusq; sexûs. Cernens autem diabolus

prædam

prædam suam sibi abstractam, Deo restitui, tulit id acerbè nimis, ac pijs quibusdam apparitionibus minas intentauit Ministro, dicens quod sibi illo egregiè vindicare instituisset. Interea venit Minister ad Cœnobium quoddam illius instituti, vbi & viri religiosi suo viuant more, itēq; fœminæ religiosæ suis legibus vtebantur. In eo cœnobio duæ religiosæ personæ, altera masculini, altera fœminei sexûs, miro inter se amore & familiaritate conspirauerant. Id verò diabolus in eorum occœcatis cordibus adeo virtutis colore obumbrarat, vt id minimè putarent vitio obnoxium, sed sibi diuinitùs permissum. Interrogatus autem Minister vtrum cum Dei voluntate ea posset amicitia perstare, ille planè negauit, asseuerans ipsorum opinionem falsam esse & Christianæ institutioni contrariam. Sicq; effecit vt ea dimeretur amicitia, & purè ac castè deinceps viuerent. Dum hæc agerentur, sancta quædam virgo Anna nomine, rapta in spiritu, vidit grandem dæmonum turbam supra Ministri congregatam magnis clamare vocibus: O infelicem illum monachum: venite, impetum in illum faciamus & eum occidamus. Interea maledicta & execrationes in illum congerebant, quod suis monitis & consilijs ab eo non grato loco eos expulisset: vnaq; omnes ferocissimis gestibus & vultibus iurabant, se in illum semper intentos fore, eiq; perpetim insidiaturos, donec ex illo sese vindicarent: & licet tactis in corpore aut facultatibus illi nihil possent incommodare, tamen honori & nomini illius apud homines seculares plurimum de-

detra-

Amicitia quæ nam Dei voluntati repugnet.

Vt varias Ministro minas diabolus intentârit.

detracturos, fœdaq; & turpia se illi affecturos, & quamuis occasiones omnes summo vitaret studio, nihilominus dolis & mendaciorum cuniculis se id effecturos. Territa his fuit virgo ante memorata Anna, dum hæc audiret, orauitq; Dei genitricem sanctissimam, vt illi auxilium ferret in periculis ipsi imminentibus. Cui mater pijssima benignè respondit. Nihil illi incommodi adferre possunt absq; permissu filij mei. Quicquid verò ille ei accipere permiserit, id illi erit longè vtilissimum, ac saluberrimum. Quamobrem iube illum bono esse animo. Hæc cum illa Ministro indicasset, cœpit is timere dæmonum concilium & infestam conspīrationem, & vt crebrò solitus erat in angustijs suis, in montem, vbi erat Sacellum in omnium angelorum honorem dedicatum, ascendens, more suo nouem vicibus Sacellum cum precibus circuibat, idq; in nouem angelicorum ordinum honorem orās eos seriò vt ipsi assisterent aduersum omnes hostes suos. Deindè primò manè in visione spiritali in amœnum ductus campum, vidit circum se numerosissimam beatorum angelorum frequentiam, ipsi opem ferre volentium, ipsumq; hisce sermonibus consolantium. Dominus tecum est, nec te in vllis vnquam angustijs & periculis tuis deseret. Ne igitur intermittas studium homines mundo deditos ad Dei amorem pertrahendi. His ille confirmatus, magno opere omnis generis homines ad Deum reducere conabatur. Virum quendam mirè audacem ac terribilem, qui totis octodecim annis confessus non fuerat, bonis verbis piè circumuenit ac

SS. Angelorū diaboli metuēs infestationes, præsidia implorat

Ab angelicis spiritibus cōfirmatur.

Mira ac efficax Suſonis in animabus venandis ſagacitas.

lucratus eſt, adeò vt diuina compunctus gra
ipſi Miniſtro tanta cordis contritione con
retur, vt ambo pariter lachrymas funder
Idem vir non longè pòſt felici deceſſit ex
Quandoque duodecim meretrices ab illa
pitudine conuertit. Quę verò mala ab illis
peſſus fuerat, dici non poſſet. Tandem non
ſi duæ ex illis perſeuerârunt. Ea in regione
ribus locis multæ erant fœminæ tum religi
ſæ, tum ſeculares, quæ præ animi fragilitat
mobilitate in vitia immaniter corruer
Miſeræ illæ neminem habebant, cui præ
re cordis ſui moleſtiſſimum dolorem con
ri auderent, ſed præ nimijs anguſtijs ea ſæp
mero tentatione pulſabantur, vt ſibijpſis v

Vt plurimarũ fœminarum periculo ac famæ ſuccurrerit.

lent inferre manus. Aſt vbi perceperunt Mi
ſtrum pijſſimo eſſe animo erga afflictos om
nes, ſumpta fiducia ad illum properârunt ſi
gulæ, eo præſertim tempore, dum periculu
immineret, expoſueruntqúe ei lamentabile
ſuas anguſtias & diſcrimina, quibus præmi
tur. Vbi ille vidit miſeras tam miſerè affli
vnà cum illis plorans, benignè eas conſolã
tur, ſubuenitq; eis, & licet non ſine famæ ac
noris ſui diſcrimine, tamen operam dedit,
& animas & formam illæ recuperarent ſan
floccipendens interim, quicquid linguæ mal
dicæ ipſi affingerent. Inter cæteras vna
claris orta natalibus, quæ ſe lapſam plurimu
dolebat. Huic apparens beatiſſima virgo Ma
RIA, juſſit eam ſuum adire Sacellanum (Mi
niſtrum ſubindicans) à quo curaretur. Cu
autem illa diceret ſe eum minimè cognoſce
ait ad eam mater miſericordiæ. Reſpice fil
pa

pallium meum, vbi sub meo eum seruo patrocinio ac diligenter vultum eius contemplare, vt eum nosse queas. Ipse namq; est miserorum omnium consolator ac sublenator, & ipse te consolabitur. Venit illa ad Ministrum, eiusq; agnouit vultum, vt ante in spiritu erat intuita, orauitq; eum, vt ipsi esset propicius, suum illi lapsum commemorans. At ille clementer eam excepit, & pro viribus opem tulit, quo posset amissam recuperare famam, quemadmodum mater misericordiæ illi demandârat.

Suso miserorum omnium consolator.

De immani quadam afflictione, quæ illi animarum salute sitienti euenit.

CAPVT XL.

HAc ratione innumeris ille afflictis hominibus opitulatus fuit. Sed ob hoc genus pietatis officia multas eum oportuit diras cruces perpeti, quas tamen pius Dominus ante illi per visum significauit eo, quo sequitur, modo: Die quadam serò ad hospitiũ quoddam venit: at altero manè circa diei exortum in visione ductus est ad locum quendam, vbi erat Missæ sacrum celebrandum, idque illi forte incumbebat. Cantores autem Missæ Introitum, vt vocant, de Martyribus cõcinebant, hunc videlicet: MVLTAE TRIBVLATIONES IVSTORVM. Id ille inuitus audiebat, cupiensq; aliud decantari officium, ait: Ecquid nobis Martyres obtruditis? Quid ita insanitis de Martyribus cantando, cum nullius hodie Martyris celebris memoria agatur?

Discit in visione magnas sibi tribulationes imminere.

At illi oculis in eum intentis, porrectisq; digitis, dicebant: Etiam hodiè suos Deus habet Martyres non minus quam vnquam alias. Tu tantùm præpares te, & perge canere. Verebatur ille vltrò citroq; folia codicis, quod Missale vocant, ante ipsum positi, optabatq; officium aliquod vel de Confessoribus, vel aliunde dicere, quam de Martyribus dira perpessis. Sed quantumlibet ille folia volueret, omnes paginæ Martyrum officijs plenæ erant. Tum ille videns non posse aliter fieri, cecinit cum illis sed planè lugubri voce. Deinde post paulum iterum eos alloquens: Est hoc, inquit, mirum satis & insolitum, quod nunc agitis. Cur non potius, Gaudeamus, de rebus iucundis canimus, quàm de Martyribus, quæ est materia lugubris? At illi contra respondebant: Nescis amice quid agatur. Cantus iste de Martyribus antecedit: postea quandoq; oportuno tempore sequetur festiuum Gaudeamus. Vbi ille ad se redijt, totus corde contremuit præ his quæ viderat, aitq;: Eheu pie Iesu, rursus ne cruces tolerandæ sunt? Cumq; in itinere mœsto esset vultu, dixit ei socius illius: Quid habes Pater, quod adeò tristis appares? Respondit ille. Eià frater mi, Missa hîc mihi cantãda est de Martyribus. indicare volés, à Deo ipsi reuelatum esse, quod immaniter esset diuexandus. Sed fratre hoc non intelligente, ipse quoque rem tacitam habuit. Deinde vbi venit ad oppidum ante Christi natalem diem, quando sunt prolixiores tenebræ, pro more suo acerbis cœpit afflictionibus excruciari, adeo vt humano iudicio putaret præ dolore cor suum diruptum iri, si cui alij id vi-

quam

quam eueniſſet. Siquidem tam grauiter his erat vallatus afflictionibus, vt prorſus illi miſerandum in modum ſubtraheretur, quicquid habebat reliquum ſiue commodi, ſiue ſolatij, ſiue honoris temporarij, ſiue alicuius alterius rei, quæ poſſet hominem recreare, quo ipſe niti potuiſſet. Porrò crux illa acerrima huiuſcemodi erat. Inter alios plures, quos cupiebat ad Deum reducere, venit ad eum fallax quædam & verſipellis fœmina, cor lupinum ſub honeſtæ (vt videbatur) conuerſationis tegmine gerens: idque adeò occultare nouerat, vt multo valdè tempore Miniſter id minimè poſſet animaduertere. Ceciderat illa ante in turpe flagitium & probrum cum viro quodam: nec eo ſcelere contenta, exaggerare illud voluit, prolem ex ipſa natum alteri prorſus innocenti aſſignando. Verum Miniſter ob hoc flagitiũ minimè eam à ſe repellere volens, audiuit confeſſiones illius, præſtititq; illi neceſſaria ac honeſta officia, plura etiam quam alij eius regionis religioſi fratres, quos Terminarios vocant. Sed cum multo id durâſſet tempore perſpicue tum ipſe, tum alij fide digni homines deprehenderunt, clanculo ijſdem deditam ſceleribus, quibus & antè fuerat. Quod tamen ipſe preſſit ſilentio, nolens eam prodere omnibus. At nihilominùs ſubduxit ſe ab ea, nec ſolitæ ei præſtitit obſequia. Quod vbi illa perſenſit, mãdauit ei, ne ſic ageret: nam ſi emolumentis, quæ ex ipſo caperet, fraudaretur, ipſum pœnas luiturum, daturumq; ſe ei puerulum, quem ex ſeculari viro haberet, cuius ipſum vellet genitorem affirmare, atque eo ipſo tantam ſe illi

ignominiæ notam inusturam, vt vbiuis locorum pessimè diffamaretur. Satis ille his verbis consternatus fuit, stansque secum tacitus, eximo ingemiscens pectore, intra se dixit: Angustiæ mihi sunt vndique & quo me vertam ignoro si enim hoc egero, væ mihi est: sin autem non egero, iterum væ mihi est: atque ita totum me angustiæ obsident, vt obruere me possint. Interim anxio sustinebat corde, ecquid tandem illi dæmoni aduersus ipsum permissurus esset Deus. Cepit autem id consilij apud sese ad Deum, præstare & corporis & animæ suæ saluti, vt inter duo mala potius eligeret disiungi à scelerata illa muliere, vtcunque accideret famæ illius: idque etiam secutus fuit. Hac illa adeò permota fuit, vt vltro citroque ad seculares & religiosos cursitans, præ immani improbitate sua seipsam libenter summa notaret ignomia, tantum vt illi misero crucem cōflaret: affirmauitque apud omnes ex illo se prolem concepisse. Ea res admodum offendit omnes, qui eius dictis fidem adhibebant, idque tanto magis, quanto illius peruulgata sanctitas longius percrebuisset. Id verò medullas cordis & animæ eius penetrabat, ibatque in seipso tabescens præ miseria & angustijs, duxitque noctes insomnes & molestos dies, breuisque somnus eius, terroribus permixtus erat. Suspexit ergò lamentabili vultu & profundis suspirijs ad Deum, & ait: En adest Domine temp⁹ illud miserabile, adest hora mea, quinam potero immensas cordis mei pressuras perpeti? O si mortuus essem, ne hanc calamitatem vel visu vel auditu perciperem. O pie Iesu,

Falso Susoni proles obtruditur.

Lamentabilis Ministri in angustijs maximis ad Deum compellatio.

Jesu, tuipse nôsti, vt præstantissimum nomen eum cunctis diebus veneratus sim, ac longè latèque omnib⁹ amabile reddere conatus sim, honorandumque obtulerim, & tu nomini meo tantam vis adferre ignominiam? Id meritò conqueri possim. En celebris ordo Dominicanus ex me tantam capiet infamiam: quod certè nunquam lamentari desinam. O angustias cordis mei. Pij omnes, qui me hactenus ceu sanctum hominem honore persecuti sunt, quod mihi poterat animum addere, iam non aliter quam fallacioſum hominum corruptorem adspicient, quod certè animam meam diris conficit vulneribus. Sub his querimonijs ac lamentis cum aliquamdiu ita versatus esset Minister, vt vita ac viribus deficeret, mulier quædam ad eum venit, dicens: Cur te adeò maceras domine? sume animum: en ego tibi faciléopem tulero', modo mihi obtemperare voles, ne quam tuæ existimationis iacturam facias. Sis ergo obsecro magno & infracto animo. Suspiciens ille, ait: Qua id ratione efficies? Respondit illa: Puerulum vlnis comprehensum sub veste clam subducam, & nocte vel vium sepeliam, vel acu in eius cerebrũ impresso occidam. Illo sublato, sopietur omnis hic tumultus, & fama tua integra tibi permanebit. Ad hæc Minister indignabundus respondit. O fœminarum omnium lõgè crudelissima, túne innocentẽ hunc paruulum ita neci dabis? Quid illi imputandum est, quòd mater eius tam flagitiosa est? Túne eum viuum sepelies? Absit absit, vt id latrocinij meo vnquam consensu admittatur. Nihil quicẽ peius hinc mihi accidere

Barbarica in fœmina crudelitatem perstringit acerrimè.

poteſt, quam famæ & nominis mei extinctio & reuera ſi vel totius regni exiſtimatio ex me penderet, libens ego eum hodie omnipotenti Deo offeram ac reſignabo, potius quam ſinam cruorem hunc innoxium effundi. At illa ait: Non eſt infans iſte ex te genitus: quid te angis? ſic pereat? ſimulq; cultrum acutum proferens, Sine, inquit, alio me eum abducere à conſpectu tuo: moxq; illi vel guttur præcidam, aut hunc ei cultrum in cor imprimam, ita eo ocyus defuncto, pax erit. Tum ille, Tace, inquit, mulier ſceleſta. Cuiuſcunque demum ſit paruulus iſte, at formatus eſt ad imaginem Dei, & ſacroſancto Chriſti ſanguine redemptus. Nolim ergo tam crudeliter eius ſanguis fundatur. At mulier atra commotabili, reſpondit: Si non placet vt occidatur, ſaltem patiaris mane eum in templum reponi, ita vt ſit alijs infantibus expoſititijs: aut certè intolerabiles feras ſumpſi neceſſe eſt, antequam educatur. Ait Miniſter: Equidem confido omnipotenti Deo, qui mihi hactenus prouidit, facilè eum etiam & mihi & huic paruulo neceſſaria præbiturum. Pergeo-

Infantem excipit nō ſuū.

gitur, & ad me infantem huc clam adducitur, vt eum inſpiciam. Cum ergo puerulum in ſuo reposuiſſet ſinum, arriſit illi paruulus. Vnde ille ex imo pectore ingemiſcens, ait: Egone mihi arridentem eiuſmodi formoſum infantulum perimam? Abſit. Equidem libens patiar, quicquid eius cauſa mihi acciderit. Verſoque blandè vultu ad infantem, ait: O te puellum miſerabilem, quàm miſer es orphanus. Siquidem qui te genuit, non te vult habere pro ſuo: infida genitrix tua exponere te voluit ceu canem

Alloquitur eundem cum animi dolore, præ commiſeratione nimia.

nem prorsus reiectitium. At Dei permissu mihi donatus es, vt ego tuus sim parens. Et id ego libens faciam, nec tamen aliunde, quam ex ipso Deo te suscipiam. Tu quidem dulcissime infans in meo resides sinu, & quamuis sermonis sis inops, tamen placidis me oculis intueris. At ego te saucio contemplor corde, oculisque lachrymantibus, & pijs oris osculis. En perfundo ego tenellam faciem tuam calidis lachrymis meis. Ast vbi sensit elegantissimus infans Ministri profusas lachrymas suam irrigare faciem, etiam ille acriter fleuit, atque ita pariter plorabant. Cernens autem Minister plorãtem infantulum, suo eum pectori amanter appressit, dicens: Cessa iam fili mi charissime. Ego ne te occidam, quod non sis ex mè genitus, meque oporteat tua causa duros perpeti labores? Non possum ego vllo pacto te affligere, quandoquidem meus eris & Dei filius, & quamdiu Deo procurante vlla mihi buccella supererit, tibi eam impartiar in laudem Dei, feramque libens quicquid hinc mihi acciderit. Has vbi voces lamentabiles audiuit ferox mulier, quæ infantem occidere instituerat, tota corde compuncta, in altos prorupit eiulatus, ita vt eam compesci oporteret, formidante Ministro, ne res in publicum diuulgaretur. Postquam illa satis fleuit, reddidit ei infantulum, illique bene precatus, ait, Benedicat tibi Deus, & sancti angeli eius ab omni te malo tueantur: insitq; vt suis sumptibus bene curaretur. Post hæc detestabilis mulier huius infantis mater, Ministrum magis ac magis vbique diffamari perrexit, maximè vbi id illi obesse potuisset, adeò vt

Compungitur mulier iã ante puero mortem machinata.

perplures honesti homines eius vicem miserarentur, sæpius mortem à iusto iudice Deo illi mulieri imprecarentur. Quandoque adijt eum quidam cognatus eius, & dixit. Væ mulieri illi sacrilegæ, quæ tantum in te facinus admisit. Profectò ego te de illa vlciscar. Latitabo vsquam in longissimo illo fluminis ponte, eamque transeuntem è ponte in flumen demergam, vt sic eius immanis crudelitas vindicetur. Cui Minister. Ne sic, inquit, feceris amice. Absit vt mea causa quisquam perimatur. Nouit Dominus secretorum omnium cognitor, iſtum infantem iniuria mihi eam obtrusisse. Ergo causam hanc illius ego manibus commendo, vt ipse eam vel occidat, vel viuere permittat pro suo arbitratu. Et quamuis animæ meæ periculum in illius procuranda nece dissimularem vellem, tamen honorarem in illa castas omnes & honestas fœminas, sineremque eam vita frui. Ad hæc ille indignabundus respondit. Apud me sanè nihil interest, vtrum fœminam iugulem an virum, si me huiusmodi contumelia affeciſſet. Cui Minister. Noli, inquit. Id enim immanis quędam feritas & barbara temeritas fuerit. Cessa igitur, sinasque euenire mihi cruces omnes, quas me pati volet Dominus. Increscente autem ipsa afflictione, quodam tempore victus animi infirmitate, cum nimium esset prægrauatus, volebat aliquid captare recreationis & leuamenti. Itaque ad duos abijt amicos suos, ex eis consolationē petiturus: qui dum fortuna arrideret, ei se familiares ac fidos exhibuerant. At ibi permisit eum Deus reipsa experiri in vtriſque quam nihil sit solidum ac

Magna Ministri longanimitas ac patientia in aduersis.

Amicitia hominum inconstans.

inco-

integrum in creaturis. Siquidem ab alijs duobus eorumque socijs longè grauiùs depressus fuit, quàm à vulgò. Alter eorum duris eum excepit verbis, faciemque ab illo indignè auertit, non abstinens â conuicijs & contumelijs. Inter alia, quæ in eum iniuriosè dixit, iussit eum à sua cessare amicitia & familiaritate, quod illius consuetudinis ipsum puderet. Ea verba per intimas cordis eius medullas ferebantur, dixitque ad illum voce miserabili: O frater mi, si te Deus permisisset in hoc densum demergi cœnum, vt me permisit, equidem ad te alacriter prosilirem, & comiter indè extraherem. Tibi verò proh dolor non id satis est quod me cernis profundè demersum, sed ipse etiam me conculcare niteris. Id ego conqueror afflictissimo quodam cordi pijssimi Iesu. Ille autem tacere eum iussit, dicens cum conuicio: Actum est de te. Non solum conciones tuæ, sed etiam quos fecisti codices, reijcientur. At ille erectis ad cælum oculis, suauiter respondit: Confido omnipotenti DEO, libellos & scripta mea oportuno tempore longè gratiora charioraque forè, quam vnquam antehac. Eiusmodi ille consolationem certè lamentabilem ex præcipuis suis sodalibus & amicis recepit. Eodem in oppido ad id vsque temporis homines pijsatis illi de necessarijs rebus prouiderant. Sed cum falsi isti rumores ad illos perlati essent, quotquot illis fidem adhibebant, opem & amicitiam ab illo retraxerunt, donec certa edocti veritate, rursus sese ad illum contulerunt. Die quadam nonnihil quieturus resedit. Atque interim sensibus subductus, videbatur sibi

Quidafflictus Suso ex sodalibus retulerit solatij.

sibi in regionem quandam intelligibilem abductus. Ibi tum quispiam in eius animæ fundo loquebatur hoc pacto: Audi, audi verbum consolatorium, quod tibi iam legam. Ille arrectis auribus auscultabat. Legit ergo illi latinè ea verba illa Esaiæ: *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.* Esa. 62. Hæc cum perlegisset, iterum ea tertio quartoque repetijt. Quod ille admirans, ait. Quid sibi vult, quòd toties hæc mihi commemoras? Ea, inquit, ex causa id ago, vt animo in Deum confirmato illi fortiter confidas, quando ille etiam terræ amicorum suorum, id est, mortalibus eorum corporibus necessaria prouidebit, & si quid vno loco detractum eis fuerit, id alio suppeditabit. Ita etiam pro sua benignitate tibi faciet Deus. Totum hoc reuera postmodum euenit, tamq; euidenter, vt plures præ gaudio riderent, laudarentq; Deum, quorum prius oculi ex nimia commiseratione lachrymas fuderant. Haud secus tum agebatur cum hoc afflicto homine, quam cum bestiola quadam à feris beluis lacerata ac dilapsa, quæ adhuc nonnihil odoris exhalet, quo afflicti famelici crabrones, toto illuc agmine aduolant, & reliquias ossium penitus depascũt, extractasque medullas secum in aëra abspectant. Eum namque in modum miserè ille longè lateque diuulgatus fuit, idq; ab hominibus specie religiosis, quique id facerent sub tegmine quodam piarum querelarum & piarum collocutionum, vt sese tanquam ex amicitia mutuò recrearent, cum tamen nulla in eis inesset fideli-

Qualiter fuerit in ineffabili sua calamitate exercitus.

fidelitas. Inde verò nõnunqnam infestos quosdam incidentium cogitationum malorum aculeos persensit hunc in modum: Si quis pie Iesu à Iudæis aut Ethnicis, vel publicè flagitiosis quippiam patiatur, potest id vtcunque tolerari. At isti tui videntur amici, qui me tam atrociter cruciant, atq; eo ipso crux ista intolerabilior est. Porrò sibijpsi redditus, vbi recta ratione cuncta expendit, nullam eis assignauit culpam, sed Deum per eos id effeciſſe sentiebat, quodq; ipse ita perpeti deberet, Deumq; suos amicos per hostes suos ad ipsorum præcipuam salutem adoptare. Speciatim verò eiusmodi impatientiæ aculeis permoto ita intus responsum fuit: Memor esto Dominum Iesum in sua sodalitate nedum D. Ioannem charissimum discipulum suum, & D. Petrum fidissimum sibi habere voluisse, sed etiam impurum illum Iudam sustinere. Tu ergo, qui Christi sectator esse cupis, cur inuitus Iudam tuum pateris? His subitò incidens quædam cogitatio sic respondit: Eheu pie Iesu, si afflictus amicus tuus non nisi vnum haberet Iudam, tolerabile foret: at nunc anguli omnes his abundant, adeò vt vno discedente, quinque alij existant. Ad hęc autem intus ita responsum est. Quisquis animo benè constitutus est, neminem debet existimare Iudam suum, sed potius Dei cooperatorem, per quem ipse pro suâ præcipua salute exercitari debeat. Nimirum quando Iudas Christum osculo prodidit, Christus eum suum appellauit amicum, Amice, inquiens, ad quid venisti? Hũc in modum posteaquam Minister satis superq; vexatus, eiusmodi calamitatem non parũ diù pertu-

A Deo tribulationes omnes in rem nostram nobis immitti.

Aduersarium nullum Iudã, sed omnes Dei cooperatores æstimãdos.

Matth. 26.

pertulerat, exigua quædam illi remansit con-
solatiuncula, qua sola adhuc erigebatur, quod
rumor de ipso sparsus, necdum ad instituti Do-
minicani præcipuos Prælatos peruenisset. Sed
hanc ipsam consolatiũculam repentè illi sub-
duxit Deus. Nam qui toti præfectus erat Or-
dini, & prouincialis, vt vocant, Germanię, si-
mul in eam aduenerunt vrbem, vbi mulier fla-
gitiosa Ministrum falso detulerat. Quod cum
miser ille alibi habitans didicisset, animo plus
satis perterritus, ita secum cogitabat: Fortassis
superiores tui fidem commodabunt improbæ
illi fœminæ, quod si fecerint, actum est de vita
tua. Namque in eiusmodi te pœnitentiæ ergo
stulum conijcient, vt satius sit mortem ipsam
perpeti. Hæc angustia totis continuis duode-
cim diebus & noctibus eum corripuit, ita vt
semper hãc expectaret suî castigationem. Qua-
dam die ex humana imbecillitate foràs pro-
rupit gestibus quibusdam minus compositis,
victus nimia, quatum tenebatur, angustia, atq;
sub hæc lamentabili interioris & exterioris
hominis constitutione, seorsim ab hominibus
secretum quendam locum petijt, vbi à nullo
nec videri nec audiri posset, atque nonnunquã
alta traxit suspiria: quandoque lachrymis hu-
mescebãt oculi, mox impetu per genas ferebã-
tur. Non poterat præ nimio cordis angore vs-
piam secum consistere, modo repentè reside-
bat, mox celeriter exiliens vltrò citroque per
cubiculum cursitabat, quasi cum mortis ango-
ribus colluctaretur. Quandoque eiusmodi vo-
ces per cordis eius viscera perferebantur. Eheu
pijssime Iesu, quid ex me facturus es? Cum ergò

ita

ita miserè se haberet, diuinitus ei inspiratum fuit. Vbi nunc est tuî resignatio? vbi eodem permanere animo in aduersis & prosperis? quod ipse quidem alijs hilariter consuluisti & persuasisti, vti se debeant expeditè resignare Deo, nec hærere vspiam. Ad quæ ille lachrymabundus respondit. Itáne percontaris vbi mei sit resignatio? Ego verò ex te sciscitor, vbinam sit inexhausta in suos amicos DEI misericordia. En nihil nisi extremam calamitatem expecto, & iam in me ipso perij, tanquam qui capite damnandus sit, & facultatum ac existimationis suæ iacturam fecerit. Putabam ego Deum esse benignissimum, & clementissimum ac fidissimũ erga eos omnes, qui se ipsi permittere ac resignare auderent. At prohdolor in me ille defecisse videtur. Eheu fons ille pietatis, qui nunquam potuit obstrui, erga me miserum sese retineri patitur. Ah cor illud indulgentissimum, cuius benignitatem totus testatur & prædicat Mundus, me miserum extremè dereliquit. Auertit à me lucidissimos oculos suos & vultum sereniſſimum. O facies Dei mei. O cor pijssimum, non ego credidissem vnquam, non de te speraſſem, vt me vsqueadeò reijceres. O abyssus inexhausta, succurre misero iam tamen præmortuo ac perdito. Tu scis omnem spem & consolationem meam in te vno collocatam, nec in vllo alio in terris commorante. Eia quotquot afflicti estis, quæso me auscultate hodie. Non est certè, quod quisquam scãdalũ accipiat ex hac mea lamentabili perturbatione & incompositis gestibus. Nam donec im-

ors

ore mihi versabatur resignatio, iucundum erat de ea dicere. At nunc totus sum corde saucius, & sagittæ Domini intimas venarum omnium medullas confixerunt, atq; ipsum exhauserunt cerebrum meum, adeò vt nullum sit toto corpore meo membrum, quod non penitus doloris & cruciatu confectum sit: & qui tandem possit esse resignatus? Hunc in modum cum tam miserè se habuisset ad medium vsque diem, esset que admodum debilitato cerebro, tãdem quietus resedit, atque à seipso auersus, ad Deum conuertit, eiusque se voluntati permittens & resignans, ait: *Fiat voluntas tua.* Cum ergo mirarentur, in mentis excessu vidit vnam ex spiritualibus filiabus suis sanctam virginem coram sibi adstare, quæ cum adhuc esset in humanis, prædixerat ipsi multa eum passurum, sed Deum eum omnibus eum extracturum. Hanc, inquam, virginem sibi adesse perspexit, ipsumq; blande consolari. At ille hoc indignè accepit, eamque mendacij arguit. Tum virgo subridens, accessit propiùs, porrigēsq; illi sacram manum suam, ait: En fidem tibi do verbis & nomine omnipotentis Dei, neutiquam te ab illo derelictum iri, sed ope illius ac benignitate te & hanc & quasuis alias molestias superaturum. Respondit Minister: Tam immanis est præsens dolor & angustia mea, vt tibi deinceps fidem commodare non possim filia, nisi huius euidēs mihi præstes documentum. Cui illa: Ecce, inquit, Deus apud pios & bonos omnes per seipsum se purgabit ac excusabit: improbi verò, pro sua improbitate, cuncta iudicant: quod sapiens & cordatus DEI amicus debet nihili pendere.

Matt. 6. & 26.

Prædicitur nimiæ afflicto tranquillitas.

Improborum iudicia nihili facienda.

Porrò

Porrò Dominicanus Ordo, quem tu lamentaris hac ignominia affectum, tum Deo, tum cūctis ratione vtentibus tuo nomine tanto erit gratior. Quod quidem certò me affirmare, hoc poteris nosse argumento: En Deus iustus & terribilis propediè te vlciscetur, furoremque suum in execrandam illam effundet fœminam, quæ tibi huius calamitatis est author, eamque subitò extinguet. Et quicumque ei speciales fuêre adiutores mala de te spargendo, itidem omnes breui peribunt. His auditis, Minister de suî liberatione hilarior factus, expectabat quem finem illi Tragœdiæ Deus impositurus esset. Paucis post diebus cuncta hæc reuera acciderunt. Siquidem mulier illa sacrilega subitò expirauit, Deo eam puniente, & ex alijs permulti, qui grauius eum infestârant, etiam citò vita functi sunt, partim sine ratione, partim sine confessione & Eucharistia. Ex his vnus fuerat prælatus, qui direè ipsum afflixerat. Is Ministro per visum apparuit, cùm esset defunctus, aitque illi ea causa vita & dignitate priuatum se esse, diroque illi multo tempore perferendos cruciatus. Vbi autem insolitam hanc vindictam & mortem subitariam aduersariorum illius, cernerent quidam eius amici horum omnium consciij, laudabant Deum, dicentes. Profecto Deus huic adest bono viro, estque perspicuum, iniuriam ei irrogatā esse: quamobrem meritò posthac & apud nos & cordatos omnes maiori erit in precio & existimatione ac opinione sanctitatis, quam si ista non esset perpessus. Inde vero Deo efficiente tempestas illa sopita est, vt erat à virgine in visione

Vt hostes Ministri condignas suæ temeritatis pœnas dederint

Restituitur existimationi pristinæ.

sione prædictum. Sæpiùs posteà cogitabat. D
rissimum est Domine, quod vulgò fertur. Q
Deus benè cupit, illi nemo potest officere. I
tubernaculis etiam illius, qui hac in causa
se amicum declararat erga ipsum, vt ess
dictum, nec diù pòst superuixit, post obi
suum omni illo ablato impedimento, q
vultus Dei contemplatione distinebatur,
veste luculenta & aurea ipsi apparens, am
eum complexus, faciem eius ad suas gena
dè appressit, & vt quod ipsum offendisset,
condonaret, essetque inter ipsos sempiterna
micitia, obsecrauit. Pergratum hoc fuit Mi
stro, eumq; rursus amplexatus est amicissim

Liberatur tã-dem ab omni molestia.

Mox ille euanuit & ad cælestia migrauit. Pos
eà vbi Domino visum est opportunum, Mi
ster multa perpessus, diuinitus est ab omni
afflictione recreatus, idq; interna cordis pa
tranquilla requie, & gratia luculenta. Lauda
bat ille Deum medullitus pro transacta hu
præsertim afflictione, dicebatq; se nec pro to
mundo velle, quin esset hæc omnia perpessu
Facilè tum ex Dei illustratione cognoscebat
præclarius se erectum ac recreatum & in Deum
subleuatum ex hac sui humiliatione, quam
cunctis alijs, quas à puero esset perpessus ad
vsq; temporis, afflictionibus.

De internis quibusdam vexationibus.

CAPVT XLI.

FIlia spiritalis Ministri cum iam memora-
tam legisset afflictionem, & præcondolen-
tia se-

tia satis ploraſſet, orauit eum, vt etiam de internis diceret vexationibus. Reſpondit ille ſe de internis moleſtijs duo quædam recitaturū. Fuit, inquit, in ordine quodam Monaſtico vir quidam celebris nominis, cui Deo permittente crux quædam interna acciderat. Sub hac cruce adeò totus animo conciderat, vt noctu diuque lachrymis & eiulatu ſe affligeret, ac miſerè cruciaret. Ille ergò idem venit ad Miniſtrum Sapientiæ, eique magna cum deuotione ſuam explicauit vexationem, obſecrans vt ſuis precibus ipſi à Deo opem flagitaret. Manè quodam cum pro ipſo oraret Miniſter, ſederetque in Saceſſo ſuo, in viſione adſtitit coram ipſo diabolus ſpeciem præferens nigerrimi Aethiopis, flammantibus oculis, & tartareo ac terribili adſpectu, arcum manu geſtans. Cui Miniſter: Adiuro te, inquit, per DEVM viuum, vt quis ſis, aut quid hic velis, explices. Reſpondit ille prorſus diabolicè: Ego blaſphemiæ ſpiritus ſum, experieriſque tu ipſe quid velim. Miniſtro autem ſe ad Chori oſtium auertente, ecce frater ſupradictus per idem intrans oſtium, volebat in Chorum ob Miſſam cantandam ingredi. Ilicò teter cacodæmon ſinum intendens arcum, ignitum miſit telum in cor fratris illius afflicti, ita vt penè ſupinus corrueret, nec poſſet in Chorum pertingere. Qua re offenſus Miniſter, durè illum dæmonem obiurgauit. Quòd indignè ferens ſuperbus dæmon, intento arcu volebat etiam in ipſum iaculum ignitum emittere, ſed Miniſter actutum ſe ad beatam virginem cōuertens, ait:

Miniſtro pro altero deprecanti diabolus in viſione apparet.

Nos cum prole pia benedicat virgo Mar
Mox dæmon fractis viribus euanuit. Mo
facto, exposuit hæc Minister fratri memo
to, indicauitque ei certa remedia, non a
quam quæ in concione illa sua conscri
cuius est initium, LECTVLVS NOST
FLORIDVS, &c. Inter alios multos in
nis crucibus prægrauatos, quadam vice ac
sit ad Ministrum homo quidam secularis
terius regionis, dixitque ei se longè omni
grauissimè vexari, nec tamen à quoquam
se referre consilium. Non ita pridem, inqu
desperaueram, & præ doloris vehemen
meipsum volebam interficere. Hoc ang
correptus, cum iam iamque in aquam
vellem præcipitem dare, & facto impet
me ipsum homicida insurgerem, supra
vocem audiui eiusmodi. Cessa, Cessa, ne
ipsum tam turpiter perdideris. Inquire fr
trem illum Dominicanum, (expressit auto
ei nomen Ministri, quod ille nunquam audi
rat) isque te releuabit ac instituet. Hi
exhilaratus, noluit seipsum extinguere, pr
quisiuitque Ministrum vt iussus erat. Vide
autem Minister lamentabiles hominis qu
monias, placidè ad eum conuersus: tanta
animum consolatione & hilaritate affe
cit, docuitque quid ageret, vt deinceps Dei fretus gratia, in eiusmodi tentationes non incideret.

Sup. 164.

Eripit hominem à desperationis præcipitio.

Quem

Quænam afflictiones homini plus vtilitatis, & Deo maiorem gloriam adferant.

CAPVT XLII.

POst hæc virgo illa sancta his Ministrum quæstionibus pulsauit: Vellem, ait, nôsse, quæ cruces homini imprimis conducibiles, Deo maximæ sint laudi & honori. Ad quã Minister: Multiuariæ, inquit, sunt afflictiones, quæ hominem præparent, eique viam muniãt ad ipsius æternam beatitudinem, si modò rectè eis vtî nôrit. Interdum permittit Deus euenire homini diras vexationes absque illius demerito: quibus sanè vel probare eum vult, quam sit constans, aut illi indicare quid habeat ex seipso, cuiusmodi multa leguntur exempla in veteri Testameo: aut certè in ijs Deus suam dũtaxat laudem spectat & gloriam, vt habet Euangelium de Cæco nato, quem Christus innoxium affirmauit, & illi visum dedit. Quidam ita affliguntur, vt tamen benè commeruerint, quemadmodum latro ille cum Christo crucifixus, cui Dominus beatitudinem promisit ob integram illam suî ad ipsum in cruce conuersionem. Quorundam afflictiones immeritæ sunt, quantum ad præsentis vexationis causam attinet, & tamen culpa non carent, propter quam Deus eis permittit aduersa accidere, vt est frequens admodum & vsitatum, vt omnipotens Deus nimiam superbiam premat, hominemque ea infectum, ad seipsum reducat, ejus animi tumorem grauiter compescendo ac humi-

Vtquid etiam abiq; demerito suo quispiam diuexetur aduersis, Ioan 9.

Luc. 23.

humiliando, idque eiusmodi aliqua re, in qua ille nihil fortassis mali commeruit. Aliæ sunt afflictiones, quas Deus ex sua beneuolentia quibusdam occurrere patitur, vt per has à maioribus seruentur, vt sit illis, qui hîc suum ferunt purgatorium, dum morbis, ac inopia, aut alio id genus malis castigantur, quo careant pœnis molestioribus: vel quos sinit Deus à diabolis exercitari hominibus, vt in morte nihil necesse habeant monstrosos illos dæmonum intueri vultus. Nonnulli ex ardentissimo amore patiuntur. Sunt etiam in hoc seculo complures inanes ac desolatæ afflictiones, quas illos ferre necesse est, qui Mundo in illis quæ Mundi sunt, volunt satisfacere, qui proculdubio pœnas inferorum multo sibi dolore & labore mercantur, quod sanè possit consolari homines pios in ipsorum afflictionibus. Sunt alii quos crebrò DEVS intùs admonet, vt se integro corde ad ipsum conuertant, quod ipsis capiat familiarem se exhibere, qui tamen sua incuria illi resistant. Hos interdum DEVS per afflictiones ad se trahit, vt quocunque se vertant, quô DEVM possint effugere, Deo permittente non nisi aduersam fortunam multaque seculi incommoda illius commodis permixta, experiantur: atque hoc ipso ceu per capillos appræhensos adeò retinet, vt ex eius manibus elabi non possint. Denique multos reperias licet, qui nihil patiantur aduersi, nisi quatenus ipsi sibi crucem fabricant, dum magnipendunt ea, quæ nullius sunt momenti. Id quod re ipsa didicit olim quidam grauiter afflictus, dum transiret ædes quasdam, & au-

Mundi sectatores inanibus etiam afflictionibus atteri.

& audiret fœminam miserè lachrymantem. Cum enim illius consolandi gratia in domum ingressus esset, percontabatur, quid ita grauiter ipsam cruciaret. At illa respondente, quòd acum perditam recuperare non posset, ille mox egressus, ita secum cogitabat: O fatua mulier, si vnam ex meis fascibus in tuos leuasses humeros, non plangeres amissam acum. Ita delicatuli quidam diuersis ex causis sibi crucem fingunt, vbi tamen non est. Præclarissima verò & præstantissima crux est afflictio Christiformis, qualem suo imposuit filio Deus pater, hodieque imponere solet charissimis amicis suis. Non quod quisquam pręter solum Dominum Iesum omninò sit absque culpa. Sed quemadmodum Christus sua passione instar ouis à lupis circundatæ mansuetissimũ se exhibuit: ita etiam præcipuis amicis suis immanes imponit cruces, vt nos impatiẽtes, ex illis præclaris hominibus discamus pati æquanimiter, & benigno corde vincere in bono malum. Hęc ergo omnia consideres filia, nec inuita feras, cruces tuas. Nã vndecunq; accidat crux, potest homini esse vtilis si ritè eam omnem nôrit ex manibus Dei suscipere, in Deumque referre & per illum superare. Ait aũt ad illũ virgo: Crux illa præstantissima, de qua iam postremo dixisti Pater, cũ quis præter culpã suã patitur, paucorum sanè est. Velim igitur institui, vt homo culpis obnoxius & reus afflictiones suas ex Dei auxilio debeat vincere. Is enim dupliciter affligi videtur, tum quod Deum offenderit, tũ quod foris cruciatur. Respondit Minister: Id quoque nunc expediã: Noui ipse hominẽ quẽdam, qui

Crux præclarissima quæ.

Nostri causa optimis quibusque Dei amicis cruces immitti.

Homo culpis obnoxius vt suas felicites afflictiones queat superare.

hunc seruabat morem, vt si ex humana fragilitate culpam pœna dignam admisisset, lotricem sedulam imitaretur, & sicut hæc vestis sordidas prius smigmate lotas, postmodum in mundas adducit aquas, ijsque sordes omnes prorsus eluit, ita & ipse nunquam quiesceret, donec precioſi sanguinis Christi pro consolatione & subsidio reorum omnium ineffabili cum amore profusi, ac ex eius vulneribus decurrentis, copiosum sibi spiritaliter obtineret profluuium. Atque in eodem feruenti sanguine se sordesque suas abluebat, atque in illo lutari cruentoque riuulo totum se lauabat, perindè vt solent infantuli in calidis lauari balneis. Idque faciebat magna animi deuotione, cum firma & indubitata fide catholica coniuncta: confidens in illo precioso sanguine eius omnipotenti virtute ab omni se peccato & reatu expiatum iri. Siue ergo cum suo demerito, vel præter demeritum pateretur, semper hunc ille tenebat morem apud Deum.

Vt quosdam Mundo addictos, ab rerum labentium amore abstraxerit, & ad Dei amorem pertraxerit.

CAPVT XLIII.

EO tempore, quo se Minister serio accommodabat, vt homines ab amore caduco ad DEVM reuocaret, aduertit in quibusdam cœnobijs eius generis versari homines, qui sub habitu religioso corda gererent mundana. In his vna erat amori illicito admodum dedita,

Toxicum Religionis quod.

dedita, habebatq; amicos suos, vel amasios: quod est totius religionis toxicum. Huic Minister ait, siquidem spiritalem ac tranquillam cuperet obtinere vitam, vt his valefaceret, & amicorum suorum loco æternam Sapientiam sibi amicam sumeret. Idverò illi perquam molestum fuit, quod eleganti corpore & ætate iuuenis esset, seseq; eiusmodi hominibus implicuisset. Tamen eo illam adduxit, vt iam prompta esset voluntate ipsi obtemperandi. Sed vbi hæc bona voluntas aliorum studio mutata fuit, dixit illi Minister. Omitte hæc filia: en prædico tibi, nisi sponte id egeris, facies vel inuita. At illa fidissimos eius sermones flocci-pendẽte, Deum pro ea seriò obsecrauit, vt eam indè retraheret siue prosperis siue aduersis rebus. Quodam die abijt iuxta morem suum ad pulpitum sub crucifixi imaginem, nudatosq́ue humeros suos dire flagellauit, vt sanguis vbertim succederet: orauitq; Deum vt illam edomaret. Idque factum est. Cum enim esset domũ reuersa, mox fœdus quidam in eius dorso excreuit gibbus, qui eam deformem reddidit. Sicque coacta est necessario omittere, quod nolebat causa Dei. In eodem minimè clauso cœnobio alia erat virgo iuuenis, nobilis genere, quæ multis annis cor & tempus suum eiusdem dæmonis irretita laqueis, cum omnis farinæ hominibus miserè detriuerat: eaq; iam ita erat excæcata, vt Ministrum haud secus quam siluestris bestiola fugeret. Timebat enim, ne ab eiusmodi instituto per illum reuocaretur. Orauit autem Ministrum eiusdem virginis germana soror, vt suam in ea fortunam periclitare-

tur, si qua ratione ab illa perniciosa viuendi consuetudine ad Deum ipsam posset reducere.

A mala viuendi consuetudine quàm ægrè quis auocetur.

Quod cum ille putaret vix possibile, dixit ei: Sentio equidem facilius posse inclinari cælum, quam illam hinc recedere, solaque morte eam posse retrahi. Tum illa obnixè admodum rogabat, dicens: eam se de illo concepisse fidem, quicquid seriò à Deo peteret, non posse illum pati repulsam. His Minister victus sermonibus, addixit illi suam operam. Cum autem illa semper eum fugeret, nec posset cum ea colloqui, circa ferias D. Margaretæ virginis aduertit eam cum alijs virginibus egressam foras in agrum lini curandi causa. Itaque clanculum eas secutus, circumibat agrum, vt commodè posset ad eam accedere. At vbi illa eius sensit aduentum, improbè illi tergum vertit, ignei ac furibundum præ se ferens vultum, importunisque clamoribus eum compellauit, dicens: Quid huc ad me accedis Domine? Perge quo cœpisti. Nec enim in me quicquam efficies. Malim equidem capite truncari, quam consentire tibi: potiusque me viuam sepeliri patiar, quàm tibi obtemperans, meo amori renunciem. Hæc dicentem sodalis, quæ illi proxima assistebat, obiurgauit & compescuit, dicens eum non nisi salutis eius causa fecisse. Sed illa caput furibundè agitans. Non ego, inquit, illum fallam, sed verbis & factis totum illi pectus meum aperiam. Procacissimis hisce sermonibus & incompositis gestibus perterritus Minister, erubuit adeò, vt nec verbum posset eloqui. Reliquæ virgines molestè ferebant sodalis suæ temeritatem, eamque non rectè agere proclamabant. Confestim Mini-

Mira peccatricis obstinatio.

Minister ab illa recessit, suspiciensque in cælũ, ingemuit: volebatque ab illa cessare penitus, nisi quod intùs semper à Deo vrgebatur huiusmodi fermè sententia: Si quis erga Deum & Mundum quicquam velit efficere, non debere illum ita facilè quiescere. Contigit istud post meridiem. At vbi cœna peracta vespertinum aderat tempus, virgines que in hortum pro lino expediendo essent ituræ, abiretq; cum illis virgo iam dicta, & transituræ essent hospitale vbi Minister morabatur, orauit vnam ex consodalibus eius, vt arte quadam eam ad se adduceret, ac deinde ipsa rursum exiret. Quod & factum est, quamuis ægrè. Vbi illa ad Ministrum ingressa est, assedit q; iuxta eum in loco publico, sermonem suum Minister non sine profundis suspirijs ita auspicatus est ex redundãti pectore: Eia pulcherrima & Dei electa virgo, quo vsque tandem elegantissimũ corpus & cor tuũ malo permittes dæmoni? En adeò te modis omnibus Deus fecit amabilem & gratiosam, vt indignum sit tam benè constitutam ac nobilẽ virginem vlli alij præterquam Deo longè omnium præstantissimo amico addictam esse debere. Ecquis oro iustius vernantes carpat rosas, quam cuius illæ sunt? Quæso virgo nobilis & formosa, nitidos illos tuos obtutus aperi & præcipuè illius recordare amicitiæ, quę hîc inchoatur, & æterno perseuerat. Aduerte quas calamitates, quam infidelitatem, quos dolores & cruces, quæ corporis, facultatum, animæ & existimationis incommoda, velint nolint, ferre oporteat pernicioso amori deditas, quanquam dulce illius amoris venenum ita eos dementet,

Perseuerantiam ac longanimitatem erga Deum, Mundumque vt quid obtineatur requisiti.

Amicitię cuius cui recogdandum.

vt tot immanium incommodorum obliuiscatur, quæ tamen eos & in ista & futura vita consequuntur. Agè ergo filia longè pulcherrima & amabilissima, quicquid in te est naturalis ingenuitatis, ad illum transferas, qui est ab omni æternitate omnium multò nobilissimus, cessesq; ab hac stultitia. En polliceor tibi fide mea, Deum te in suam recepturum amicam, ac integram tibi & in præsenti & futuro seculo fidem & amicitiam præstiturum. Felix illa erat horula. Verba hæc illius virginis penetrabant pectus, adeoq; id emolliebant, vt mox sursum erectis luminibus, medullitùs ingemisceret, ac fidenti & planè virili ad eum sermone verteretur, dicens: Eià Domine & Pater mi, en hodie me Deo & tibi permitto, parata hac ipsa hora dissolutæ ac vanæ vitæ meæ nuncium prorsus remittere, & ex tuo consilio & auxilio totam me Deo dedere, eiq; soli deinceps ad mortem vsque famulari. Ait Minister. Nihil mihi possit referri iucundius: sit benedictus Deus, qui omnes ad se reuertentes hilariter excipit. Cum autem duo isti inter se de Deo colloquerentur, lasciuæ sodales virginis foris stabant ad ostium, quæ tam prolixi sermonis pertæsæ, quod vererentur eam ab ipsarum lubrica familiaritate abstrahendam, clamare cœperunt, vt tandem finem faceret. Surrexit ergò illa, & abijt cum eis, dixitq;: Aeternum valete sodales meæ: ego & vobis & cunctis nostris consodalibus valefacio, vtpotè cum quibus ego prohdolor, tempus meum perditè transegi. At nunc vni omnipotenti Deo me dedo & offero, & alijs omnibus renuncio. Atque hoc pacto cœpit noxiam omnem

Mira dexteritate periclitantem. Minister animam circumuenit ac lucratur.

Valedicit virgo lubricæ societati.

omnem vitare familiaritatem, & abstractam ducere vitam, & quamuis crebrò postmodum tentaretur, si ad pristinam posset viuendi morem traduci, nihil poterat effici. Ita illa se gerebat, vt summa honestate & omnigenis ornata virtutibus Deo ad finem vsque constans perseuerârit. Accidit postea, vt Minister nouam hanc filiam suam inuisendi, & in vita religiosa confirmandi, atque etiam afflictam consolandi causa, extra Monasterium suum egrederetur. Et quia aduersa tum laborabat valetudine, non parum afflixit sese illo carpendo itinere, dum per densum pergeret lutum, & altos scanderet montes. Interim crebrò ad DEVM sublatis oculis, aiebat: Misericors & miserator Domine, admoneo te miserabilium illorum gressuum tuorum, quos tu salutis nostræ causa tolerâsti, obsecroq; vt serues filiam meam. Porrò socius eius, ad quem subindè se reclinabat, præ miseratione ait ad eum: Decet planè bonitatem Dei, vt multæ tua opera animæ seruentur. Cum autem longius progrederetur, donec fractis viribus non posset vltra procedere, rursus ad eum ait socius eius: Certè Pater meritò respiceret Deus grauem infirmitatem tuam, & sua virtute quendam tibi mitteret equum, qui te tantisper veheret, donec ad homines pertingamus. Ad quæ sic respondit Minister: Si pro hac re pariter Deum precabimur, confido ego illum ob virtutis tuæ meritum, hoc quod dixisti præstiturum. Deinde circumspiciens Minister, vidit ad dextram è sylua quadam elegantem prodire equum, valdè mansuetum ac edomitum, & ephippio instructum, ac penitus solum.

solum. Tum socius Ministri cum gaudio exclamauit: Agè pater charissime, vide vt non fruſtrà oblitus Deus. Cui ille: Vide, inquit, fili & lassis oculis vndique latissimum hunc campum, si quis fortè vspiam existat cuius sit equus. Sed cum ille longè lateque prospiceret, neminem præter illum equum ad ipsos suauiter aduectantem vidit, aitque Ministro: Profectò patri tibi hunc equum Dominus misit. Sede ergò & equita. Respondit Minister: Si quidem fili constiterit equus vbi ad nos peruenerit, constat Dominum nobis subsidio eum misisse. Accessit autem placidè & modestè equus, & coram Ministro substitit. Quod ille cernens: Agè, inquit, in Christi nomine: Socioque adiuuante, insidit equo, & cœpto perrexit itinere, socio illum diù satis comitante, donec lassus refouisset vires. Vbi autem non longè aberant à Pago quodam, descendit ab equo Minister, laxatisq; habenis, dimisit equum eo, quo veniebat itinere. Porrò quò ille âbiêrit, aut cuius fuerit, nusquam deinceps comperire potuit. Cum ergò veniſſet Minister ad locum destinatum, & sereni cuiusdam diei apud filias suas residens, amore labentium rerum eis cuperet exosum reddere, & diuinum eis comendaret amorem, illis tandem recedentibus, cor eius ex illo ardenti sermoni diuina erat inflammatum charitate. Putabat enim dilectum suum, quem ipse spectabat, alijsque amandum prædicabat & persuadebat, infinito præstantiorem cunctis Mundi amicis. Atque sub hac meditatione raptus in spiritu, in visu sibi duci videbatur in pratum amœnissimum, comitante eum egregio quo-

Fractus labore nimio equum, quo vehatur, à Deoprecibus obtinet.

Ecstasin patitur.

quodam ac plane cæleſti adoleſcente, ac per manum ipſum ducente. Cœpit autem idem adoleſcens in anima fratris cantionem quandam tanta vocis ſuauitate, ac hilaritate, vt præ nimia melodiæ illius dulcedine extra ſenſus omnes abduceretur: videbaturque ipſi cor ſuum vſqueadeo repleri flagrantiſſimo erga Deum amore & deſiderio, vt cor ipſum in pectore agitaretur ac æſtuaret, perindè ac ſi præ nimia vi rumpendum foret. Ea re compulſus fuit manum dextram cordi admouere, vt illi ferret ſubſidium. Oculi verò in tantum redundabant lachrymis, vt per ora decurrerent. Decantata autem ea cantione, quædam illi imago obiecta fuit, ex qua diſceret eam cãtilenam, nec vnquam eius obliuiſceretur. Inſpexit itaque imaginem, & vidit beatiſſimam virginem MARIAM ſuum paruulũ IESVM æternam Sapientiam, ad maternum pectus ſuum apprimentem. Initium autem carminis huius ſupra caput pueruli ſcriptum erat pulcherrimis characteribus: eratque ea ſcriptura adeò ſubtilis & abdita, vt non poſſet legi ab omnibus, præterquam ab illis qui per exercitationum experimenta id obtinuiſſent. Erat autem hæc ſcriptura Germanicè (Hertzen traut) quod poteſt Latinè vtcunque reddi, AMICE FIDISSIME, tanquam ille ſolus verum ſit cordis gaudium & amicus ſyncerisſimus. Scripturam ipſam Miniſter celeriter legit eumq; puerulus IESVS blãdè reſpiciebat. Vnde ille quaſi certò experiebatur, vt ſol° dulciſſimus puer Ieſus reuerà intimus ſit amicus, in quo & læta & triſtia ſuperantur. Atq; ita ſuo eũ impreſ-

impressit cordi penitus, moxq; cum adolescente carmen illud ad finem vsq; decantauit. Interim dum sic ardenti flagraret amore, sibi reditus est, inuenitq; dextram manum suã cordi impositam, vtì eam illius adiuuandi causa sub illa impetuosa agitatione collocarat.

Vt quadam vice Ministri meritis Deus potum suis amicis auxerit.

CAPVT XLIV.

QVodam tempore lõgiori itinere nimis fatigatus Minister, serò in extero quodam loco ad Inclusorium venit, vbì ea nocte hospitio vti constituerat. Cùm autem neque in pago, neque in Inclusorio vinum esset, honesta quædam virgo lagunculam vino plenam se habere affirmauit. Sed quid ea est, inquit, inter tantos? Nam plus minùs viginti ibì aderant homines pij, cum alijs qui eo confluxerant, audire cupientes Ministrum concionantem. Iussit autem Minister proferri lagunculã, & mensæ imponi. Quo facto, rogabant eum vt illi benediceret. Fecit ille in omnipotenti virtute salutiferi nominis IESV, primusque ipse inde bibit, eo quod sitiret ex itinere: præbuitq; etiam alijs, qui inde omnes biberunt. Reponebatur autem publicè in mensam laguncula cũctis cernentibus, nec quicquam infundebatur vel aquæ, vel vini, quod nullum ibì erat aliud: iterumq; atq; iterum ex eadem bibebant lagũcula: sed quia vehemens eos tenebat desiderium audiendi verbum DEI, diuinum illud miraculum

Ioan. 6.

Ministri benedictione vinum augetur.

culum nemo aduertebat. Tandem vbi ad se rediêrunt, Deique potentiam in illius vini augmentatione perspicuè deprehenderunt, laudabant Deum, & id miraculi sanctitati Ministri assignare volebant. Quod ille nulla ratione ferens, ait: Non est filij, quod me huius rei authorem putetis: sed omnipotens Deus castã hanc hominum sodalitatem pro ipsorum piâ fide & corporali & spiritali potu recreauit.

De quibusdam afflictis hominibus, singulari fide Ministro deuinctis.

CAPVT XLV.

ERant in vrbe quadam duæ haud mediocris sanctitatis personæ, Ministro familiares, quæ tamen secundum spiritum diuersa admodum ratione traherentur. Altera erat celebris apud homines existimationis, diuinaq; affluebat suauitate. Altera nullius erat nominis Deusque perpetuis eam exercebat afflictionibus. Vtraque autem mortua, nôsse cupiebat Minister quam dispar earũ esset præmium in illa futura vitâ, quandoquidem tam dissimili hîc vixissent modo. Itaq; manè cuiusdam diei apparuit ei illa celebris opinionis, dixitq; se etiamnum in purgatorijs retineri locis. Illo interrogante, quî id fieri posset: Respõdit se nullam aliam ob culpam id perpeti, quã quod ex illa suî existimatione quædam eius animo spiritalis superbia obrepsisset, cui non satis celeriter restiterat: at tamen pœnam eius breui finiendam. Altera quæ hic abiecta & de-

pressa fuerat, sine medio euolauit ad Deum. Ipsa quoque Ministri genitrix toto vitæ suæ tempore grauissimis laborauit afflictionibus, quod accidit ex diuersa illa viuendi ratione qua tum ipsa, tum eius maritus vtebatur. Ille quidem Deo plena erat, optabatque omnes secundum Deum viuere. Porrò maritus eius plenus erat Mundo, & durè illi resistebat: tum cruces oriebantur. Consuetudinem fecerat, matrona illa, omnes suas perpessiones in Christi passionem demergendi, atque ita superabat. Narrauit Ministro filio suo animi habitum suum, triginta annis nunquam se Missæ sacro interfuisse, quin ex intima compassione erga Christi cruciatus & matrem eius condolentissimam acerbè fleret. Ait etiam se ex immenso aduersus Deum amore quandoq; manibus incidisse, & duodecim hebdomadibus in lecto decubuisse tam flagranti in Deum desiderio, vt id etiam medici deprehenderent, atque dè ædificarētur. Aliquando subineuntem quadragesimam ad templum quoddam abijt, vbi Christi de cruce depositio exsculptis figuris in altari quodam expressa erat. Coram his imaginibus sensibili quodam modo nōnihil percepit acerbissimi doloris illius, quem perpessa virgo mater sub cruce. Atque ex hac anguste pia hæc mulier præ condolentia tantos sensit dolores, vt cor illius propemodum creparet, adeò vt præ defectu in terram collabens, nec videret quicquam, nec diceret. Sic igitur dolorum relata, in lecto suo iacuit tacita vsque in sanctam Parasceuen, qua die cum Passio in templo caneretur, circa horam nonam exspi-

Parentes Susonis quales

Consuetudo matris eius in afflictionibus superadis

Desiderium eiusdem erga Deum flagratissimum.

Excedit è vita pia matrona.

tauit

rauit. Eo tempore Minister filius eius studij causa Coloniæ degebat: cui mater in visu apparens cum ingenti gaudio dixit: Quæso fili mi, dilige omnipotentem Deum, certus quod nũquam ille te deseret qualibet aduersitate laborantem. En ego ex hoc migraui seculo, nec tamen mortua sum, sed perenniter viuam apud Deum: blandeq; filium exosculans, & ei ex animo benedicens, ab eius oculis euanuit. Ille in lachrymas solutus, clamauit post eam, dicens: O sancta & fidissima mater mea, sis mihi fidelis apud Dominum: atque ita flens & ingemiscens, sibi est restitutus. Tempore iuuentutis suæ cum studendi gratia alio proficisci cogeretur, Deo procurante, religiosus admodum & fidus ipsi quandoque obtigit sodalis. Is quodam tempore cum de Deo plurimum essent collocuti, secretò per mutuam fidem Ministrum orauit, vt salutiferum IESV nomen in ipsius pectore exaratum sibi demonstraret. Sed hoc ille recusabat. Tandem illius ingenti animaduersa deuotione, fecit ei satis, detectaque ad pectus veste, preciosum illud cordis monile, quantum vellet, ei inspicere permisit. At ille hoc minimè contentus, cùm satis idem nomen esset cõtemplatus in eius cordis medio perspicuè exsculptum, etiam manum faciemque eo applicuit, admotoque ad ipsum ore, cœpit lachrymari acriter præ deuotione, ita vt decidentes lachrymæ per Ministri pectus dimanarent. Dum ceps adeò id nomen Minister habuit recõmenditum, vt eius vidẽdi nulli vnquã potestatem fecerit, nisi vni duntaxat singulari Dei amico, cui id Deꝰ videre permiserat. Ille simili,

ac iste, deuotione id contemplatus est. Cum autem duo isti consodales multis annis spiritali essent vsi familiaritate & amicitia, iamque ab inuicem discedere deberent, vicissim sibi ex animo valedicentes, hoc inter se pactum inierunt, vt qui prior obijsset, pro illo alter ex fraterna amicitia anno vno singulis hebdomadibus duas Missas diceret, alteram feria secunda de defunctis, alteram sexta feria de Domini passione. Post multos annos defunctus est Ministri sodalis, & quia iam oblitus erat Minister datæ fidei de persoluendis Missis, non legit eas, at nihilominus fidelem illius egit memoriam. Sedente igitur illo manè quodam in suo sacello quasi in mentis excessu, sodalis eius per visum ad eum venit, voceque lamentabili dixit: proh infidelitatem tuam frater: Eheu quá me oblitus es. Dicente illo, quod ipsius in suis Missis quotidie esset memor, alius respondit id nõ sufficere, sed debere eum Missarum debitũ persoluere, vt sanguis Christi innoxius in purgatorium descendens, ipsius dira extingueret incendia: ita fore, vt breui ex purgatorijs locis educeretur. Fecit id Minister fide integerrima, & ingenti ob suam obliuionem dolore: atq; propediem alius è pœnis liber euolauit.

Vt Christus sub figura Seraphim Ministro apparens, pati eum docuerit.

CAPVT XXXXVI.

COnuertit sese aliquando Minister ad Deum perquam seriò, orans vt ipsum pati doce-

doceret. Apparuit ergò illi per visum similitudo Christi crucifixi in forma Seraphim, qui sex habebat alas, & duabus quidem tegebat caput, duabus pedes, & reliquis duabus volabat. In duabus infimis alis scriptum erat: Afflictionem sponte susci pe. In medijs hęc habebantur: Feras crucem æquanimiter. In supremis expressum erat. Disce pati Christi formiter. Hãc visionem vbi ille sanctæ cuidam virgini enarrauit, illa respondit. Noueris Pater nouas tibi impendêre cruces, quas ferre oportebit Deo sic volente. Illo percontante, cuiusmodi illæ cruces forent, virgo ait: En cuidam cœnobio præficiêris, vt æmuli tui propius te possint attingere, & grauius deprimere. Ergò amplectere patientiam, vt es in illo Seraphim edoctus. Ille ingemuit, futuram expectans tempestatem: quæ reuera illi accidit, vt erat à virgine significatum. Per id tempus tribus annis cœnobium vbi tum morabatur, neque frumentum, neque vinum acceperat, qua re magnis erat debitis obstrictum: Eius cœnobij fratres consilio inito, Ministrum Sapientiæ, quantumuis renitentem, eo quod nouam sibi conflatam crucẽ cerneret, tanta annonæ cõritate sibi Priorem elegerunt. Primo igitur die iussit pulsato tintinnabulo fratres conuocari, quibus collectis dixit, vt D. Dominicum implorarent, quandoquidem ille suis promisisset fratribus, quod ipsis opem ferret, si in suis necessitatibus eius fidem implorarent. Atque ecce duo iuxta se assidebant fratres in loco vbi erant congregati, è quibus vnus alteri susurrans, dixit perridiculè: En quam fatuus est hic Prior, dum iubet

Prædicuntur Susoni nouæ cruces.

Fit prior.

Primæ eius ridetur exhortatio.

nos necessitatem nostram ad Deum refer
Fortè putat Deum cælo patefacto cibum po
que nobis missurum. Alius respondit: Nõ
do ipse delirus est, sed nos omnes dementes
mus, qui eum nobis præesse voluimus, cum
men antè cognitum haberemus imperitũ
esse rerum temporalium, & non nisi in cæ
suspicere. Ita multis ille lacerabatur iudicij
niquis & scommatibus. At ille in sententia
seuerans, facto manè, iussit Missam cantari
S. Dominico, vt is ipsis prouideret. Stante
tem illo in Choro cogitabundo, ostiarius
euocauit ad opulentum quendam Canonic
ipsius singularem amicum: qui sic ait ad
Noui mi Domine non habere te vsum re
secularium: atque hac nocte diuinitus sum
monitus, vt Dei loco ipse tibi opituler. Q
obrem initio viginti libras Constantien
bi offero. Confidas Deo quod is te non d
Ille gaudio affectus, pecuniam recepit, iu
vinum & frumentum comparari. Dei aute
B. Dominici adiutus ope, cœnobio illi, qu
diu ipse Prior fuit, necessaria procurauit,
citque vt nihil ipsi soluere cogerentur. I
Canonicus in extremis ferè constitutus, lar
simas legauit eleemosynas diuersis in lo
quibus ipse magis faueret. Deinde Minist
qui inibi Prioris fungebatur officio, ad
cersens, aliquam multos ei aureos comm
dauit, vt eos alibi inter indigos DEI am
qui vires suas asperis & seueris exercitijs
feciſſent, distribueret. Quod cùm ille im
in se reciperet, timens eas, quæ post eue
runt, vexationes, tandem victus acqui

Optato lætus potitur subsidio, comparat que conuentui suo necessaria.

fo

foraſque proficiſcens diſpertijt hincinde pecuniam, vt erat pollicitus, vbicunque ſperabat eius animæ commodiſſimum fore: fecitq; id coram fide dignis teſtibus, & exacta apud ſuos Superiores ratione. Sed acres hinc illi cruces euenerunt. Namque Canonicus ille filium nothum habuit, qui iam conſumpſerat bona à domino illo ipſi aſſignata: & cum eſſet totus diſſolutus, rebus perniciosis animum dedit. Idem totus illi pecuniæ Miniſtro commendatæ inhiabat: quam cum obtinere non poſſet, ſub iureiurando renunciauit Miniſtro, vbicunque illum deprehendiſſet, ſe eum neci daturum. Periculoſum ac infeſtum hoc odium nemo ſopire potuit, quamuis crebro tentaretur. Omnino ille Miniſtrum extinguere voluit. Quibus anguſtijs non parum diu correptus Miniſter, præ mortis formidine non erat auſus libere hac illacque proficiſci. Eleuatis autem ad Deum oculis, ait cum gemitu: Quod genus calamitoſæ mortis, te permittente, mi Domine iam paſſurus ſum? Erat ille hoc ipſo magis afflictus, quod paulò ante in alia vrbe quidam venerabilis frater ob ſimilem cauſam miſerè iugulatus fuerat. Neminem habere potuit Miniſter, qui hanc ab ipſo moleſtiam aut vellet aut auderet propulſare, ob illius feri hominis audacem temeritatem. Tandem ille ad Deum ſe contulit, qui eum ab illo liberauit, celeri morte corpus eius adhuc iuuenile ac robuſtum perimens. Ad huius mali cumulum acceſſit alia peracerba crux. Erat totum collegium quoddam, cui multa dederat Canonicus antedictus: ſed illi his non contenti, infeſtis

Infeſtum perditi cuiu dã hominis in Miniſtrum odium.

Alia crux Miniſtri peracerba.

animis in Ministrum incurrerunt, eo q
nollet eis memoratos aureos tradere, mis
eum omnibus vexandum obiecerunt. Sic
& apud religiosos & seculares eum tradux
& quæ ille gesserat, passim apud omnes lo
lateque in peiorem partem interpretando
uulgarunt: sicq; factum est, vt qua in re
Deum ab omni culpa esset immunis, tam
pud homines malè audire cogeretur. Hoc
gotium si quando ad tempus intermissum
isset, mox denuo repetebatur: idque ag
multis annis, donec Ministrum benè exag
sent. Per id temporis in visione apparu
sæpè dictus Canonicus egregio indutus ha
viridis coloris, qui omni ex parte rubicun
habebat rosas: dixitque Ministro rectè se ha
re in illo seculo, orauitq; vt æquanimiter
ret tam immanem, quæ ipsi inferebatur, in
riam, certus quod Deus ipsum abunde sola
tur. Interroganti autem Ministro, quid
tam præclarus habitus significaret, respon
Rosæ illæ rubicundæ in panno viridi
designant patientem perpessionem, quam
sic ornâsti: cuius causa seipso te omnipo
Deus æterno vestiet.

Consolatur in afflictione sua.

*Quam illum oporteat viriliter dimicare, qui spi
lem velit referre palmam.*

CAPVT XLVII.

SVb initio conuersionis suæ summop
optabat Minister haud vulgariter plac
DEO, attamen absque labore & dolo

Qu

Quodam ergo tempore forte profectus est cōcionandi gratia in regionem: venienſq; in navim, quandam in lacu Conſtantienſi, offendit ibi inter alios egregium quendam iuuenem ſplendidis indutum veſtibus. Ad quem cum ſe adiunxiſſet, percontari cœpit quis eſſet, vel quid negotij gereret. Ille ſe eiuſmodi ait hominem eſſe, qui nobiles inter ipſos committeret, vt haſtis congrederentur, & id genus ludos paleſtricos exercerent. Tum verò ait etiā ſpecioſis eos fœminis dare operam, & qui cæteris eſſet magis ſtrenuus, eum honoris referre palmam & præmium. Percontanti Miniſtro quid id eſſet præmij, reſpondit: Fœminarum omnium, quæ illic adſint, pulcherrima eius digito annulum aureum inſerit. Illo adhuc vlterius inquirente, quid faciendum incumberet id honoris cumque annulum adipiſci volenti, ait Iuuenis. Qui præ cæteris acriores plagas & angores ſuſtinet, nec ſub his animo laſſeſcit, ſed fortem ac virilem ſeſe exhibet, ſedetque immotus & ictibus aliorum tundi ſe ſinit, is honore potitur. Dicente autem Miniſtro, Dic mihi obſecro, ſi quis primo conflictu audax ſit, ſatisne id eſt? Ille ait: Minimè, ſed certamen ad finem vſque tolerandum eſt: & Quamuis adeò verberibus prematur, vt ex oculis eius ſcintillæ emicent, & ex ore ac naribus ſanguis erumpat, id totum ferat neceſſe eſt, ſi velit referre gloriam. Iterum Miniſter omnia exploraturus: Quæſo te, inquit, licetne illi lachrymas fundere, aut vultum in rugas contrahere, dū ita male cæditur? Neutiquam, ait Iuuenis, etiāſi vt fit pleriſque, in eius pectore cor deficiat,

Mūdi honor & gloria quāto labore cōparetur.

hilari sit vultu oportet: alioqui patebit ludibrio, amittetq́; honorem & annulum. His auditis, Minister in sese descendere compulsus, medullitus ingemuit & ait: Eià Deus præstantissime & longè omnium dignissime, si Mundi huius milites talia perpeti coguntur pro tam vili stipendio, quod tamen in seipso nihil est, quàm ergo ęquum est, vt pro ęterna gloria duriores toleremus labores? O si dignus ego essem Deus pijssime, in spiritalium militum tuorum numerum ascribi. O speciosissima & æterna Sapientia, cuius amabilitati nihil vsquam potest comparari si posset animæ meæ abs te præstari annulus, hoc ego nomine pati vellem, quicquid tibi visum foret, cœpitqúe præ nimio feruore lachrymas edere. Vbì autem ad destinatum peruenit locum, omnipotens Deus immanes illi permisit afflictiones inferri, easque tam multas, vt pene erga Deum desperaret, multique ex compassione propter illũ plorarent. Tum ille omnis strenuæ ac infatigabilis militiæ oblitus, mœrens & impatiens non nihil erga Deum, cogitauit cur eum eiusmodi molestijs affligeret. Manè sequenti sub diei exortum anima illius suauiter quiescẽte, & à sensibus sublata, quiddam in ipso hunc in modi loquebatur: Vbì iam est illa præcellens militia & strenuitas? Itane miles stramineus, & vir pãneus vel pannis molliter vestitus, præsidenti erit animo modò quidem in prosperis, at paulò pòst in aduersis fracto & fœmineo? Hic sanè ratione non potest perennis ille obtineri annulus, quem tu concupiscis. Respondit Minister. Atquí Domine certamina illa, in quibus opor-

oportet se tibi resignare & permittere, teq; perpeti, nimium diuturna sunt. Ad quod illi mox eiusmodi datum est responsum: Sed & honor ipse & gloria & annulus militum meorũ, quos ego honorauero, perennis est. His Minister in sese reiectus ac conuictus, submisse admodum dixit: Fateor mi Domine culpam meam. Tantum oro, vt afflicto mihi liceat lachrymas fũdere: siquidem cor meum omnino refundat. Cui Dominus. Proh pudor, inquit, visne in fœminæ morem lachrymari? Certè tibijpsi apud omnes cæli ciues ignominiæ notam inures. Tergeoculos & hilarem vultum exhibe, vt neque DEVS neque homines animaduertant afflictionis causa te plorare. Cœpit ille ridere nonnihil, ac nihilominus per genas fluitabant lachrymæ promisitque Deo nolle se deinceps flere, quô posset spiritalem illum annulum adipisci.

Infracto animo aduersaque Dei amore toleranda.

Vt Ministro quandoque concionante, facies eius ter instar Solis radiauerit.

CAPVT XLVIII.

CVm vice quadam apud Coloniam Agrippinam Minister serió admodum & feruenter concionaretur, quidam nouus Christi tyro recens ad DEVM conuersus, illi concioni intererat. Erat idem ille satis afflictus. Cum ergo studiosè in Ministrum intenderet, internis oculis vidit faciem eius in iucundissimam mutari claritatẽ, ac tribus vicibus vsqueadeò splendidã effici, vt solet esse Sol, cum

cum est aër sereniſſimus: potuitque nullo negotio in eius vultu ſuam faciem contemplari. Ex hac ergò viſione ſatis ille in ſua afflictione animatus & recreatus, atque in ſancta vita confirmatus fuit.

De ſalutifero nomine IESV.

CAPVT XLIX.

QVandoque Miniſtro ex Superiori Germania Aquiſgranum ad inuiſendam beatiſſimam Virginem proficiſcente, cum eſſet in reditu, ſanctæ cuidam virgini beatiſſima MARIA apparens, ita dixit: En Miniſtri filij mei rediit, nomenque eius ſuauiſſimum flagranti pectore longè lateque diuulgauit, quemadmodum olim Apoſtoli eius. Atque vtij nomen illud fidemque Chriſtianã omnibus propoſitare ac inſinuare optabant, ita & ipſe totus in hoc incumbit, vt idem ſacratiſſimum nomen nouo cum feruore & amore cunctis egelidis cordibus inferat, in ijſque excitet & accendat. Vnde etiam cum ſanctis Apoſtolis poſt obitum ſuum ſuum præmium æternum conſequetur. Poſt hæc eadem ſancta virgo in beatam MARIAM oculos referens, vidit eam manu tenentem candelam elegantem, vſqueadeò flagrantem, vt totum illuſtraret orbem. In ipſa autem candela vndiquaque exaratum erat nomen IESV: Dixit autem Dei genitrix ad virginem: Iſthæc candela ardens nomen IESV deſignat, qui reuera omnium corda illuminat, qui tamen eius nomen deuotè recipiant, idque venerentur, & apud ſe

se pio affectu circumferant. Porrò idem filius meus ad hoc sibi Ministrum suum delegit, vt eius opera nomen suum in multorum cordibus cupidè accendatur, & ipsi inde æternæ suæ salutis profectum recipiant. Eadem ipsa sancta virgo vbi multis aduertit modis, Ministrum, qui illius erat spiritalis pater, miram habere fidem & deuotionem erga dulcissimum IESV nomen, vt quod etiam suo inscripsisset pectori, cœpit etiam ipsa magno illius amore corripi, piaq; cum deuotione idem nomen rubicundis filis sericis exiguo panno assuit, volens id clanculo apud se deferre: atque eius formæ innumera alia confecit IESV nomina, effecitq;, vt ea omnia suo Minister pectori applicaret, & diuina benedictione addita, filijs suis spiritalibus vltro citroque transmitteret. Fuit autem illi eidem virgini reuelatum à Deo, quisquis illud nomen hoc pacto apud se circumferret, & quotidiè in eius honorem diceret Orationē Dominicam, illi DEVM in hac vita benignè facturum, & in eius morte propicium ipsi futurum. Quod nobis omnibus præstet Christus Iesus.

Amen.

D. HEN

D. HENRICI SVSONIS VIRI SANCTISSIMI, CENTVM MEDITATIONES PASSIONIS CHRISTI IESV, ipsi diuinitus reuelatæ, breues quidem, sed admodum piæ & efficaces.

PROLOGVS AVTHORIS.

QVISQVIS sub compendio deuotè ac pio cum affectu Christi passionem acerbissimam & amoris spirantissimam, in qua sita est tota hominum salus, mente retinuere, secumque commemorare, atq; illius multimodis afflictionibus gratum se præbere appetit, centum has Meditationes breuibus comprehensas verbis, memoriæ commendabit, ita vt sensum mentemq; illarum animo affixam retineat, piaq; cordis deuotione cum centum, vt vocant, venijs, id est, humi exosculationibus, aut alio ipsi magis congruo modo quotidie eas percurret: & quoties humi osculatur, toties orationem Dominicam, aut Salue regina, vel Angelicam salutationem, vbi beatissimæ virginis Mariæ fit mentio, adiunget. Hac namque ratione fratri cuidam religioso post nocturnas preces diuinitùs reuelata fuêre, stanti videlicet coram imagine crucifixi, ac piè conquerenti Deo, quod non posset ab[illegible] gra[illegible]

graui molestia & tædio illius passionem animo reuoluere. Si quidem ad id vsque temporis eo malo siue eo defectu non parum laborauerat. Petitiones autem siue adspirationes hisce Dominicæ passionis meditationibus adiũctas, idem frater ex seipso attexuit, idq; succinctè, vt habeat quilibet, modum quendam vel occasionem petendi à Deo, vel ad Deum adspirandi, prout se affectum senserit.

Dominica die, vel ad Matutinas.

ADmoneo te IESV pijssime sudoris illius I.
sanguinei, quem tibi post cœnam vltimam in horto oranti, pijssimi cordis tui ineffabilis angustia vbertim expressit. II. Memento crudelissimæ illius captiuitatis tuæ, immanissimæ colligationis, & miserandæ abductionis. III. Memineris pie IESV, vt ea nocte duris te affecerint verberibus, phlegmatibus conspurcârint, oculorum velationis probrosè ac indignè nimis tractârint. IIII. Vt mane coram Caipha condemnatus, & morti velut reus adiudicatus fueris. V. Vt mater mœstissima immenso cordis cum dolore te respexerit. VI. Vt Pilato ignominiosè exhibitus, coram illo falso accusatus, & ab eodem mortis sententia iniquè damnatus fueris. VII. Vt Herodes cum suis in alba veste ceu fatuũ te irriserit, qui es Patris æterna Sapientia. VIII. Vt elegantissimũ corpus tuum horridi flagrorum & virgarum ictus dirè sulcauerint, ac cõminuerint. IX. Vt caput tenerrimum vepres & spinæ acutissimæ confixerint, largiter per faciẽ decur-

decurrentibus pretioſi ſanguinis tui riuu
X. Vt tandem tam miſerè affectus, mortis
ceperis ſententiam, atq; propriam ferens cr
cem, ſumma cum ignominia ad ſupplici
cum eductus fueris.

ORATIO.

OBſecro Domine vnica ſpes & fidu
mea, horum omnium admonitus, p
terna benignitate ſuccurre mihi miſe
quibuslibet laboranti aduerſis caſibus & ang
ſtijs. Abſolue me à duris & grauibus peccato
meorum vinculis. Serua me ab occultis vi
& publica ignominia. Tuere ac defende m
dæmonum fallacioſis perſuaſionibus, & vi
rum omnium occaſionibus ac incitamen
Fac me tuos & matris pijſſimæ dolores int
animi compaſſione ſentire. Miſericordem
mihi iudicem præbe extremum trahenti ſp
ritum. Doce me Mundi honores deſpicere,
tibi ſapienter ac rationabiliter inſeruire. S
na & dilue culpas meas omnes vulneri
tuis. Ratio mea ſacratiſſimi capitis tui
maniſſimis doloribus aduerſum tentatio
omnes confirmetur & exornetur. Denicq; pr
ſta mihi quaslibet cruces & perpeſſiones tu
pro viribus ſectari.

MEmento dulciſſime IESV, vtè ſubli
crucis ſtipite pendentis lucidiſſima
culi tui defecerint ac euerſi fuerint. I
Vt diuinæ aures tuæ ludibrijs, conuitijs & bl
phemijs oppletæ fuerint. III. Vt præclariſſ
mum odoratum tuum putentiſſimo fœto
affliu

afflixerint. IV. Vt os sacratissimum acerbissima potione infecerint. V. Vt tactum delicatum duris attriuerint verberibus.

QVæso Domine cohibe oculos meos à lasciuo ac vano adspectu. Aures à fabulis & inani ioquio. Da vt visibilia & corporea cuncta mihi sordescant. Fac vt temporalia quæuis mihi vertantur in nauseam. Aufer à me proprij corporis curam superfluam & delicatam.

Feria Secunda, vel, ad Primam.

MEmineris etiam dulcissime IESV, vt sacrosanctum caput tuum præ nimio dolore & incommodis hæserit pendulum. VII. Vt gracile collum tuum crudeliter cæsum fuerit. VIII. Vt gratissimam faciem tetra phlegmata & sanguis penitùs operuerint. IX. Vt viuidus color tuus totus expalluerit. X. Vt omnis corporis tui decor emarcuerit. VI.

ORATIO.

PRæsta mihi Domine corporis amare & amplecti incommoda, & non nisi in te vno acquiescere, aliena mala æquanimiter perpeti: mei cõtemptum desiderare: extinguere appetitiones & cupiditates meas: atque quæuis oblectamenta & voluptates pessum premere ac mortificare.

MEmor esto Domine IESV, vt dextram manum tuam clauo confixerint. II. Item & sinistram. III. Vt dextrum brachium I.

chium dirè intenderint. IV. Atque itidem sinistrum. V. Vt pedem dextrum confoderint. VI. Eademque crudelitate sinistrum. VII. Vt velut impotens ac viribus destitutus peperderis in cruce. VIII. Vt crura tua nimium delassata fuerint. IX. Vt cuncta tenerrima membra tua ad crucis ergastulum immobiliter stringerint. X. Vt corpus tuum feruens sanguine multis locis tinxerit.

ORATIO.

ITa mi Domine fac me in aduersis & prosperis immobiliter tibi ceu clauis confixus adstringi: omnes animæ & corporis vires in tua cruce extendi: Intellectum & Affectum meum tibi affigi atque inhærere. Præsta, ne corporis oblectamenta sectari queam: sed tuam laudem & honorem alacriter & studiosè spectem & aucuper. Non sit mi Domine vllum corporis mei membrum, quod non speciatim tuam mortem suo modo meditetur, tuæque passionis quandam similitudinem amabiliter præ se ferat exhibeatque.

Feria Tertia, vel, ad Tertiam.

1. REcordare suauissime IESV, vt florentissimum corpus tuum in cruce præ indigentia & inopia extabuerit ac exaruerit. II. Vt defatigatũ dorsum tuum asper crucis cortex miserè torserit. III. Vt corpus sanctissimum suo pondere deorsum tetenderit ac depressum fuerit. IV. Vt totum corpus vulneribus, doloribus ac liuoribus confectum fuerit. V. Vt hæc omnia corde amantissimo pertuleris.

ORA-

ORATIO.

CLementissime Domine, indigentia tua sit mei perennis instauratio, meq; perpetuò faciat reuiresc ere. Dorsi tui aspera reclinatio sit mihi spiritalis requies. Corporis tui inima depressio meam potenter sustentet imbecillitatem. Dolores tui meos sanent. Cor tuũ amore feruentissimum, flagrantissima charitate meum inflammet.

SIs memor benignissime IESV, vt mortis angoribus correptum & summis affectum cruciamentis impij hostes tui contumelijs blasphemijs & scommatibus te vexauerint. II. Vt irridiculis te gestibus ac morib⁹ deluserint. III. Vt prorsus te suis in cordibus pro nihilo duxerint ac vilipenderint. IV. Vt in his constantissime perseueraueris. V. Vt patrem pro illis benigne deprecatus fueris. VI. Vt agnus innocens cum sceleratis reputatus fueris. VII. Vt Latro ad sinistram pendens, te despexerit & condemnauerit. VIII. Vt alter te implorauerit. IX. Vt cuncta illi peccata remiseris. X. Vt cælestem ei patefeceris paradisum.

ORATIO.

DOce obsecro Domine famulũ tuum quæ-uis conuitia, scommata, ludibria, & cõtemptum ac vilipensionem omnem tui amore fortiter perpeti, cunctosque aduersarios meos apud te piè excusare. O fons inexhaustæ benignitatis IESV amantissime, en offero hodie immeritam mortem tuam cælesti Patri tuo pro rea multisque vitijs obnoxia vita mea.

En imploro misericordiam tuam cum Latrone. Memento, memento obsecro meî in regno tuo. Ne me condemnes pro erratis meis, dimitte mihi quicquid vnquam malè gessi, & apud mihi cælestem paradisum.

Luc. 23.

Feria Quarta, vel, ad Sextam.

I. MEmento dulcissime IESV, vt eadem hora meî causa à cūctis hominibus seueris derelictus. II. Vt amici te tuî tanquam extraneum non agnouerint. III. Vt nudus, omniq; honore pariter ac veste priuatus pependeris. IV. Vt omnipotens virtus tua plane impotens visa fuerit. V. Vt te crudelissimi absque vlla misericordia & humanitate tractauerint, tuq; omnia tacitus ac māsuetus pertuleris. VI. Vt grauissimo cordis dolore confectus fueris, perspiciens matris pijssime ineffabiles angustias, tibi vni perfectè cognitas. VII. Eius etiam miserabiles contemplans gestus. VIII. Illius lamentabiles audiens querimonias. IX. Atque in ipsa mortis conflictatione, iamiamq; ab ea separandus, discipulo illam ceu matrem omni pietate ac fide prosequendam commendans. X. Denique & ipsi discipulum assignans, ceu filium materna beneuolentia complectendum.

Iean. 19.

ORATIO.

O Præclarissimum virtutum omnium exemplar IESV sapientissime, aufer à me mortalium omniū pernicioſum amorem, erga cognatos omnes inordinatum affectum

ſtum & ſolicitudinem. Libera & abſolue me ab omni occupatione inutili. Preſta mihi conſtãtiam & firmitatem aduerſus omnes ſpiritꝰ malignos: & mãſuetudinem erga quoſuis importunos ac turbulentos homines. Piiſſime IESV, imprime acerbiſſimam mortem tuam medullis cordis mei: reluceat illa in precibus meis, & operum exhibitione declaretur. Ego me totum ſuauiſſime IESV commendo perpetuæ curæ fidei ſacratiſſimæ Matris tuæ, & chariſſimi diſcipuli tui Ioannis. (Dicatur Salue Regina, vel Angelica ſalutatio.)

De compaſsione virginis Matris.

ADmoneo te ſacratiſſima virgo Maria ineffabilis doloris illius, quem in tuo ſenſiſti materno pectore, ſimulatq; inſpexiſti chariſſimum filium tuum ab alta cruce pendentem, mortis angoribus correptum. II. Nec tamen ei opem ferre potuiſti. III. Et cum filij tui agonem in cruce mœſtiſſima adſpiceres. IV. Cùm eum miſerandum in modum plangeres. V. Et illete benigniſſimè conſolaretur. VI. Cum verba illius audires, cor tuum piiſſimum ſauciantia. VII. Geſtus tui lamentabiles ſaxea adſtantium pectora emollirent. VIII. Maternas manus & brachia miſerabiliter ſurſum erigeres. IX. At corpus dolore confectum, ac viribus deſtitutum collaberetur. X. Sacratiſſimo ore tuo ſanguinem filij largiter decurrẽtem deoſculareris. Eià ergò mater totius gratiæ, mater miſericordiæ, ſerua ac tuere me materna benignitate cunctis vitæ meæ diebus; I.

protege me misericorditer in extremo spiritu
constitutum. Ea namque hora est Domina pp
stantissima, cuius causa toto vitæ tempore o
pio esse famulus & cultor tuus. Ea est terribi
illa hora, ad cuius memoriam cor animusq
terrore corripitur. Cessant tum preces & im
plorationes. Neque noui Domina mea, ad qu
tum confugere debeam. Eia ergo abyssus mi
hausta diuinæ misericordiæ, tuis aduo
hodiè vestigijs, alta ex imo pectore trah
suspiria, oro & obsecro dignus vt tum eti
merear iucundissima præsentia tua. Qui eni
disperare poterit, aut quis nocere illi qu
quem tu mater sanctissima tueri voles? De
de me tunc vnica consolatio mea à terri
horridis dæmonum adspectibus, succurre m
sero, & ab illorum cruentis me serua manib
Solare tum miserabiles gemitus meos. Vir
imbecillitatem & defectum ex mortis prop
quitate accedentem, oculis misericordi
respicias placidè ac benignè. Pijssimas m
porrige manus tuas. Suscipe miseram acc
latam animam meam, & roseo vultu tuo p
duc eam ad summi Iudicis conspectum, at
æterna beatitudine certam effice & confirm

Feria Quinta, vel, ad Nonam.

I. IESV dulcissime, qui summè places Deo P
tri omnipotenti, recordare obsecro, v
cruce suspẽsus præter externos grauissim
corporis dolores, mortisque angustias, ex
intus fueris omni suauitate & consolatione
nitus destitutus. II. Vt patrem miserabili v
in

Matth. 27.
Marc. 15.
Ioan. 19.

inuocaueris. III. Vt voluntatem tuam illius prorsus conformaueris atque vniêris. IV. Vt præ nimia ariditate corporaliter sitiêris vehementissime. V. Vt etiam præ immenso amore admodum sitiêris spiritaliter. VI. Vt tam intolerabili cruciato siti fel & acetum tibi præbuerint. VII. Vt peractis omnibus, dixeris: Consummatum est. VIII. Vt patri charissimo ad mortem vsque obediêris. IX. Vt spiritum tuum eius paternis manibus commendaueris. X. Vt anima præclarissima à sanctissimo corpore tuo separata fuerit.

ORATIO.

IN huius charitatis vnione te obsecro pie & suauis Domine IESV, in quibuslibet afflictionibus meis mihi præsto sis pro bonitate tua: clamori ac precibus meis paternas aures nunquam non accommodes & patefacias: voluntatem mihi tribuas tibi semper & in omnibus conformem ac vnitam rerum corporalium ac labentium omnium in me sitim extinguas: spiritalia ac diuina me sitire facias: acerbissima potio tua aduersitates meas omnes mihi vertat in dulcedinem. Præsta vt sano ac pio sensu, & in bonis operibus ad mortem vsque perseuerem, nec vnquam à tua obedientia deflectam. Commendo hodie clementissime Iesu spiritum meum in manus tuas, vt è corpore discedens, à te hilariter & placidè excipiatur. Præsta mihi Domine vitam tibi placitam & acceptã, ac benè præparatam & felicẽ obitum, vitæq; terminum de futura beatitudine ex tua

gratia certum ac ſecurum. Amara mors tu
ſarciat & perficiat exigua opera mea, vt ea ho
ra ab omni culpa ſimul & pœna omninò abſo
lutus hinc exeam.

Feria ſexta, vel, ad Veſperas.

MEmento Domine IESV, vt lancea a
ta tuum fixerit latus. II. Vt indè purp
reus manârit ſanguis. III. Simul et
aqua vitalis emerſerit. IV. Quanto labore
dolore me redemeris. V. Quam præclare &
lariter me in libertatem reſtitueris ac vin
câris.

ORATIO.

PIjſſime IESV, profundum tui lateris v
nus protegat ac muniat me contra om
hoſtes meos. Vitalis vnda indè man
abluat ac emũdet me à peccatis omnibus. P
pureus ſanguis tuus omnigenis me virtut
& gratia exornet. Labores & dolores tui m
cauſa ſuſcepti, te mihi deuinciant, reddan
propitium. Atque hoc ipſum, quod me tam
cellenter & hilariter libertati reſtituiſti, p
enni me tibi vnione coniungat.

Ad Virginem Matrem.

I. OVnica & ſingularis poſt Deum conſo
tio peccatorum omnium, præclariſſ
Regina, ſemper virgo MARIA, me
neris obſecro, vt olim ſub cruce ſteteris, vi
emortuum filium tuum: vtq; ad illum co
Ioan. 19. te pendentem exanimem ſæpe miſerandum
mod

modum suspexeris. II. Quanta pietate, quàm materno affectu eius à cruce absoluti brachia exceperis. III. Qua fide & charitate sanguinolento vultui tuo ea appresseris. IV. Vt recentes eius plagas & vulnera, vultumqúe emortuum exosculata fueris. V. Quam crebra illic mortifera in tuo pectore vulnera acceperis. VI. Quam frequentes altosque ac lamentabiles emiseris gemitus. VII. Quam innumeras easq; valdè acerbas fuderis lachrymas. VIII. Quam lamentabiles protuleris sermones. IX. Quàm tristis ac lugubris fuerit vultus tuus alioqui sereniſſimus. X. Vt denique cordis tui immensos dolores nec mortales simul omnes consolari potuissent.

ORATIO.

HOrum omnium admonita clementissima Domina, perpetua quæso sis custos & fida moderatrix totius vitæ meę: Maternos oculos ad me benignè conuerte. Conserua me fideliter à quibuslibet hostibus meis sub vmbra alarum dilectissimi filij tui. Sedula illa tua exosculatio vulnerum eius, ipsum mihi reconcilier. Mortifera cordis tui vulnera veram mihi cordis contritionem impetrent. Profunda suspiria tua iuge in me Dei desiderium excitent. Verba tua longè tristissima ac voces lamentabiles omnem à me sermonem ocioſum excludant ac aboleant. Mœstissimi gestus tui nullos in me gestus moresve dissolutos hærere patiantur. Cor tuum desolatissimum, faciat me caducum amorem omnem prorsus nihili pendere.

Sabbatho, vel, ad Completorium.

I. O Splendor & candor lucis æternæ, quam penitùs modò extinctã es, dum te anima mea in tristissimæ matris sinu exanimé contemplatur, & pijs cum querimonijs ac laude circumplectitur sub cruce. Extingue in me ardentem vitiorum omnium libidinem & cupiditatem. II. O speculum sine macula Dei maiestatis, vt præ amore, salutis meæ causa contaminatum es. Repurga sordentes & grandes maculas vitiorum meorum. III. O imago lucidissima bonitatis Dei patris, quantopere cõspurcata es. Reforma ac redintegra deprauatam animæ meæ imaginẽ. IV. O agne innocẽtissime, quam immaniter tractatus es. Satisfac & expia noxiam & malè de te meritam vitam meam. V. O rex regum & Domine dominantium, præsta mihi obsecro, vt quemadmodùm anima mea cum lamentis ac dolore te nunc adhò abiectum complectitur: ita tu meam in tua sempiterna claritudine & gloria circumplectaris cum gaudio.

Ad condolentissimam Matrem IESV.

I. SAcratissima virgo MARIA, recordare quæso inæstimabilis doloris illius, quem inuasit, cum exanime filij tui corpus à tuo pectore auelleretur. II. Memineris tristissimæ à sepulchro filij discessionis. III. Vestigiorum ac gressuum tuorum miserabilium. IV. Mœstissimi cordis, ad filium sepultum suspirantis. V. Constantissimæ fidelitatis, & fidissimæ constantiæ, quam cu sola illi exhibuisti in cunctis eius angu-

angustijs ac necessitatibus, donec in monumento reconditum cerneres.

ORATIO.

IMpetra mihi pijssima mater apud dilectissimum filium tuum, vt illius passione & tuis doloribus cunctas meas afflictiones & dolores superem, vt in eius sepulchro à quibuslibet curis & occupationibus temporarijs me abscondam, vt totus hic Mundus mihi vertatur in exilium: adeo illi vni auidissime suspirem, atq; in illius laude & tuo famulatu ad vltimũ vsq; spiritum stabilis perseuerem. Amen.

DE AETERNA SAPIENTIA EXERCITIVM, AMANTI ANIMAE REVERA DVLCISSIMVM D. Henrico Susoni diuinitus reuelatum.

QVISQVIS optat æternæ Sapientiæ, quæ est Dominus noster Iesus Christus, amicabilis fieri Discipul⁹, in Dei amore perpetim profectum facere, à malis seruari, gratia, benedictione & familiari Dei amicitia affici, bene viuere & feliciter mori, cuiuscunque statûs vel conditionis sit, ea quæ sequũtur diligẽter obseruabit, quæ sunt ita moderata ac tẽperata, vt nihil habeãt difficultatis, & quilibet ea posset exequi absq; præiudicio sui status vel conditionis. Non enim hîc vlla cuiquam obligatio indicitur, sed qui torpore animi contracti sunt, ad Dei amorẽ inuitãtur. Inprimis igitur quilibet æternæ Sapiẽtiæ discipulus, omnẽ priua-

priuatum amorem, & erga seipsum & quaslibet res terrenas affectum inordinatum ac reflexum, pro viribus abijciet fugiet & extirpabit, ac ipsam præclarissimam Sapientiam in Sponsam suam & amicam eliget & assumet: Quòd si quisquam adeò est priuato implicatus amore, vt nimis putet arduum, si ab eo se vi quadam debeat extricare, is animo pium cõcipiat propositum ac desiderium se ab amore noxio subducendi, vbi Dei gratiam & auxilium occasione aliqua sibi senserit efficacitar arridere, inchoetque hoc exercitium. Porrò quos talis non irretiuit amor, sed tamen desides hactenus & negligentes in Dei amore fuerunt, ij spiritalem hanc sponsam denuo sibi desponsent, eiusque amorem noui feruoris affectu quodam renouarent, & cui prius seruierunt formidine pœnæ tanquam Domino, deinceps ceu sponsæ amantissimæ studeant placere & adhærere feruenti charitate: iugiter animo pensitantes excellentiam, benignitatem & præsentiam huius diuinissimæ sponsæ vel sponsi, prout eum appellare libuerit. Non enim est sexus in Deo vel in anima, sed est spiritus purus & simplex. O terq; quaterq; beatos, qui in hac vita in eius meruerint amicitiam & familiaritatem admitti. Hæc autem desponsatio non solum debet fieri intus in anima, sed etiam ob feruorem excitandum foris, occultè tamen, idq; per quædam deuotionis signa, eo quo sequitur modo:

Priuato deditus amori quid agere debeat vt eodem exuatur.

Principio quisquis in æternæ Sapientiæ Fraternitatem vult recipi, dicat tres orationes Dominicas cum totidem angelicis salutationibus, & tribus vicibus seipsum secreto humi prosterna-

ſternat, hocipſo totum ſeſe æternæ Sapientiæ offerens, permittens ac reſignans: petatq; ab ea arrham deſponſationis, videlicet nouam quãdam gratiam in ſignum mutuæ dilectionis & fidei, quam neque mors, neq; vita, neq; creatura vlla vnquam poſſit violare.

Aeternæ Sapientiæ pij cultores & diſcipuli legant quotidie preces Horarias infrè addẽdas quæ vulgo dicuntur CVRSVS AETERNAE SAPIENTIAE, apprimè deuotas ac ſalutares. Has preces qui legere neſciunt aut non poſſunt, dicant loco earum ſepties orationem Dominicam cum totidem angelicis ſalutationibus, videlicet pro qualibet hora vnam: idqúe hac intentione, vt diuina Sapientia ipſorum corda & corpora conſeruet, ne ab hoc Mundo vanitatibus & periculis referto illaqueentur, ſed cautè ac prudenter ambulantes, à cunctis malis protegantur, & via recta ad æternam ſalutem à Domino dirigantur.

In menſa poſt benedictionem antequam comedant, dicant vnam orationem Dominicam cum Angelica ſalutatione pro eleemoſyna ſpirituali animabus magis indigis in purgatorio, attendentes quanti periculi ſit eleemoſynis abſque gratitudine vti, & quam pium, miſeros, qui ſibijpſis opem ferre nequeant, iuuare: quãtaq; gratitudine accipiant vel minima quæq;, de menſa dominorum ſuorum cadentia pro ipſorum refrigerio.

Dicant etiam vnam orationem Dominicã cum angelica ſalutatione dulciſſimo & ſalutifero nomini æternæ Sapientiæ, quod eſt Ieſus, vt ipſe Dominus cunctos æternæ Sapientiæ diſci-

discipulos, sanctamque Ecclesiam Catholicam seruet & tueatur ab omnibus aduersis & hostilibus insidijs, addentes hæc verba: Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & gloriosæ virginis Mariæ matris eius in æternum & vltra, Amen: vt dulcis IESVS, qui hodie temporibus multorum cordibus misericors profligatus est, quod omnes quæ sua sunt quærant, non quæ Iesu Christi, amorem suum in eis accendat, nomenq; suum mellifluum illis imprimat, in eisq; conseruet.

Philip. 2.

Debent præterea discipuli æternæ sapientiæ Dominam ac Sponsam suam certis anni diebus speciali quodã venerationis officio prosequi.

Primus dies est Dominica prima Aduentus, quo libri Sapientię inchoantur in Ecclesia Dei.

Secundus dies est septimus ante vigiliã Natalis Christi, quo incipitur antiphona, O Sapientia. Hoc die & consequentibus vsq; ad noctem illam gloriosam, qua in hunc Mundum æterna Sapientia dignata est corporaliter ingredi, specialem quandam faciant æternæ Sapientiæ commemorationem per Antiphonã, vel Collectam, siue Orationem Dominicam pro cuiusque deuotione. Qui sacerdos est, si his diebus deuotè Missas celebrauerit de æterna Sapientia, faciet illi rem gratissimam.

Tertius dies est Circumcisionis Domini. Hoc inchoatur nouus annus & pro quarundam terrarum consuetudine amici vicissim mittunt munera, alij alijs faustum precantes annum. Eodem modo hoc die Sapientiæ discipulus pro diuini amoris incitamento sponsam suam cælestem adeat, felicem annum sibi

OIV 45

ipsi & cunctis condiscipulis, & toti Ecclesiæ ab illa pèrens.

Quartus dies est Dominica, Esto mihi, in Bacchanalibus, qui stultis mundi amatoribus celebris habetur, quem amici conuenientes, multis iniquitatibus & vanis consolatiunculis contaminare solent. Vt ergo discipulus Sapiẽtiæ certo declaret indicio, eam ipsam Sapientiã totum ac vnicum suum esse gaudium & solatium in hac vita pariter & futura, faciat quod infra dicetur.

Quintus dies est Calendis Maij, cùm vernalis serenitas cunctis grata & desiderabilis profert sese in varijs terræ germinibus. Huius diei nocturno tempore in quibusdam locis adolescentes amori dediti, ramis & floribus ornãt & designant domos in amoris & fidei documentum, in quibus putant se amicas habere. Vt ergo ex iniquo opere sancta colligatur deuotio, quod dementes filij seculi faciũt homini mortali, hoc filij æternæ Sapientię faciant spiritaliter omnium conditori, idq; tanto accuratius, quãto illa diuinissima amica mortales omnes sublimius excellit: offerantq; ei hoc die vel cereum vnum, aut orationem peculiarem.

Quemlibet prædictorum quinque dierum discipuli æternæ Sapientiæ singulari deuotionis instauratione celebrent, legentes centies orationem Dominicam cum totidem angelicis salutationibus, aut aliud aliquid: vel Missam auscultent, vel (si sint Sacerdotes) legant, aut accendant cereum, vel quippiam boni operis faciant in laudem & honorem æternæ Sapientiæ, quæ æterna lux est: idq́ue in euidens argumentum,

mentum, quod omnem salutem suam fidel
discipuli in hoc fluxo tempore à sola spon
sua se recognoscant habere, & ab ea sola exp
tere & sperare velint, quodque eius vnius
mor in ipsorum debeat lucere & ardere pec
ribus. Petantq; , vt si qua fortassis occasione
amor in ipsorum cordibus extinctus est, tam
benignè & feruenter rursus accendatur, vt non
possit extingui vnquam.

Sextus dies poterit esse alter à die omnium
fidelium defunctorum, quo pro vniuersis fra
tribus & sororibus huius societatis vel vnis
nis, & pro illorum amicis defunctis Missas
dicant, qui sacerdotio funguntur: vel faciant
dici: aut centum orationes Dominicas, totide
que angelicas salutationes, vel aliud aliquid
legant. Porrò præmissis omnibus hanc oratio
nem, si placet, addant quotidiè: Pijssime Pat
omnipotens, per coæternam tibi Sapientiam
tuam Dominum nostrum Iesum Christum
obsecro, vt afflictæ Ecclesiæ tuæ subuenias, ei
que ad pacem, vnionem & tranquillitatem re
ducas iuxta supremum tuum honorem & be
neplacitum, Amen.

DISCIPVLI quoque æternæ Sapientiæ sa
lutiferum nomen IESV qualitercunque scr
ptum vel effigiatum, clanculum siue sub ve
siue quouis alio loco, prout ipsis magis con
gruit, secum ferant, dicantque manè cuius lib
diei hanc salutationem, vt pius IESVS ab
mni ipsos seruet malo, & ad felicem obitu
perducat.

Amen

ANima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane euigilauit ad te ô præclarissima Sapientia, petens vt desiderata præsentia tua cuncta nobis aduersantia remoueat, penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat, & in amore tuo vehementer accendat. Et nunc dulcissime Domine Iesu Christe ad te diluculo consurgo, teq; ex intimo cordis affectu saluto. Millia quoque millium cælestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, ac decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent. Vniuersalis etiam harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet, ac nomen tuum glorioſum protectionis nostræ clypeum benedicat in secula. Amen.

Præterea discipuli æternæ Sapientię summo cordis affectu venerari debent matrem ipsius æternæ Sapientiæ, quippe quæ eos ipsos ceu filio suo vnicè charos sibi in filios suscipere, illorum curam materna pietate gerere parata est. Quamobrem vnusquilibet discipulus quotidie nouem vicib⁹ dicat in eius honorem angelicam salutationem semel videlicet mane, dum surgit, genua flectens, offerat cuncta sua bona opera eo die facienda illi cæli reginæ in manus, vt ipsa tã reuerenda & lõge charissimæ mater exhibeat ea filio suo summo regi, cui grata & accepta reddantur ob reuerentiam tãtæ mediatricis, quę fortassis vilia, exigua, & minus grata forent ab homine peccatore Deo sine medio oblata. Itidem faciat serò post omnes absolutas preces iturus cubitum. Et vt securius dormiat, petat vt quicquid ea die neglectũ est,

per ipsam sarciatur: quicquid malè actum, per ipsam emendetur: quicquid rectè factum, per eam Deo fiat placitum & conseruetur.

Reliquas septem angelicas salutationes dicat cordi genitricis Dei dulcissimo, omnium peccatorum refugio pijssimo, vt ipsa illud suauissimum æternæ Sapientiæ triclinium, dictarum miserationum Domini depositorium affluentissimum benignè aperiat & inclinet ad omnes huius eiusdem Sapientiæ discipulos in supremo spiritu constitutos, atque eos tum pie defendere, atq; ad cęli palatia comes indiuidua perducere dignetur.

Denique si qui adeò sint debiles, aut occupationibus licitis impediti, vt quandoque certo tempore his iam dictis vacare non possint, aut si vel ob duritiam, vel hebitudinem cordis nesciant singula ita (vt dictum est) applicare, dicat quotidiè nouem orationes Dominicas & totidem angelicas salutationes, faciantq; antè dictum suffragium ea intentione implicitè vel tacite, qua alij expressè & sufficit. Si quis etiam velit Salutationem angelicam commutare in Salue Regina, & orationem Dominicam in mensa dicendam, in Psalmum De profundis, benè faciet in honorem æternæ Sapientiæ, quæ est bendicta in secula, Amen.

(·.·)

OIV 45

DE AETERNA SAPIENTIA PRAECES HORARIAE ADMODVM PIAE, QVAS CONSVLTISSIMVM

foret ſtudioſis adoleſcentibus quotidiè legere, vt à Chriſto, qui eſt fons Sapientiæ & Sapientia ipſa, veræ ſapientiæ ac perſpicacis intelligentiæ lucem & gratiam obtineant, ſine qua omnis ſcientia nedum vana, ſed etiam pernicioſa eſt. Singulis horis præmittitur, Salutem mentis & corporis tribuat nobis IESVS ſapientia Patris.

AD MATVTINAS.

DOMINE, labia mea aperies: Et os meum annunciabit laudem tuam. Deus, in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, Sicut erat in principio, &c.

INVITATORIVM.

Aeternæ Sapientiæ fontem adoremus, & pro gloria nominis eius iubilemus. PSALMVS. VENITE, exultemus Domino, iubilemus, &c.

HYMNVS.

IESV dulcis memoria, dans vera cordi gaudia, ſed ſuper mel & omnia, eius dulcis præſentia. Nil canitur ſuauius, auditur nil iucundius, nil cogitatur dulcius, quam IESVS Dei filius. IESV ſpes pœnitentibus, quam pius es petentibus, quàm bonus te quærentibus: ſed quid inuenientibus? Aeterna Sapientia, tibi patriq; gloria, cum ſpiritu paracleto, in ſempiterna ſecula. Amen.

PSALMVS. *Antiph.* Sapientia.

IVbilate Deo omnis terra, *psalmum dicite nomini eius date gloriam laudi eius. Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te & psallat tibi, Psalmum dicat nomini tuo. Gloria patri, &c.*

Antiph. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, subdidit sibi gentes, superborum & sublimium colla propria virtute calcauit. *Versus.* Ego autem in Domino gaudebo, Et exultabit in Deo Iesu meo. *Pater noster.*

BENEDICTIO: *Iesus Sapientia Patris dispellat cuncta aduersantia nobis, Amen.*

LECTIO PRIMA.

O Sapientia æterna, splendor gloriæ & figura substantiæ Patris, qui vniuersa de nihilo creasti, & vt hominem ad paradisi gaudia reduceres, in hanc vallem miseriæ descendisti, eique viam redeũdi per tuam dulcissimam conuersionem demonstrasti, & procunctorum satisfactione tanquam agnus innocens patri immolari voluisti, aperi per pretiosam mortem tuam cor meum, vt te Regem regum & Dominum dominantium, oculis integræ fidei semper adspiciam. Pone meam in tuis vulneribus philosophiam, in tuis stigmatibus sapientiam, vt vlterius in te solo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam, ita vt ego iam non ego, hîc in te & tu in me indissolubili vinculo amoris æternaliter maneamus.

Tu

Tu autem Domine, nostri miserere. Deo gratias.

Responsorium.

EMitte Domine Sapientiam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

Versus: Da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam. Vt sciam, &c.

LECTIO II.

BENEDICTIO: *Aeterna sapientia illuminare dignetur sensus, & corda nostra. Amen.*

OIESV mi dulcissime, & felicissima sapientia, verbum Patris, principium & finis omnium gentium, pijs oculis quæso me intuere, quia puluis sum & caro, & quod non sum volentis neque currentis, sed tui miserentis. Recogita obsecro amarissimam passionem, quam pro me indigno peccatore pertulisti, & bonam voluntatem in me à te inchoatam piè custodias. O misericordia mea, ne derelinquas me. O liberator meus, intende in adiutorium meum, & me huic mũdo mortuum, in sepulchro tuo tecum sepelias, & ab omnibus inimicorum insidijs abscondas, vt me à te nec vita, nec mors, nec vlla fortunæ sors separet, sed permaneat morte fortior amor noster nũc & in æuum. Tu autem Domine, nostri miserere. Deo gratias.

Responsorium.

DA mihi Domine sedium tuarum assistricem spientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. *Versus*: Mitte illam

à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & me-
cum laboret. Quoniam.

LECTIO III.

Benedictio. *Dono sapientiæ & intellectus, s*
pleat nos Spiritus Sanctus, Amen.

O Refugium meum & liberator meus, p
immensum amorem, qui te in patibu
crucis amarissimam mortem pro n
subire coëgit, peccata quæ ego immmund
peccator commisi, misericorditer indulgea
committendis & à cunctis periculis in vit
lateris tui piè me custodias. Gressus meo
huius vitæ fluctibus ad sanctum finem dirig
& ad conspectum gloriæ tuæ peruenire co
das. Tu autem Domine, nostri miserere. D
gratias. *Responsorium.*

SVper salutem & omnem pulchritudin
dilexi sapientiam, & proposui pro l
habere illam. Venerunt autem mihi o
nia bona pariter cum illa.

Versus: Dixi sapientiæ, soror mea es, & p
dentiam vocaui amicam meam. Venera
&c. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto,
Venerunt, &c.

CANTICVM.

TV rex gloriæ Christe. Tu Patris sem
ternus es Filius, &c. vsque ad finem. C
tamen liber, legat sequens Canticum
tegrè positum.

TE Christum laudamus. Te Iesum ben
cimus. Te Regem regum & Domi
dominantium confitemur. Te cruci

colimus, dulcem & amabilem redemptorem. Qui nos adspersione tui sanguinis redemisti. Dignus es Domine IESV Deus noster, accipere laudem, benedictionem, gloriam, & honorem. Exultet tibi omnis caro, & omnis viuens glorificet nomen tuum. Humilietur omnis facies pedibus tuis, & omnis creatura tua seruiat tibi. Laudet & extollat te, benedicat te, & glorificet in æternum.

AD LAVDES. *Versus supplicatorius.*

SAlutem mentis & corporis tribuat nobis Iesus Christus Sapientia Patris. Amen.

DEus in adiutorium meum intende, &c. Antiph. Sapientia.

PSALMVS.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, &c.

Antiph. Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, & eam inueniet, & eam cum inuenerit, beatus erit si tenuerit eam. *Capitulum.*

SApientiam amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi in sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Deo gratias.

HYMNVS.

IESVS rex admirabilis, Et triumphator nobilis, Dulcedo ineffabilis, Totus desiderabilis. Nec lingua valet dicere, Nec literæ exprimere,

primere, Expertus potest credere, Quid sit Iesum diligere. Amor Iesu continuus, Mihi languor assiduus, Mihi IESVS mellifluus, Fructus vitæ perpetuæ. Aeterna Sapientia.

Versus. Sapientia requiescit in corde eius,
Et prudentia in sermone oris illius.

Antiph. O Sapientia. Canticum Zachar.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis, &c.

Antiph. O Sapientia, quæ ex ore altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ. Domine exaudi. Domine Deus virtutum. Domine exaudi.

ORATIO.

DEus qui per coæternam Sapientiam, hominem, cum non esset, cõdidisti, perditumque misericorditer reformâsti, presta quæsumus, vt eadem pectora nostra inspirante, te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Domine exaudi orationem. Et clamor meus, &c. Benedicamus Domino. Deo gratias. Aeterna Sapientia benedicat & custodiat semper corda & corpora nostra. Amen.

(Ita finiuntur omnes Horæ.)

AD PRIMAM. *Versus supplicatorius.*
Salutem mentis & corporis &c.

Deus

DEus in adiutorium,&c. Domine,ad adiuuandum,&c. Gloria patri,&c.

HYMNVS.

AMor Iesu dulcissimus, Et verè suauissimus, Plus millies gratissimus, Quam dicere sufficimus. Iesus decus Angelicum, In aure dulce canticum, In ore mel mirificum, In corde nectare cælicum. Iesu mi bone sentiam Amoris tui copiam, Da mihi per præsentiam, Tuam videre gloriam, Aeterna Sapientia, &c.

Antiph. Ego diligentes.

PSALMVS.

AVditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Gloria patri & filio,&c.

Antiph. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.

Capitulum.

SApientia vincit malitiam, attingit autem à fine vsque in finem fortiter, disponit omnia suauiter. Deo gratias.

Responsorium.

IESV Christe fili Dei viui, Miserere nobis. *Versus.* Qui sedes ad dexteram Patris, Miserere nobis. Gloria Patri & Filio,&c. IESV Christe fili Dei viui,&c. *Versus*: Exurge ô æterna Sapientia, adiuua nos. Et libera nos propter nomen sanctum tuum. Domine exaudi orationem,&c.

ORATIO.

COrda nostra, quæsumus, Domine æterna Sapientiæ splendor benignè illustret, quo mundi huius tenebris carere valeamus, & perueniamus ad patriam claritatis æternæ. Per eundem &c. Dominus exaudi &c. Benedicamus Domino &c.

Aeterna Sapientia benedicat & custodiat, &c.

AD TERTIAM. *Versus supplicatorius.*

Salutem mentis & corporis &c.

DEus in adiutorium &c. Domine, ad adiuuandum &c. Gloria Patri & Filio &c.

HYMNVS.

TVa IESV dilectio, Grata mentis refectio, Replens sine fastidio, Dans famem desiderio. Qui te gustant, esuriunt: Qui bibunt adhuc sitiunt: Desiderare nesciũt, Nisi IESV quem diligunt. Desidero te millies, Mi IESV quando venies? Me lætum quando facies? Te me quando saties?

Aeterna Sapientia, &c.

Antiph. Fili concupiscens.

PSALMVS.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum. Gloria patri & filio &c. Antiph. Fili concupiscens sapientiam conserua iustitiam, & præbebit eam tibi Dominus. *Capitulum.* Sapientiam amaui & exquisiui &c. vt suprà.

Respon-

Responsorium.

EGo autem in Domino gaudebo: Et exultabo in Deo IESV meo. Gaudebo. Gloria patri &c. Ego autem in Domino &c.

Versus: Sit nomen Domini benedictum, Ex hoc nunc & vsque in seculum. *Oratio.*

DEus qui per coeternam tibi sapientiam hominem, cum non esset, &c.

AD SEXTAM. *Versus supplicatorius.*

Salutem mentis & corporis, &c.

DEus in adiutorium, &c. Domine, ad adiuuandum, &c. Gloria patri, &c.

HYMNVS.

IESV summa benignitas, Mira cordis iucunditas, Incõprehensa bonitas, Tua me stringat charitas. Bonum mihi diligere IESVM, nil vltra quærere. Mihi prorsus deficere, Vt illi queam viuere. IESV mi dilectissime, Spes suspirantis animæ, Te quærunt piæ lachrymæ, Et clamor mentis intimæ. Aeterna sapientia.

Antiph. Dominus possedit me, &c.

PSALMVS.

ANima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. Gloria patri & filio, &c. *Antiph.* Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. *Capitulum.*

SApientia candor est lucis æternæ, & speculum sine macula diuinę Maiestatis, & imago bonitatis illius. Deo gratias.

Respon-

Responsorium.

SIt nomen Domini benedictum, Ex hoc nunc & vsque in seculum. Benedictum. Gloria patri, &c. Sit nomen Domini, &c.

Versus: A solis ortu vsque ad occasum, Laudabile nomen Domini. Domine exaudi orationem meam, &c.

ORATIO.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus, & mentibus nostris Sapientiæ tuæ lumen benignus ostende, & te super omnia diligere concede. Per eundem, &c.

AD NONAM. *Versus supplicatorius.*

Salutem mentis & corporis, &c.

DEus in adiutorium &c. Domine, ad adiuuandum &c. Gloria Patri & Filio &c.

HYMNVS.

QVocunque loco fuero, Iesum mecum desidero: Quàm lætus cum inuenero, Quàm felix cum tenuero. Tunc amplexus, tunc oscula. Quæ vincunt mellis pecula, Sed in hac parua morula, IESVM sequar per secula. Iam quod quæsiui, video: Quod concupiui, teneo. Amore Iesu langueo, Et corde totus ardeo.

Aeterna Sapientia, &c. *Antiph.* Necdum erant, &c.

PSALMVS.

COr mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me, &c. Gloria patri, &c.

Antiph.

Antiph. Necdum erant abyssi, & ego parturiebar: quando præparabat cælos aderam cum eo cuncta componens.

Capitulum.

SApientia speciosior est Sole, & super omnẽ dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior. Deo gratias.

Responsorium.

A Solis ortu vsque ad occasum, Laudabile nomen Domini. Vsque ad, &c. Gloria, &c. A solis ortu, &c. *Versus*: Sapientia requiescit in corde eius, & prudentia in sermone ore illius. Domine exaudi orationem meam, &c.

ORATIO.

INfunde, quæsumus, Domine cordibus nostris lumen sapientiæ tuæ, vt te veraciter agnoscamus, & fideliter diligamus. Per eumdem Dominum nostrum, &c.

AD VESPERAS. *Versus supplicatorius.*
Salutem mentis & corporis, &c.

DEus in adiutorium meum intende, &c. Antiph. Omnis Sapientia.

PSALMVS.

REdemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum Testamentum suum. Sanctũ & terribile nomen eius, initium Sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in seculum seculi. Gloria patri & filio, &c.

Antiph. Omnis Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.

Capi-

Capitulum.

SApientiam amaui & exquisiui,&c.

HYMNVS.

IESV Sole serenior, Et balsamo suauior, Omni dulcore dulcior, Præ cunctis amabilior. Tu mentis delectatio, Amoris cõsummatio, Tu mea gloriatio, IESV mundi salutatio. Iesus author clemẽtiæ, Totius spes lætitiæ, Dulcoris fons & gratiæ, Veræ cordis delicia Aeterna Sapientia, &c. *Versus*: Ego autem in Domino gaudebo. Et exultabo in Deo IESV meo. *Antiph.* O oriens.

CANTICVM.

MAgnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus, *&c.*

Antiph. O oriens splendor lucis æternæ & Sol iustitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris & vmbra mortis. Domine exaudi orationem,&c. *Oratio.*

DEus qui per coæternam tibi Sapientiam, &c. Domine exaudi orationem. Eccla. Benedicamus Domino. Deo gratias.

AD COMPLETORIVM. *Versus supplicamus.* Salutem mentis & corporis,&c.

CONuerte nos Deus salutaris noster, Et auerte iram tuam à nobis. Deus, in adiutorium meum intende. Domine, ad adiuuandum me festina. Gloria Patri & Filio &c. *Antiph.* Ego in altissimis,&c.

PSALMVS.

ILlumina oculos meos, *ne vnquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fue-*

tus fuero, ego autem in misericordia tua speraui. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi, Gloria patri, &c. Antiph.

Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.

SApientia sobrietatem & iustitiam & virtutem docet, quibus nihil est vtilius in vita hominibus. Deo gratias.

Responsorium.

IN pace in idipsum, Dormiam & requiescam. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Dormiam & requiescam, &c. Gloria Patri & Filio, &c. In pace, &c.

HYMNVS.

IEsvs in pace imperat, Quæ omnem sensum superat, Hunc mea mens, desiderat, Et illo frui properat. Te cæli chorus prædicat, Et tuas laudes replicat Iesus Orbem lætificat, Et nos Deo pacificat. Iesus ad Patrem redijt, Cæleste regnum subijt. Cor meum à me transijt, Simul post Iesum abijt. Aeterna Sapientia.

Versus. In pace factus est locus eius.
Et habitatio eius in Sion.
Antiph. O rex glorioſe, &c.

CANTICVM.

NVnc dimittis seruum tuum Domine, &c.
Antiph. O rex glorioſe, qui inter sanctos tuos semper es laudabilis, & tamen ineffabilis: tu in nobis es Domine, & nomen sanctum tuũ inuocatum est super nos, ne derelinquas nos Deus noster, vt in die iudicij nos collocare dignerís

gneris inter sanctos & electos tuos rex benedicte. Domine exaudi orationem, &c.

ORATIO.

FRagilitatem nostram quæsumus Domine propicius respice, & saporem nobis suæ næ Sapientiæ benignus infunde, vt eius dulcedine melliflua prægustata, omnia terrena valeamus despicere, & tibi summo bono ardenti desiderio iugiter adhærere. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum in vnitate eiusdem supersanctissimi Spiritussancti viuit & regnat per infinita seculorum secula. Amen. Domine exaudi orationem, &c. Et clamor. &c.

Benedicamus Domino. Deo gratias. Aeterna sapientia benedicat & custodiat nos per corda & corpora nostra. Amen.

DE AETERNA SAPIENTIA OFFICIVM VALDE PIVM, AVTHORE D. HENRICO SVSONE.

LEx Domini irreprehensibilis, conuertens animas: testimonium Dei fidele, sapientiam præstans paruulis. *Versus*: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Gloria Patri, &c.

Collecta.

DEus qui per coæternam tibi sapientiam hominem, cum non esset, condidisti, perditumq; misericorditer reformasti, præsta quæsumus, vt eadem pectora nostra inspirante, tota mente amemus, & ad te toto corde currramus. Per eundem, &c.

Lectio

Lectio libri Sapientiæ.

IN diebus illis dixit Salomon, Deus patrum meorũ & Domine misericordiæ, qui omnia fecisti verbo tuo, & Sapientia constituisti hominem, vt dominetur creaturæ tuæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet: Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ. Sap. 9.

Responsorium.

DOmine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Versus: Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. *Alleluia*: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quam diu ero.

Tractus. Iubilate Domino omnis terra, seruite Domino in lætitia. Intrate in conspectu eius in exultatione. Scitote quod Dominus ipse est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos autẽ populus eius & oues pascuæ eius.

Secundum Matthæum.

IN illo tempore, Exultauit Iesus in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo nouit Filium nisi Pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum super vos & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, Matth. 11.

& inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Offertorium. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum, prouidebam Deum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Secreta.

SAnctificetur, quæsumus, Domine huius nostræ oblationis munus, tua cooperante sapientia, vt tibi placere possit ad laudem, & nobis proficere ad salutem. Per eundem, &c.

Præfatio de Natiuitate.

Communio. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne pereatis de via iusta.

Complenda. Infunde, quæsumus, Domine Deus per hæc sancta quę sumpsimus, tuæ cordibus nostris lumen sapientiæ, vt te veraciter agnoscamus, & fideliter diligamus. Per eundem.

DEO GRATIAS.

FINIS HVIVS LIBRI.

INDEX

INDEX RERVM AC SENTENTIARVM, IN D. HENRICI SVSONIS OPVSCVLA.

ABbates quales olim Monasterijs præficiebantur, & quales modo. 369
Abnegare se volenti tria considerãda. 277
Abnegatio optima quæ. 204
Abnegatio quæ cui maximè necessaria. 7 311.
Abnegatio sui quam Deo grata. 80
Abnegatio sui vt sit omnium virtutum radix. 219
Abrahamum patriarchã quo modo Deus coegerit è terra cognatisque suis excedere. 254
Abyssus occultorum Dei iudiciorum quanta. 8.
Abyssus diuinitatis qualis. 344
Acceptio Sacramenti quæ quã sit diuersa. 138
Accidens quid. 314
Actio hominis resignati quæ. 303
Adamantis, Christique passionis pulchra collatio 99
Adam & Euam quid ex paradisi amœnitate propulerit. 179
Adoratores veri qui sint. 422
Aduersa quęque Dei amore tolerãda animo infracto. 635
Aduersitas quando pro patiente apud DEVM interpellet. 172
Eiusdem vtilitas. 173
Aduersitatibus cur homo Deo deuotus inuoluatur. 64
Adulatio confessariorum quã noxia, Deoque inuisa 371
Aeternitas quid 287
Aeternitatis nullum esse finem 52
Affectio hominis resignati erga proximum. 303
Affectiones naturæ bonæ qualiter in Dei laudem referendæ. 150
Affectus inordinatꝰ cum amore priuato æternæ Sapientiæ discipulo abijciendus. 652
Afflictio bonis eueniens, ex mera Dei charitate promanat. 63
Afflicto bonum occultum. 68
Afflictio cur cum igne conferatur. 68
Afflictio damnatorum magna futura, 53
Afflictionem ad cæli vsq; portas deducere. 70
Afflictionem animi qui non sentiant. 566

Afflictionem hominum verè pœnitentium purgatorij pœnam partim adimere. 175
Afflictionem internam etiam Martyres efficere. 176
Eandem esse diuini amoris præsagium, vnde constet. Ibidem.
Afflictiones occultas, consilij obtinendi gratia, alijs reuelare, an sit consultum. 169
Earundem reuelationem quid potissimum consequatur. Ibid.
Afflictiones quælibet naturæ vt in Dei laudem referendæ. 150
Afflictones quæ quam vtiles. 21
Afflictiones quomodo profligandæ. 225
Afflictiones vel tentationes quatuor molestissimæ. 165
Afflictionis mentis in pœnitẽte quanta vtilitas. 174
Afflictionis vtilitas & effectus. 67
Afflictio quantum afferat homini vtilitatis 562
Afflicto quid subinde animum addat. 591
Afflicti quærimoniæ & consolatio 260. &c.
Afflictio Susouis horrenda. 499. &c.
Afflictis quid attendendum. 225. &c.
Afflictus quem imitari debe
Affligi quam vtile. 51. 54. 70.
Agnetis virg. encomium.
Alberti Magni de hom familiaritate sententia.
Amabilitas Iesu, adhuc in ne existentis, quanta
Amans anima quî Christ Eucharistia perfrui v
Quando à Christo amp xetur.
Amantes animę quam Deo pulentur. 254.
Amanti animæ quis fructu amplexu Christi.
Amanti quã nihil difficile
Amara potio quomodo Christo gustanda.
Amare Deum simul & cre ras inordinatè, quàm possibilè.
Amari à Deo quam magnũ Item quam optandum.
Amator Dei quomodo spir exui debeat.
Amatori Christo nos om debere
Amentes potissimum qui.
Amici Dei pace cordis perfu untur afflicti.
Amici Dei qua potissimum tione probentur.

Amici Dei præcipui quomodo affecti. 313
Amici Dei veri cur pauci. 415
Amicitia Dei quis fruatur. 68
Amicitia quæ cui recogitanda. 619
Amicitia quæ fugienda, & detestanda. 592
Amicorum Dei quanta differentia. 255
Amicos Dei in rem nostram crucibus diuexari. 615
Amicus Dei quid perpeti debeat. 260
Amicus quispiam Dei præcipuus an deficiat. 49
Amittere sese in Deo, quid sit. 294
Amor Christi erga homines incomprehensibilis. 13. 14
Amor Dei & mundi quantum distent. 37. 62
Amorem esse Martyrium. 463
Amore potius quàm timore plerosque trahi. 31
Amori priuato nimum implicato quid, vt se vincat, agendum. 652
Amori quid maxime propriũ. 123
Amori rerum labentium abrenunciantibus amore Christi, quales futura merces. 25
Amoris caduci, & pruinæ assimilatio. 30
Amoris Christi, erga nos, signum præcipuum. 123
Amoris diuini erga peccatores indicium, quod. 174
Amoris diuini erga se consideratione omnia in amantis anima colliquescere. 240
Amoris pernicioſi quanta incommoda. 619
Amor rerum caducarum quantum malum Monasticæ disciplinæ. 30
Amor sensualis quam pernicioſus. 29. 443
Amor tam mundi quam Dei vt sit cæcus. 219
Amor vt exæquet inæqualia. 218
Angeli inferiores quo pacto à superioribus purgentur, & perficiantur. 257
Angeli lucis hominem bene morientem tuentur. 114
Angelorum functiones, ordines, & gaudia. 57
Angelorum sanctorum præsidia contra cacodæmonis insidias Minister efflagitat timore perculsus. 593
Angelo supremo quid maximè libeat. 43
Angor animi inordinatus vnde proficiscatur. 165
Angustias improuisę mortis euadere volēti, quid agēdũ. 114
Anima amans Dei quibus inflammetur. 263

Anima cur æternum permaneat. 312 3 4
Animæ amantis qualis, quantaque debeat in excipiendo Christo esse deuotio. 131. & seqq.
Animam periclitantem Minister sermonis suauitate lucratur. 620
Animæ beatæ nuptialia dona, quæ. 59
Animæ beatitudo in quo consistat. 290
Animæ contritæ lamentatio. 15. 16
Animæ Deum amanti quid foret optatissimum. 254
Animæ demortuorum vt Susoni apparuerint. 475
Animæ deuotæ cum Deo expostulatio. 42
Animæ & hinnuli fatigati collatio. 22
Animæ pænitentis consolatio. 18
Animæ puræ quanta claritas. 392
Animæ vera requies vbi sit. 59
Animæ vires quando æternam suam nobilitatem obtineant. 317. & seq.
Animæ vt se à Deo pro maiori parte auertant. 359. &c.
Animis meticulosis sententia consolatoria. 168
Animus vagus quî reuocandus. vt Deo perfrui quando valeat.
Apibus errabundis qui cur miles.
Appellatio Mariæ lamentabilis ad filium à cruce pendentem.
Arduum & excelsum ascendere esse difficile.
Ariditas in oratione quando deuotioni præstet.
Aristoteles qualis fuerit.
Aristoteles vt naturæ authorem explorarit.
Aristotelis iudicium de occupatione intelligētiæ nostræ ergo illud charissimum.
S. Athanasius Alexandrinus Episcopus quanta pertulerit.
Auaritia quæ vnde ducat originem.
Auaritia vt plerorumque hoc seculo ciuium & mercatorum animos occæcauerit. 381. & seq.
Aureola quid & quibus obtingat.

BAcchanalia vt Suso celebrauerit. 485. & deinceps.
Baculus quis, cuius memoria nobis refricare debeat.
Balneis quamdiu vsus nō fuerit Suso.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beati certissimè qui. 33
Beati qui Deo vniantur. 59
Beatitudinem hominis supremam in Dei cognitione consistere. 325
Beatitudinis æternæ præludiũ certissimum quod. 153
Beatitudinis gradus quis, & à quibus in hac vita comprehendatur. 280
Beatitudinem quomodo quis obtineat. 276
Beatitudo animæ in quo secundum doctores potissimũ consistat. 290
Beatitudo quæ, vbi consistat. 276
Beatitudo vera à quo obtineatur. 295
Beatus quis reuera dicatur. 51
Beatus reuera quis sit. 3. 320
Beatus verè quo pacto cum Deo copuletur. 279.
Beguinarum modernarum quale studium. 377
Beguinæ priscorum temporum quales fuerint. Ibid.
Beneficia quanta à Deo homini præstita. 149
Beneficia quæ quibus præstantiora. 13
Benignitas Dei quanta. 221. 356
Bernardi consilio quid incipiẽtibus agendum. 198
Bernardi de reprobis & electis iudicium. 223.
Bernardi etiamnum viui, honor quantus. 218
Bernardi laus. 72
Blasphemiæ spiritus, vt Susoni in visione pro altero deprecanti apparuerit. 611
Bona temporalia qui sine damno salutis retinenda. 416
Bona vt ex malis eligenda, non propter mala reijcienda. 269
Boni prælati officium, quod 247
Bonitatis Dei infinitæ vis quãta 333
Bonum afflictionis quantum. 68

Cælestibus nũ quis semper intendere possit. 121
Cæsti potu Susonem siti arescentem per virg. Matrem fuisse refectum. 509
Cæli Empyrei descriptio. 56
Cæli gaudia quæ 54
Cæli incolæ quid agant. 264
Cæli ornatus quantus. 326
Calumniæ quantæ de Susone dispersæ. 529 &c.
Caput crucifixi Christi radiãs quid designet 281
Cardinales vt sese olim summo Pontifice defuncto gerere solebant. 367
Carnes edendi desiderium quã dirè in Susone punitum 523
Casta vita quid mereatur. 580
Castitatem quæ tueantur. 578

Castitati quàm Suso studuerit. 504
Catholico homini qui moriẽdum. 242
Causæ vel occupationes foras trahentes non captandæ. 323
Etsi hominem requirant, quid agendum. ibi.
Certaminibus quibus initio conuersionis suæ Suso iactatus fuerit. 457
Charitas Christi qualiter in eius passione reluceat. 5
Charitatis diuinæ erga nos delineatio. 13
Charitatis fraternæ insignis in Susone affectus. 517. 538
Charorum omnium charissimum quid. 124
Christianorum omnium pernicioſissimi qui. 432
Christianorum verorum paucitas quanta 393
Christianus quisque, vt se resignare debeat. 195
Christi crucifixi dolor quantus. 96
Christi exemplari conformari quid sit. 220
Christi nuditas, quomodo tegatur. 81
Christo cũ hominibus quid cõmune, quid peculiare. 275
Christo passo vt nullus vnquam par retulerit. 13.123
Christum passum imitari quã Deo gratum. 11
Christus adhuc mortalis quando maxima Deum laude affecerit. 144
Christus ad quid venerit in mundum. 18
Christus caput omnium cruce laborantium. 561
Christus cur adhuc mortalis pleraque minus apertè fuerit locutus. 572
Christus qualis lux, qualeq; bonum in sacramento. 136
Christus qualiter in Eucharistia nobis excipiendus 131
Christus quam perfectè se resignarit. 194
Christus quam nobis præsens in Sacramento. 124
Christus quid conferat sui desiderio fruenti in Eucharistiæ perceptione. 134. &c.
Christus quid cuique sit in Sacramento 136
Quid nobis in Sacramento præstet. 129 134
Christus vnus in Eucharistia sufficientia nostra 130
Christus vt hodie à plerisque repellatur. 24
vti in cruce pependerit. 78
vt se resignarit. 186
Circulis tribus, vt se Suso incluserit. 577
Circulus aureus in Diuorum imaginum capitibus, quid designet 526
Cænobiticæ vitæ cultorem qui viuere

viuere deceat. 185
Cœnobiorum excidia quę. 247
Cogitatio est minimum medium inter Deum & animā. 322. & seq.
Cogitationes malæ vt non nocerant, vtque vincantur. 167. 172.
Cogitationi malæ si quis oblitus sui cum delectatione aliqua intendat aliquantulum, num mortaliter censendus sit deliquisse. 167
Cogitationum malorum occasione qui Deus laudandus. 151
Cogitationum malarum sub precibus incidentium vtilitas. 172
Cognitio cælestis gaudij ad quid amanti animæ conferatur in hac vita. 62
Cognitio matutina, & vespertina quæ dicatur. 290
Colloquium Ministri cum Deo, iamiam se moriturum existimantis. 557
Columnæ Ecclesię qui sint. 420
Communicare sacramentis in peccato mortali quantum facinus. 387
Communicatio Dei, & communicatio creaturarum quo differant. 324
Compati Christo quam frugiferum. 9
Compellatio sororis Susonis ad eundem plena doloris. 536
Complacentia sui quam exitiosa. 168 174 424
Concupiscibilis vis excedenda ad veram perfectionem aspiranti. 139
Conditio hominis plenè resignati quæ. 282
Conditio quorum periculosissima. 383
Confessario quomodo scrupulosi debāt ecquiescere. 170
Confessariorum conniuentia quam periculosa. 397
Confessariorum verorum raritas quanta. 371
Confessarios quales plerique eligant. 370
Confessio integra veraq; vitæ melioris est initium. 573
Confessio quæ præstātior. 303
Confessor deputatus & aptus vt se gerere debeat. 371
Conscientia amatorum mundi qualis. 163
Conscientiæ angor, eiusdemque remissio in diuersis, vnde. 302
Conscientiæ quæ qualiter affectæ. 17
Consideratio diuini amoris, quanto mentem hominis afficiat gaudio. 241
Consolatio hominis afflicti, etsi non plenè animo resignati. 226
Consolationem, si nō experiamur

mur in exercitijs spiritalibus quid agendum 221
Consolationibus diuinis quomodo vtendum. 251
Constantia animi inuicta qualis maximè necessaria. 163.
Consuetudo Susonis bibendi, quæ. 477
Consuetudo Susonis cubiculũ suum ingredientis & egredientis peculiaris. 590
Consuetudo vitæ perditę quam ægrè deseratur. 618
Consummata omnia quando fuerint. 320
Contemplatio diuinitatis simplicis immediata, quid. 338
Contemplatio spiritalis externa quando internam nō impediat. 295
Contemplatio vt deserenda propter proximos. 329
Contemplationis studioso à quibus cauendum. 315 & seq.
Contemptus quis, quanti sit apud Deum. 144
Contraria duo quatenus de eodem simul prædicentur 284.
Contritio necdum confessione &c. consummata, qualis 395
Contritio vera quæ sit & quo modo obtineatur. 168
Contubernalis Susonis post mortem apparens, eundem amice complectitur veniam petens contumeliæ irrogatæ. 610
Conuersatio Christi quid nobis sit. 22
Conuersatio hominis resignati externa. 304
Conuersio ad Deum integra quid valeat. 251
Conuersionem peccatoris Dei opus esse. 238
Conuersio resignata, quam accepta Deo. 324
Conuitiatorem quẽdam suum vt humilitate Suso vicerit. 554
Contritio vera quæ sit. 168
Cor Deo vacuum, & ab eo auersum, cuiusmodi 26
Corona aurea in quo consistat. 59
Corpus vt animam non impediat. 295
Corruptio humanæ naturæ vnde. 318
Creata omnia laude & honore prosequi creatorem 326
Creatura nulla vndiquaque perfecta. 38
Corporea præsentia quid quibus faceſſat negotij. 203
Creaturas in Deo cognoscere: itẽ easdem cognosci in seipsis, quid sint. 291 & seq.
Creaturæ essentiam, quatenus est in Deo, non esse creaturam. 274
Creaturæ omnes ad suam originem respectare. 275
Creaturæ quando compellant homi-

hominem in Deum. 318
Creaturę Deum laudabilem testantur. 141
Creaturæ vt Deum prædicent. 326 & seq.
Creaturæ vt fuerint in Deo ex omni ęternitate. 273
Creaturæ vt nos in Deum remittant. 2
Creaturis inniti quam sit nihil. ibid.
Creaturis vt renunciandum. 203
sub cruce Christi quatenus quis consistere, eique compati debeat. 81
Cruce grauatus quid debeat spectare. 520
Cruce leuari neminem velle debere, donec à Deo absoluatur. 356
Crucem Iesu fugientibus quid merito accidat. 28
Crucem Iesu circumferre quid ferat commodi. 73
Crucem quî Suso tulerit cum Christo. 489 & seq.
Crucem sine dolore non dici. 66
Crucem tolerare cum amore, quanti sit meriti. Ibid.
Cruce nolle leuari inuito Deo, quam sit illi acceptum. 64
Cruces aliæ nouæq; Susoni prædicuntur. 629
Cruces Deus in suorum probationem habet varias. 583
Cruces qualescunque tanquam à Deo in rem nostram nobis immitti. 605
Cruces quænam vtiliores. 66
Cruces Susonis variæ. 498 529
Cruces tres inter cæteras præcipuæ Susoni denunciatæ. 517
Cruces vt sitiant amici Dei. 452
Cruce vna cessante, aliam esse expectandam. 520
Crucifixi Christi descriptio. 10. 14. 78.
Crucifixo Christo vt configuremur. 21. 80
Crucis iter à Susone obseruatum, quod. 490. &c.
Crucis nemo expers. 217
Crucis sanctæ venerandæ exercitium. 489
Crux cur amplectenda. 68
Crux cui dolorem afferat, & cui non. 66
Crux nostra vt Christi cruci cōformetur. 99
Crux perfectorum præcipua quæ. 434
Crux præstantissima quæ. 615
Crux quæ cui iucunda. 70
Crux quæ molestissima Susoni suæ conuersionis initio. 459
Crux sua cuique feranda. 582
Cura Prælati potior quæ esse debeat. 246
Crux quomodo ferenda, quam quo sit vtilis. 64

DEi essentia quatenus dicatur exemplar. 274

Dei præsentia quo cognoscatur indicio. 44
Delectationem quærere, etiam in rebus diuinis, quam impediat. 416
Delectationem, quam qualiter in se Suso expiauerit. 499. &c.
Delectatio quomodo capienda. 316
Delicati quidam qualiter sibi cruces effingant. 614
Deliciæ Domini vbi. 162
Deliciæ veræ quali molestia obtinendæ. 6
Dementia mortalium miserãda. 27
Deo inter omnia quid acceptissimum. 11
Deo & naturæ simul obsequi, difficillimum. 394. 399
Deo non homini fortiter innitendum in aduersis. 231
Deo quatenus confitendũ. 221
Deo quid maximè placeat. 43
Derelicti à Deo maximè, qui. 63
Derelictus vt se gerer. 98
Derogare alienæ vitæ in monasterijs quam pernicioſum. 573
Desideria pia quantæ efficaciæ. 202
Desideria quæ vt superanda. 194
Desiderium animæ Dei amore flagrantis quantum. 254
Desideriũ cuiusque suum quo intendendum. 202
Desideriũ Matris Susonis erga Deum, quantum. 626
Desolatio in exercitijs pietatis quomodo, & quamdiu ferenda 221
Desperantium voces. 168
Desperatione consequendæ salutis, quantum Suso laborauerit 514
Desperatione cur, & quo fructu quidam pulsentur. 174
Desperationis quendam è præcipitio minister eripit. 611
Desperationis, tentationem, vnde Suso contraxerit, quãdiu eum afflixerit, & qui tandem eam superarit. 524 &c.
Desperationis vexatio quid afferat emolumenti. 174
Desperatio vnde nascatur. 165
Detractio quantum malum. 579
Detractores quam inuisi Deo. 573
Deuotio cuius sit solidior. 320
Deum ab homine non vt vltra vires agat, sed vt peccata euitet, exigere. 371
Deum in omnibus inesse. 276
Deum non nobis, sed nos Deo deesse. 28
Deum perquam amabilem & suauem esse. 250
Deũ quid maximè deceat. 434

Deum

Deum quid minimè deceat. 434
Deum quomodo quis perpetuò laudet. 148
Deus bonum supereſſentiale. 567
Deus circulus, & qualis. 333. 347
Deus cuinam terribilis. 337
Deus cur hominem præter demeritum eius ſubinde variis tentationibus exerceat. 613
Deus cur non idem omnibus appareat. 41
Deus eſt ſcopus rerum omnium creatarum. 255
Deus & Deitas quomodo ſint vnum, & quomodo differant. 273
Deus & diabolus diuerſo modo ſunt in homine imperfecto. 320
Deus omnium & ſingulorum conſeruator & prouiſor. 327
Deus qualem nobis appetat præbere delectationem. 316
Deus qualis ſit ſubſtantia. 325
Deus qualiter in anima munda commoretur. 64
Deus quam incomprehenſibilis. 428. &c.
Deus quam paratus ſit opem ferre. 403
Deus quam ſit amabilis. 31. 37. 42. 124
Deus quatenus dicatur, & quomodo ſit nihil. 268. 298
Deus quibus ab inordinatè contritis grauius offendatur. 168
Deus quid. 165. 325
Deus quid ab anima munda expetat. 263
Deus quid ſit, perfectè ſciri aut dici non poſſe. 324
Deus quid ſummè ab homine ſpirituali requirat. 218
Deus qui perpetuo laudetur. 148
Deus quomodo & prope & lõge reperiatur. 256
Deus quonam ſine intermiſſione offendatur. 390
Deus quo pacto dignius à nobis laudari poſſit. 143
Deus quo perfectius agnoſcitur, eo feruentius amatur. 38
Deus ſolus verum gaudium deſolatis. 221. &c.
Deus vbi ſit. 320
Deus vnde maximè laudandus. 237
Deus vt ſit trinus. 313
Diem hodiernum craſtino præſtare. 244
Dies natalitius Suſonis. 502
Dilecti abſentiam potius, quam præſentiam ſentiri. 46
Dilectio Dei erga nos an comprehenſibilis. 123
Dionyſij Areopag. ad SS. Trinitatem aſpiratio. 346

Diſci-

Discipuli Aeternæ sapientiæ vt se eius debeant obsequio mācipare. 653
quibus potissimum anni diebus peculiari modo eidem vacabunt. 654. & sequentib.
vt amorem priuatum debeāt abijcere. 652
vt se gerent in mensa. 653
Discretionis quantus vbique sit vsus. 256
Discretio vt seruanda. 583
Discrimen inter afflictiones nostras & Christi. 562
Distinctio inter hominem inchoantem, progredientem, & perfectum. 590
Diuina lux quid conferat in anima hominis desolati. 45
Diuitias cur plerisque Deus tribuat, licet easdem cum periculo suæ salutis obtineant. 382
Diuitiæ qua ratione imitationem Christi non impediant. 311
Diuitiæ quousque comparandæ. 382
Docere alios quis non debeat. 228
Dæmones quam cupiant conuersos euertere. 228
Dæmones quantas Susoni intulerint afflictiones. 552. &c.
Dæmones quibus qualiter insidientur in articulo mortis. 387
Dæmones vnde exstiterint. 275
Dæmones vt tentent moribundos. 390
Dæmones erga proficientes maligna suggestio. 402
Dæmonis fallacissimæ tentationes. 417
Dæmonis quanta calliditas in homine seducendo. 218
Dæmonis suggestioni mos minimè gerendus. 216
Dæmonum in homines potestas, seu vires, vnde. 390
Dæmonum in venandis animabus sedulitas. 393
Dolor animi quantus Susonem ex periunte sorore cœpit. 533. &c.
Dolor Iesu crucifixi quantus.
Dolor quis exiguus Susoni, quisue maximus censeatur. 387
Dolorem animi in rebus aduersis sentire, quid sit. 566
Dolores Christi & Mariæ. 9
Dolores Christi interni. 96
Dolorine an voluptati fuerit Mariæ Christum exanimem tractare. 121
Dominis diuersis simul obsequi difficile. 24
Dominus Iesus vti, & vbi recipi velit. 163
Dormiturus Suso qualiter cubuerit. 509
Duces, Comites, Baronesque quam olim pro Dei honore flo-

ſtrenui. 379

Ecclesiæ decreta qui scire teneantur. 363
Ecclesiasticæ ruinæ causa 434
Ecclesiæ vitia per omnes status describuntur. 366. & deinceps.
Eckardi gloria quanta. 475
Eckardus vt Susonem à desperationis tentatione liberauerit. 525
Eiulatio subito morientis. 108
Electionis signum certissimum quod. 3
Electorum ac reproborum distinctio ex sententia S. Bernardi. 223
Electorum in cælis gloria. 60
Elizabeth Staglin virginis laus. 568
Emanationis diuinæ prima origo, quæ. 272
Emigratio ex hac vita quid sit. 114
Ens purissimum causa omnium creatorum. 333
Episcopi antiqui quales fuerint 369
Esse idem quod Deus est, quid sit. 59
Essentia creaturæ quæ vtilior. 274
Essentia Dei quid. 325. 331
Essentia Dei quomodo considerandа. 331
Essentia illa simplex, quo pacto moueat omnia, immota tamen in sese permanens. 255
Essentialis homo quis sit. 329
Essentiam Dei anonymam esse. 271
Essentiam diuinam particulares omnes essentias conseruare. 331
Essentia personarum in Trinitate naturalis, quæ. 342
Essentia vnaquæque quanto in seipsa simplicior, tanto multiplicior efficacia operationis. 333
Esse quippiam vt omnes velint 179
Esse volenti, quid agendum. 208
Eucharistia cur merito signum dicatur amoris. 129
Eucharistia frequenter an raro sumenda. 137
Eucharistiæ diuersa in diuersis operatio. 136
Eucharistiæ frequens perceptio digna quam vtilis. 138
Eucharistiæ ritè perceptæ, quãta vtilitas. 134
Eucharistiam quam perniciosè quidam accipiant. 387
Eucharistiam sumpturus, quî se geret- 131
Eucharistia quando operetur. 138
Excessus spiritûs supremus. 340
Excutiatio calua hominum tepidorum. 370

Excm-

Exempla mala quid pariant. 397
Exemplar quid. 274
Exercitatio corporalis quæ quid conferat. 256
Exercitationes Susonis, præter vsitatas, tres molestissimæ. 506
Exercitatio quæ, cui vtilissima. 582
Exercitatio vtilissima ad ipsissimam, summamque perfectionem. 475
Exercitia inferiora, seu corporis castigationes qualescunque, quo referenda. 120
quatenus ijsdem vtendum. ibid.
Exercitia non eadem omnibus sectanda. 582
Exercitia quædam Susonis ad modum pia. 586
Exercitia rigida à mollibus delicatisque hominibus sperni non debere. 582
Exercitiorum omnium corona quæ. 264
Exercitiorum omnium scopus. 121
Exercitium omnium vtilissimũ quod. 476
Exhortatio Susonis in Prioratu prima ad diuinum implorandum auxilium irridetur. 629
Exhortatio valida ad afflictiones æquo animo perferedas. 260
Exilium quod quibus miserrimum. 1[illegible]
Exulis & vrbis ruinosæ visio quæ. 23

FAllacia mundi quãta. 2[illegible]
Fallaciæ dæmonis quam occultæ. 40[illegible]
Famæ aliorum vt Suso consuluerit. 5[illegible]
Familiaritas quæ summa diligentia euitanda. 2[illegible]
Felix quis. 241. 2[illegible]
Flagellandi modus Susonis quis. 49[illegible]
Flagellum Susonis terribile. 50[illegible]
Flagrantia diuini amoris, quid in amantis efficiat animo. 254
Flores qualiter adhuc puer Suso collegerit, facturus sertum virgini Matri. 58[illegible]
Fidei Catholicæ encomium. 24[illegible]
Fidelitati atque doloribus intemeratę virginis, quo pacto nos conformemus. 8[illegible]
Fidendum vt sit Deo. 2[illegible]
Fides quæ purior & præstantior. 1[illegible]
Fide vbi potissimum opus, non inquisitione. 125
Filij Dei charissimi qui. 45[illegible]
Fœmina lasciua in habitu, quorum alienorũ peccatorũ existat obnoxia: & quare. 386

Fœmi-

Fœminæ quæ ſpeluncæ latronum. 385
Fœmineæ, & pluſquam ferinæ crudelitati vt Suſo reſtiterit. 599
Fœmineo ſexui cur in Maria præcipuè gaudendum. 86
Fœminis placere velle quot cõſequuntur incommoda. 262
Fons & origo bonorũ omniũ, quæ. 578
Formà qualem cõſtituat eſſentiam. 274
Fratrem vt ſe Chriſto quiſpiã exhibeat. 81
Fundamentum noſtræ ſalutis quod. 209
Fundamentum totius perfectionis in quo conſiſtat. 453

GAudendum quantoperè in conuerſione peccatoris. 234. &c.
Gaudere cur oporteat in aduerſis. 581
Gaudia quæ reddantur pro aduerſitatibus Dei amore fortiter ſuperatis. 564
Gaudij mundani vanitas. 50
Gaudij veri cognitionem, omnem afflictionum Dei amore toleratarum recordationem è piorum ſenſu penitus afferre. 565
Gaudium amicorũ Dei in cælo quantum. 425
Gaudium animi & de DEO exultatio, vnde ducant originem. 166
Gaudium minimum in Deo omnem mundi lætitiam excedere. 429
Gaudium mundanum quid cõſequatur. 50
Genera hominum duo, à vera Chriſti vita aberrantium. 283
Generatio æterna, & regeneratio quæ fit in homine ſupernaturali modo, quid differant. 293
Generatio noſtra ſpiritalis cur potius regeneratio dicatur. 300
Generatio ſpiritalis in homine, poſt perfectam ſuî in Deo reſurrectionem, quid habeat cum corpore cõmercij. 292. &c.
Genitrix Suſonis vt paſſiones ſuas ſuperarit. 626
Genus hominum, pietatis ſpeciem præferentium, duplex. 306
Gloria beatorum incomparabilis. 54
Gradus beatitudinis ſupremus cur in hac vita nequeat obtineri. 280
Gratia debita qui diuinæ ſapiẽtiæ reddatur. 98
Gratia Dei vt ablata ingratis, detur alijs. 376
Gratiæ diuinæ qui, cur hoc tem-

tempore minimè capaces. 437
Gratiæ diuinæ thesauri qua ratione acquirantur. 224
Gratia subtracta & arridens qualem efficiat hominem. 44.45
Gregor. Magnus qualem iudicet Prælatum esse debere. 248

Haeresecos à suis Suso defertur. 531
Hæretici vt fugiẽdi. 436
Henrici Harphij explanatio in nouem Rupes. 440. & deinc.
Hirundine vna ver non fieri, quid mystice significet. 211
Hominem in Deum absorptũ aliam formam, gloriam, facultatem induere quid sit. 279 &c.
Hominem perfectissimè resignatum à seipso deficere, & in diuinam transferri naturam 280
Hominem quid impediat ab æterna sua salute. 277
Homines qui, cur intus tãquam angeli reluceant. 420
Homines qui dæmone ipso studiosius euitandi. 424
Homines qui, quo in discrimine versentur. 394
Homines vniuersos laborare, vt sint aliquid. 178
Homini ad perfectionem tendenti frequenti abnegatione opus esse. 211
Homini ad potiora proueherendo quid sit necessarium. 291
Hominis æternam salutẽ quid impediat. 277
Hominis desolati paradigma. 221
Hominis iamiam morituri angustiæ quæ. 215
Hominis perditio ex se. 65
Homines pestilentissimi, qui. 424.425
Homo rationis compos quænam nosse, seruareque debeat. 363
Hominum trina distinctio. 203
Homo externus vt interno vniendus. 323
Homo culpis obnoxius qualiter suas cum Dei auxilio cruces vincere debeat. 616
Homo ferox 18. annis non confessus, à Suſone piè circumuentus, conuersus est. 559
Homo qua ratione, permanens id quod est, cum Deo vnum efficiatur. 289
Homo quomodo ad supremam veritatem euehatur. 268
Homo quo pacto à seipso deficiat. 280
quomodo prouocetur ad veram resignationem. 270
Homo vere ac intimè Deo vnitus num peccare possit. 291
Homo vere conuersus vt se erga Deum

Deum gerere debeat. 239
Homo voluntate propria nudatus Deo paceque perpetuò fruitur. 567
Honorem Deo qui auferant. 166
Horror Susonis metu mortis incurrendæ. 545
Hostes Susonis vt condignas suæ temeritatis pœnas dederint. 609
Humana amicitia quam instabilis ac infirma. 602
Humanæ cõditionis in hac vita instabilitas. 243. &c.
Humanitas Christi via ad diuinitatem. 7
Humiliare vt nos debeamus. 219
Humilitate Deum facilè superari. 427
Humilitati finem non esse. 209

IEsum mortuum vt spiritaliter intueri, complecti ac imitari debeamus. 202. &c.
Iesu nomen honorantes, quid inde gratiæ consequantur. 637
Iesu nomen honorantium benedictio. 267
Iesu nomen in Ministri pectore exsculptum, à duobus tantũ hominibus veneratione maxima visum. 627
Iesu nomen turris inexpugnabilis. 262
Iesu nomen vt imprimendum animo. 262. &c.
Iesu nomen vt reuerendum. 266
Iesu nominis encomium. 262. 263
Iesu redemptori nos omnia debere. 98
Iesus num matri suæ quid deneget. 89
Iesus quanta, qualiaue pro nobis sit passus. 5
Iesus quo pacto in Eucharistia venerandus. 134
S. Ignatius qualiter nomen Iesu defunctus cordi suo habuerit inscriptum. 264
Ignorantiam non excusare. 363
Illuminationem animæ purgationi succedere. 258
Imaginem Christi dupliciter accipi. 199
Imaginem Christi semper menti proponendam. 208. 259.
Imaginem Dei plerosque in seipsis deturpare. 348
Imagines quæ, vt transcendendæ. 295
Imagines quoad ferendæ. 316
Imaginum omnium quæ vtilissima. 258
Imitatio vitæ Iesu Christi ostiũ ad diuinitatem. 490
Impatiẽtia scrupulosorum hominum erga Deum, vnde nascatur. 171

Impedimentum iusti quod. 308
Imperfecti vt se erga res sublimes gerant. 296
Improborũ maledicentia, laus est bonorũ. 247
Incarnationis & passiõis Christi modus quam fuerit conueniens. 8
Inchoans vitam meliorẽ, quibus ad perfectionem dirigatur. 571
Incipientes & partim progredientes quid remoretur à perfectione. 401. 402
Incipienti bonam vitam, quid agendum. 203. 222. 223. 230
Incipienti vitam abstractam, quid consultissimum. 521
Inconstantia quæ, vnde proficiscatur. 411
Infanti sibi ascripto Suso bene precatur. 602
Inferorum cruciatus. 52
Iniuriantibus qualiter occurrendum 553
Inordinationem vnam ex alia proficisci. 317
Insipientes reuera, qui. 108. 313
Insipientiæ humanæ deploratio. 27
Institutiones optimæ. 210
Intellectualis vis transcendenda ad veram perfectionem tendenti. 193
Intellectui soli vacãtes, qui. 320
Intellectu magno præditis, quid agendum. 193
Intellectus humani quanta imbecillitas. 332
Intellectus simplicis & acuti differentia. 193
Intelligentia hominis resignati quo tendat, & vbi desinat. 283
Intendere cui quisque primum debeat. 221
Intentio bona num semper sufficiat. 258. 330
Ioannes Chrysostomus virginis matris lacte potatus. 580
Ioannis Baptistæ encomium. 178
Ioannes Fucrerius vt Susoni hac vita defunctus suam aperuerit felicitatem. 475
Iracundum DEO displicere. 579
Ira Dei quam extimescenda. 99. &c.
Iræ diuinæ & tempestatis collatio. 40
Irresignatio sui vt puniatur in Purgatorio. 408
Iter ad originem qui apprehenderint. 409
Iter passionis Christi, quale. 72
Iter tutissimum quod. 188
Iubilum quid sit. 327
Iudæos quid perdiderit. 390
Iudas Iscariotes qualem egerit pœnitentiam. 168

Iudicia improborum nihili facienda. 608
Iusto impedimenta vitanda & quatenus. 308
Iustus cur nulli legi astringatur. 302
Iustus, quatenus iustus, humilitate alios antecellit. Ibidem.
Iustus quis dicendus. 308
Iuuentus male educata Religionis exterminium 246

LAbore quali, quandoque simus per Christum reparati. 97
Lamentatio pia animæ deuotæ. 15. 16
Lapsus qui cur salutares. 209
Laqueos dæmonum quinam euadant. 395
Lasciuia fœminarum in vestitu quam viris pernicioſa. 386
Latronis cuiusdam in manus Suso incidit. 544
Latro confitetur eidem peccata sua. 546
Rogat eundem, à Deo precibus sibi salutem impetret. 547
Laudandi Deum formulæ efficaciſſimæ. 140
Laudandi Deum ratio præcipua, quæ. 149
Laudare Deum, quantæ efficaciæ. 153
à Laude Dei qui quando deficiant. 144
Laudis diuinæ materia, vnde petenda. 149
Laus bonorum est, maledicentia improborum. 247
Laus Dei continua quæ. 148
Laus Dei potior quæ. Eadē qua acceptior. 143
Laus Dei vt ex cunctis occurrentibus elicienda. 151
Laus quænam digna, grataque sit Deo. 144
Laus Dei quæ, quam sit vtilis. 153
Laus vocalis num grata DEO. 147
Libertas ociosa, siue falsa, quæ 297
Libertate vera quis potiatur. 298
Liberrate falsa præditi vt se habeant. 297
Libertatis falsæ scopus vbi deliteſcat. 269
Lignis putridis qui cur similes. 307
Literulæ frequentes, munuscula, ac amici presentiam optare, quam noceant tyroni spirituali. 232
Longanimitas Ministri maxima. 602
Loquēdi facultatē quomodo & à quibus Suso petierit. 495
Luciferianorum fedes quę quibus obuenturæ. 56

Lucifer ob quid cum socijs è cœlo proiectus. 424
Lucifer quale monstrum. 398
Eius fortitudo quanta. ibidem.
Luciferum ab esse quod appetiuit in vilius nihilo deturbatum. 179
Ludus DEI in anima, quis. 251
Lux diuina cur ex Sacramenti perceptione non sentiatur. 136
Lux rationalis quorum foras erumpat. 307
Lux veritatis quid in animo purgato efficiat. 258

MAgnanimitatis in tentationum frequentium importunitate exemplum. 222
Maij primum diem vt Suso exceperit. 488. &c.
Maiora se quærere, num cuique liceat. 106
Mala sub boni specie frequēter latere. 269
Malo alieno sapiendum. 119
Malorum omnium causa quæ. 179. 180
Manus nostræ vt mysticè cruci affigendæ. 21
Maria Christo sepulto vt se habuerit. 104
Mariæ beatitudo quanta. 57
Mariæ Deiparæ encomia. 83
Mariæ dolor ex Christi filij sui crucifixione, quantus. 92. &c.
Mariæ erga nos misericordia. 57. 83
Mariæ gratissimum officium, quod. 105
Mariæ Magdalenæ laus. 180
Mariæ matris afflictio crucifixi Christi doloris augmentum. 79
Mariæ nomen meritò venerandum. 86. &c.
Mariæ patiente Christo, dolor quantus: & vt eodem tempore se gesserit. 90. &c.
Mariæ planctus qualis. 92. 101
Mariæ quanta auctoritas. 105
Mariæ sub cruce compassio. 79. 90
Maria, Iesu iamiam mortuo, vt se gesserit. 100
Maria Magdalenæ Pharisæi domū ingressa, tria in suo præstitit exercitio.
Maria mediatrix. 84. 85
Mariam virginem DEI matrem in fœminis omnibus Suso venerari consuetus. 508
Mariam virginem in spiritus paupertate imitari volenti, quæ obseruanda. 233

Mariam virg matrem qualiter Suso, de ipsa concionari detrectans, offenderit. 589
Maria paradisus voluptatis. 83. 86
Maria peccatorum refugium vnicum. 84
Maria peccatoribus quid fuerit. 86
Maria quam fuerit in Christo delectata. 91
Maria virgo eadem in anima quæ Christus in corpore, pertulit. 79
Maria vt Susonem potauerit. 509
Mater Susonis 30. annis nunquam absque lachrymis amarissimis sacro missæ interfuit. 626
Mater Susonis qualiter, & quo tempore diem clauserit. Ibidem.
Matrem æternæ Sapientiæ qui potissimum venerari debeant, & quomodo. 657
Matrimonij sacramento quam hodie plerique abutantur. 388
Matrimonium quo diuinitus consilio institutum. ibid.
Matronæ quædam vt scortis sint peiores. 385
Mechanici artifices, quales priscis temporibus. 383
Meditandi modus non inutilis. 157
Meditatio Dominicæ passionis quantum conducat. 164
Meditationem, orationem, ac exercitiorum spiritalium vtilitas. 220
Medium maximũ, & medium minimum inter Deum & animam, quæ. 322
Mendicus miserrimus, quis. 112
Mentis ariditate tabescentibus, quomodo sua ferenda. 98
Merita quando comparanda. 112
Merita quis frustra colligat. Ibidem.
Methodus ad perfectionẽ certissima, quæ. 120
Miles delicatus & mollis, quis. 222
Miles quidam Ministrũ è submersione eripit. 547. &c.
Militem Christi qualem esse deceat. 260
Militi Christi strenuo quanta perferenda. 516
Militis strenui & honesti ad seruum tyronem exhortatio qualis. 230
Militum Christi gloria, & annulus perennis. 631.
Minæ variæ à diabolo Susoni intentæ. 592
Minister Sapientiæ quanto studio animabus lucrandis inuigilauerit. 234
Minister Sapientiæ quis in hoc

ubique libro vocetur. 227 254
Minister Sapientiæ vt filiabus suis spiritalibus benedixerit, 267
Minister Sapientiæ vt Iesum sibi viderit astantem. 159
Misericordia Dei quam immẽsa. 19
Eadem quibus quàm sit obuia. ibi,
Miserum quid consoletur. 591
Missæ officium de æterna Sapientia. 672
Modus obtinendę beatitudinis quot. 280
Modus quo beatitudo comparatur quomodo vocetur: & quare ita vocetur. 284
Mœroris pij, pia consolatio. 18
Molestiæ vllæ an fortuitæ. 3
Monachus quis non habendus. 579
Monastica disciplina quibus sit erumna. 216
Monastici instituti professor quam debeat esse resignatus. 205
Mœrores mali vnde causentur. 318
Mores nostri quomodo componendi. 579
Mori cum Christo, quomodo quis dicatur. 80
Moriendum hilariter. 242
Morientem considerare hominem, quam vtile. 117
Morientis angustiæ improuisę. 114
Mori quibus iucũdum, quibusue molestum. 243
Mori quomodo, aut quando discendum. 107. 117. 118
Morituri improuisè descriptio & eiulatio. 108. &c
Morituris securè qualiter viuendum. 112
Morituro quid faciendum. 118
Morituris quid agere debeat, si se negligenter vixisse nôrit. 242. &c.
Morituris vnde gaudere debeat. 242
Mors corporis cur noua natiuitas dicatur, 243
Mors improuisa cur plurimos auferat. 114
Mors spiritus in quo consistat. 345
ad mortem bene paratum qui comitentur. 114
Mortem cur multi metuant. 242
Mortem metuit Suso. 631
Mortem quæ faciant securissimam. 112
Mortis Christi similitudo quomodo in eius amatore perficiatur. 81
Mortis subitaneæ calamitates quî caueantur. 114
Mulieres quæ dæmonibus charissimæ, & quare. 385

Mulieribus plurimis peccatorū pondere preſſis Suſo, ne ſuccumberent, occurrit. 594
Mulieris ſpecies quam multos fallat. 261
Mulier peccatrix quô fuerit Chriſto reconciliata. 180
Mulierum vanitati deditarum. quis exitus, 380
Multiplicitas in Deo, quid ſit. 272
Mundanorum vanitas & vafricies quanta. 240
Mundi amatores inferorum pœnas multo ſibi dolore, laboreq; mercari. 614
Mundi amatores, qua in re præſtent electis Dei. 185
Mundi amor vt exuendus. 219
Mundi fallacia quanta. 26. 50
Mundi honor & gloria quanto labore comparetur. 613
Mundi quātæ miſeriæ. 244 &c.
Mundi vanitates refelluntur. 261
Mundo dediti quàm miſeri. 26
Mundo immiſceri conuerſatione, quam periculoſum. 580
Mundo pariter & Deo ſeruire impoſſibile. 458
Mundo quid plauſibile & acceptum. 261
Mundum ni deſeratur, deſerere. 215. & ſeq.
Mundus in quibus penitus extinctus. 421
Mundus quid ſuis conferat ſectatoribus præmij. 17
Mundus vt ſui amatoribus illudat. 215

NAtiuitas hominis quatenus mors eſſe comprobetur. 243
Natura antequam vincatur, quę perferenda. 7
Natura cui ſubiecta. 318
Naturæ diuinæ vera deſcriptio 262. 274
Naturæ propenſiones ſupprimendæ. 317
Naturæ ſi nimium inordinatè ſubtrahatur, quid tādem cōſequatur. 583
Natura & eſſentia diuinitatis omnium emanationum eſt origo. 272
Natura humana cur hodie adeò corrupta. 388
Naturales res vt à diuerſis diuerſe capiantur. 288
Naturalis vita in quibus ſe prodat. 323
Naturam à gratia vix humana ſcientia diſcerni. 150
Naturam multa facere intellectui noſtro incomprehenſibilia. 125
Naturam non perſonam, humanam Chriſtum ſuſcepiſſe, quomodo ſit intelligendum. 275
Naturam ſine gratia nihil mereri. 292

Natura quomodo mutetur in gratiam. 150
Nauſea rerum caducarum vnde potiſſimum promanet. 258
Negligentia quãta finis ſuî quique laborent. 113
Negociatorum priſcorum quãta æquitas atque ſinceritas. 381 &c.
Nihil eſſe velle, quid adferat vtilitatis. 180 &c.
Nobilium olim equitum exercitatio qualis, &c. Eorumque vitæ conuerſatio quæ, &c. 380
Nomen cuiuſque rei nominatę quale debeat eſſe. 271
Nomen Dei primum. 331
Non ſum, vt nemo fateri velit. 178
Notitia ſuî, quam ſit rara. 185
Nuditas Chriſti quo pacto ornetur & tegatur à nobis. 81

OBedientia filij Dei quatenus conſummata. 249
Obiectũ hominis probè reſignati quod. 321
Oblectamenta mundi cur fugienda 261
Occupati extrinſecus vt ſe recolligent. 190 &c.
Ocioſorum dictorum, factorũque diſtricta aliquando ratio exigenda. 30
Ocium iniquiſſimum, quod, 321
Oculi acutiores qui. 130
Oculi cuiuſdam pictoris à Suſone curati. 522
Oculos quam ſtrictè Suſo ſeruauerit. 521
Odium infeſtum hominis cuiuſdam perditi in Miniſtrũ Sapientiæ. 631
Odij & inuidentiæ igne omnes propemodum exardeſcere. 390
Officia externa vt adminiſtranda. 245
Officio ſuo quomodo quis ſatisfaciat. 246
Omnia eſſe vnum in Deo. 284
Omnibus ęquè placere, impoſſibile. 247
Onus cuique ſuum difficillimũ. 65
Operari reſignati hominis, quid ſit. 303
Opera ſua vt cuiq; agenda. 206
Opes magnas cur quibuſdam præſtet Deus. 382
Opus non niſi vnum, quis agat. 292. &c.
Opus nullum niſi per gratiam vlli prodeſſe. 292
Orandi ſtudium tentatis nunquam poſtponendum. 172
Oratio cuius vtiliſſima. 303
Oratio dicenda communicaturo. 152
Oratio hominis reſignati, qualis. 303

Oratio iugis, scopus omnium exercitiorum. 264
Oratio Susonis pro sibi commissis. 558
Ordinatum & inordinatum, quid. 298
Origini suæ quo quis proximè coniungatur. 417
Originis vitio vt animæ inficiantur 364
Origo rerum omnium Deus. 258

PAcem cordis quis circũferat venalem. 223
Pacem veram quid præstet. 180
Pannus lacer atque vilissimus in quem à Susone finem cõseruatus. 519
Paradisus duplex, quis. 86
Parapherna quid. 59
Parati, parum præparati, ac imparati ad Eucharistiæ perceptionem, qui dicantur. 136
Parentes Susonis, quales. 626
Parentes Susonis vt eidem post mortem apparuerint. 476
Parentes vt suas proles educare debeant. 397
Passio Christi Liber vitæ. 74
Passio Christi ostium ad diuinitatem. 7
Passio Christi quam fida. 12
Passio Christi vt commemorãda. 75
Passione Christi vt pro nostris peccatis satisfaciamus. 77
Passioni Christi qui conformemur. 12
Passionis Christi commemoratio. Eademq; quam vtilis. 72. 73. 76 &c.
Passionis Dominicæ fructus, qui nobis applicetur. 77
Passionis Dominicæ Meditatio quam efficax. 164
Pater cœlestis qualiter filium sibi generet. 336
Patientiæ laus. 69 70
Patrem in diuinitate principium esse & Filij, & spiritus sancti. 335. 341. &c.
Patri cælesti quo pacto quis charior, Christoque similior effici queat. 98
Paulus Apostolus vt nomen Iesu suo cordi impresserit. 264
Pauper spiritu quis. 212
Paupertas spiritus vt possit etiam inter opes seruari. 211
Paupertati quantam operam Suso nauauerit. 504
Pax quæ, propriæ voluntatis amatoribus. 567
Pace & gaudio in spiritu sancto quis perfruatur. 490
Peccata cum ætate plerumque augeri. 244.
Peccata etiam minima, & errata

rata quam acerrimo Purgatorij igne expurgentur. 394
Peccata nostra Mariam Matrē Dei effecêre. 84. &c.
Peccata quæ tantum distincte & expresse confitenda. 170
Peccati alieni horrendum exemplum. 396
Peccatis inuolui, in ijsque progredi, quam calamitosum. 396
Peccato quanta pœna debeatur. 76
Peccatores conuersi quomodo se gerere debeant. 239
Peccatores qui, quibus iustis apud Deum præstent. 166
Peccatricis cuiusdam mira obstinatio. 618
Peccatorum alienorum qui rei sint. 386
Peccatorum gurgiti immersi quam difficile reducantur. 618
Peccatum & iniquitas vnde sint 275
Peccatum ex voluntate solum pendere. 168
Peccatum nullum, vel minimū etiam, inultum remanere. 75
Quanto supplicio expietur. 403
Peccatum verum quod sit. 167
Pedes vti sint crucifigendi. 21
Pelicani natura quæ. 572
Pelles Salomonis quid significent. 226
Peregrinorum & exulum more viuendum. 24
Percontationes hominum vanæ quam diuersæ. 176. &c.
Perfecti ac resignati verè, quid appetant. 420. 433
Perfecti cur sint pauci. 120. 418
Perfectio & sanctitas vera in quo consistant. 378
ad Perfectionem magnam aspiranti, quæ superāda. 189. &c.
Item quid agendum. 121
ad eandem methodus certissima, quæ. 120
Perfectionem summā cur pauci comprehendant. 120
Perfectioni qui absint longissimè. 194
Perfectionis amatori nūquam quiescendum, donec obtinet intentum. 324
Perfectionis apicem non vno impetu obtineri. 222
Perfectionis nacti apicem: quales sint. 178
Perfectioni studendum, etiam si non obtineatur in hac vita. 202
Perfectionis antiquæ semita, quæ. 553
Perfectionis iter aggredienti, quid agendum. 203
Perfectionis summa in quo sita sit. 204. 206
Perfectionis summæ indicium. 194

Perfectionis totius scopus, quis 581
Perfectio quinam potissimum comprehendatur. 207. &c.
Perfectio summa, quæ. 263
Perfectio vera in quo consistat & vnde oriatur. 258
Perfecti quam chari Deo. 425
Perfectissimi cur ad ima quandoq; ruant præcipites. 424
Perfecti veri quam pauci. 210
Perfecti vt cum Deo vnum efficiantur. 434
Perfecti vtrum peccent. 291
Perfecti vt se gerant in omnibus. 391. 420
Perfectos nihil præter Deum velle. 355
Perfectus verè vnde dignoscendus. 213
Perfici cupienti quantum aduersitatum tolerantia necessaria. 579
Perseuerandum in benè cœptis 204
Perseuerare quomodo quis possit in optimo vitæ genere susceptо. 229
Perseuerantia opus esse erga Deum, Mundumq; ad aliquid obtinendum. 619
Personæ diuinæ quo distinguantur. 277
Personæ Trinitatis singulæ, & seperatim sumptæ, non prestare beatitudinem. 343
Pharisei & Publicani discrimen 182.
Pharisæus Christi, eiusq; discipulorum hospes vnde reprehendatur. 180. &c.
Philosophia sublimis, quæ. 73
Philosophi veteres quo pacto naturalia considerarint. 288
Philosophi vt Deum inquisierint. 325
Pictor cæcutiens à Susone curatus. 522
Pietas Susonis ex vtero matris, quanta. 551
Pietatis speciem præ se ferentiũ duplex modus. 306
Pij, etsi labantur, vti resurgere debeant. 222
Pij homines plerique cur annuente Deo ab omnibus fere despiciantur. 257
Pios afflictionibus subiectos quid etiam consoletur. 615
Planctus Mariæ descriptio. 102
Plato qualis fuerit. 193
Pœnæ Iesu in cruce distenti quantæ. 14
Pœnitentes omnibus momentis à Deo recipi. 166
Pœnitentia Cain indiscreta. 168
Pœnitentiæ dilatio quam noxia. 110. &c.
Pœnitentia optima quæ. Ibid.
Pœnitentia sera quam periculosa. Ibid.
Pœnitenti quam propitius Deus. 165
Pœnitentis veri descriptio. 237. &c.

Pomis

Pomis quam Suso sit delectatus. 478
Pontificum Max. olim quanta sollicitudo. 366
Potui omni vt sibi per diem Suso interdixerit. 506
Potus Susonis parsimonia quãta. 505
Prælato quid potissimè ferendum. 247
Prælaturam gerere, quid sit. 246
Præclarus reuera quis censendus. 391
Prælatus quid in officio potius spectare debeat. 248
Prælatus vt sui curam habere debeat, & quando. ibi.
Præmium accidentale & essentiale, quod. 59
Præmium sanctorum, quantum. 64
Præsentia Christi corporali curcius discipuli debuerint orbari. 29. &c.
Præsentia Dei quinam in hac vita semper perfruantur. 46
Præsentia Dei vt obseruanda. 49
Præsentiæ diuinæ signa certissima. 44
Preces horariæ de æterna Sapientia. 659
Preces iusti assiduæ quam efficaces. 234
Profectum si initio conuersionis non experiamur, quid agendum. 221
Proficere volenti, quid iugiter cogitandum. 122
Proficiendi methodus optima. 186. &c.
Proficienti quid agẽdum. 204
Propositum bonum sæpè instaurandum. 221
Proximus quisq; sibi. 216
Purgandorum maximus dolor. Item eorum querimoniæ. 115. 116
Purgatio animi vera in quo consistat. 217
Purgatorij depictio. 113
Purgatorij pœna quæ maxima. 116
Purgatorij pœnas quantas etiã pro minima voluptate sustinere oporteat. 400
Purgatorium qui grauissimum sustineant. 383
Purgatorium qui, quomodo luant. 176
Purificationem B. Virg. vt Suso celebrauerit. 483. &c.

QVæstiones quorũ, quæ laudandæ. 178
Quęstionib⁹ varijs quibusdam vacare, &c. 177. &c.
Quæstio vnde proueniat. 178
Querela Christi de Religiosorũ ingratitudine. 25
Querelæ hominum vnde. 321
Querimoniæ hõis afflicti. 260
Querimonia pia animæ pię. 132

Quietis & tranquillitatis perpetuæ amatori quid faciendū. 320

RApto in Deum quid accidat. 350
Ratio curiosa, quid. 309
Rationem cum Deo vt inierit Suso. 551
Rationem in actionibus omnibus primas tenere debere. 316
Rationes duæ proficere volenti seruatu pernecessariæ. 231
Rationis humanæ quanta cæcitas. 331
Ratio vitæ optima, quæ. 307
Rebus caducis quibus, cur renunciandum. 416
Recordationem æternitatis omnes cruces superare. 260
Regeneratio quæ, cui sit necessaria. 292
Regia Dei & Ecclesiæ Catholicæ via ingredi, quam Deo gratum. 372
Regnum cælorum cuius sit. 212
Regnum cælorum quid dicatur. 241
Regnum cælorum, iudicio Susonis, quid sit. 460
Relationes personarum nihil ad essentiam diuinam adiūgere. 273
Relictionem sui perfectissimā vix vlli mortalium obtingere. 279
Religio Monastica vrbi ruinosæ comparatur. 24
Eiusdem ruinę miserabilis causa. 30
Religionem professis quid præ vulgaribus religiosis incumbat. 239
Religionis Catholicę pernicies in quo lateat. 269
Religionis vniuersæ toxicum. 617
Religiosa iuuentus disciplina coercenda. 246
Religiosi nonnulli quā se perditè gerant. 216
Religioso minimè tutum extra Monasterij limites expatiari. 233
Religioso quæ quatuor circa externos merito obseruanda. 495
Religiosos omnes conari esse quippiam. 179
Religiosus quibus potissimum ornetur. 579
Religiosus qui suo ritè munere demandato fungatur. 245
Remedium vnicum aduersus speciem mulierum. 262
Renuncians mundo vt in spiritalem superbiam adducatur, eamque prorsus absconditā. 402
Rerum præsentium mutatio quanta futura. 60
Res creatæ quando bonitatem habeant in sese. 44

Resi-

Resignantibus se Deo quid in quaque re agendum. 197
Resignare nos quomodo debeamus. 65.186.195.&c. 208. &c.278.
Resignare quid sibi velit. 278
Resignare se ad vitia neminem debere. 313
Resignata voluntate viuentes in omnibus pace gaudioque potiri. 865
Resignati & mortificati vere vt Deo vniantur. 565
Resignati facti, aut falsi, vnde dignoscantur. 182
Resignati hominis exercitatio quæ. 316
Resignati hominis vbi origo ibi & finis. 271
Resignatio animi interna quo hominem euehat. 268
Resignatio Deo facta in aduersis, quantum faciat ad pietatem. 67
Resignatio duplex; Antecedēs, & Subsequens. 313
Resignatio hominis perfecti vera. 144.145
Resignatio in afflictionibus occultis quam necessaria, & vtilis. 171
Resignationem sui & paupertatem spiritus, & virtutes omnes secum aduehere. 211
Resignationis sui studioso quatruplici interna consideratione vtendum. 277
Resignationi studens, an cum cæteris, etiam Christi debeat imagini renūciare. 209
Resignationis verè delineatio. 184
Resignatio perfectissima quis exigat. 317
Resignatio præcipua quæ. 41
Resignatio quæ hominis mortalis beatorum resignationi imitetur. 281
Resignatio sui infinita, quæ. 313
Resignatio sui vera in quo consistat. 314
Resignatio sui quid præstet homini. 256.281
Resignatio vera, quid sit. 171. &c.
Resignati perfectè vt se gerant in omnibus. 283.301
Resignati quatenus scientiam veritatis habeant, & quatenus ducātur opinionib. 304
Resignati verè quam sint humiles. 42
Resignato emori sibi, quam vtile. 332
Resignatorum diuersitas. 210
Resignatorum verorum natura & conditio. 420
Resignatus esse volēti, quid curandum. 322
Resignat⁹ vt se habeat erga proximos. 305
Res quatenus ab essentia diuina distinguantur, & quatenus non. 389

Rete diaboli quos non complectatur. 393
Retia quot hominibus extensa. 360
Reuelationes & dona Dei, quid sint. 450
Reuelationes imperfectis pernicioſæ. 450
Reuelationes vt examinandæ. 197
Rigidæ viuendi rationes & exempla quibus conueniant, & quibus non. 583
Rigor moderatus in corporis naturæque edomatione seruandus. ibi.
Rupes nouem, & earum incolæ, atque horum exercitia & impedimenta describuntur. 391 & deinceps.
Rusticorum moderni temporis peruersitas quanta, vtque Deo displiciat. 384

Sacramenti acceptio vel accessio digna quam sit difficilis. 138
Sacramentum amoris quod, cur merito ita dicatur. 137
Sacrilegij accusatur Suso innoxius. 528
sub Salue Regina exercitium pijssimum Susonis. 493
Salus nostra quanta Christo cōstiterit. 97
Salutatio matutina ad æternam sapientiam. 667
Salutatio matutina ad nomen Iesu Susoni diuinitus reuelata. 267
Saluti proximorum vt Suso studuerit. 525
Sancti occulti qui. 338
Sanctimoniales qualem olim vitam egerint. 373
Sancti quantopere nos ament. 55
Sanctitas vera in quibus consistat. 378
Sanctorum patrocinia Suso extremum quasi spiritum agēs inuocat. 557 &c.
Sanguinis Christi quanta efficacia. 77.
Sapiendum malo alieno. 119
Sapiens vti internis atq; externis pariter exercitijs debeat vacare. 256
Sapientia Dei sola perfectissima. 38
Sapientia diuina quale sit donum. 34
Sapientia æterna qualiter ab amante anima excipienda. 131
Sapientia æterna qualiter sese Susoni visendam exhibuerit. 465
Sapientia æterna quomodo iucundius cognoscatur. 241
Sapientiæ æternæ encomium. 33. &c.
Sapientiæ æternæ pulchritudo quanta. 262

Sapientiæ prima elementa vnde sumenda. 12
Sapientiam æternam suauiter omnia disponere. 175
Satanas satanam non expellit. 248
Scolasticis præposteris qui similes. 189
Scopus entium omnium quis. 255
Scopus stupiosorum omnium potissimus, quis. 103
Scopus supremus quis. 340. &c.
Scrupulositatis causa. 302
Scrupulositas quid afferat solatij. 170
Scrupulus, in quem plerique in suo progressu impingũt. 567
Secreta quæ, quomodo alijs reuelanda. 169
Sensibilem à Deo expetere cõsolationem, imperfectionis esse. 446
Sensitiua perditione prædominante in homine, nihil non malorum emergere. 316
Sensus communis vt debeat à perfectionis amatore superari. 192
Sensus quam sint custodiendi homini probè resignato. 319
Sẽsuum in externa effusio quid producat. 323
Sententiæ aliquot insignes SS. Patrum. 578
Sententiæ quales cur rationi repugnant. 308
Sententiæ quæ vtrum damnandæ. 259
Separatio Christi & Mariæ qualis. 104
Separatio & distinctio quid differant. 299
Separatio horribilissima quæ
Seruitus Dei quibus sit loco carceris.
Seruorum Dei quanta ratio quantaque necessitas.
Silentij sui præceptores quos Suso delegerit.
Silentium oris quomodo seruandũ, & quo prouehat.
Silentium pacem cordis conciliare.
Simeonis & animæ fidelis comparatio.
Simplicibus ac rudib⁹ quid maxime necessarium ad salutem
Simplicitas fidelium sectatorum puritissimæ vitæ Christi, quæ ita.
Simplicitatis veræ proprietas quæ.
Siti intolerabili vt sese Suso afflixerit. 505. 506
Siti nimia contabescens Suso vt fuerit in anima confirmatus.
Sitis quæ Iesum maxime afflixerit.
Socius Susonis ob veneficii suspicionem captiuus detinetur. 541

Solatia

Solatio perfruitur Suso, fama eius plurimum apud mortales dilacerata. 632
Solatium quod in anguſtij ex amiculis Suſo retulerit. 603
Somnia vt diſcernenda. 339
Somniis num fidendum. 196
Sororem pœnitentem qua bonitate Suſo ſuſceperit. 536
Soror Suſonis quanta eidem afflictionis cauſa extiterit. 534
Spes noſtra in quo potiſſimum reponenda. 103
Spiritualium neglectio temporalium eſt corruptio. 247
Spiritus hominum perfectorũ in quo ſeſe immergant. 341
Spiritus maligni vt ſalubribus propoſitis, ac inſtitutis pœnitentiũ inſidientur. 229
Spiritus quomodo in Deum reuerti debeat. 349
Spiritus ſanctus amor Patris & Filij reciprocus. 335
Spiritus ſupremæ diuitiæ. 350
Spiritu vt exuantur perfecti. 338
Sponſa quæ, qualis futura. 58
Stratum Suſonis miſerabile 503
Submerſionis pericula expertus Suſo. 547
Subſtantia Dei eſt illius vita & operatio. 325
Suggeſtiones dæmonum vt in Dei laudem trahendæ. 151
Summi boni depictio. 32
Superbia latens vt in omnibus fere dominetur. 181
Superbia omnis miſerię luctuſqúe cauſa. 180
Superbia Prælato ſummoperè deuitanda. 248
Superbia ſpiritali vt quoſdam euertat Diabolus. 402
Surſum corda, in Miſſæ ſacrificio pronunciatum, quid ſignificet. 481
vt idem à Suſone in Miſſa cantari fuerit conſuetum. Ibidem.
Suſo ad Cœnobij portam vocatus, vt ſe geſſerit. 495
Suſo animam ſuam æternæ ſapientiæ vidit vnitam. 479
Suſo fit prior. 629
Suſo integræ valetudini reſtituitur, ab omnibus penè deſperatus. 532
Suſoni mater defuncta apparẽs ſuam illi gloriam indicat; eumq; confortat. 626
Suſo miſerorum omnium conſolator. 595
Suſonis ad menſam acceſſus, & aſſidentis exercitia. 477
Suſonis animi corroboratio inter cruces multiplices, quæ. 527
Suſonis cæleſtes cõſolationes. 473
Suſonis mirabiles viſiones. 475
Suſonis mira charitas. 430. &c.
Suſonis admiranda humilitas. 356. &c. 427. &c.
Suſonis mirabilis in Deum ab-

sorptio. 285
Susonis raptus mirabiles. 459. &c. 556.
Susonis trina salutatio matutina. 470
Susonis variæ ex vitæ periculis angustiæ. 542. 543. 544.
Susoni vterque parēs post mortem apparet. 476
Suso præ nimia ex afflictione virtū imbecillitate demortui repræsentat in se similitudinem. 516
Suso primus veniam petit Iesus ab alijs. 554. &c.
Suso qualiter ad resignationis gymnasium in spiritu perductus sit. 512
Suso quam Deo carus & angelis. 474
Suso quam fuerit à puero misericors. 552
Suso quid alijs quibusq; fuerit. Ibid &c.
Suso quot animas sit Deo lucratus. 525. &c.
Suso suas apud Deum maximis in angustijs querimonias deponit. 598
Suso vt initio conuersionis suæ in aliorum fuerit exceptus societate. 410
Suso vt nomen Iesu cordi suo inscripserit. 467. &c.
Suso vt Deū viderit essentiā. 428
Suso vt quic[illegible] sperans, asperiores longe quam antea sibi cruces intellexerit, perferēdas. 515. 516
Suso vt solitudini studuerit. 521
Suso virgineis fuit vberibus à Deipara in siti maxima lactatus. 510

TEmeritas quænam cum veritate pugnet. 298
Templa quomodo veneranda. 133
Temporis amissi deploratio; Illudq; quam preciosum 109
Tempus amissum vt recuperetur. 109
Tentationes quatuor molestissimæ. 165
Tentationes seu afflictiones variæ, eæq; molestissimæ, cur Susoni immissæ. 533
Tētationes 3. grauissimiæ. 165
Tentationes tres Susonis spirituales. 523
Tentationibus grauissimis cuiquidam vexentur. 174
Tentationum vtilitas quanta. 230. &c.
Tentati qui, quā sibi noxij. 162
Tentationibus, etsi maximis, orationis tempore non esse cedendum. 172
Tentationibus vt resistendum. Item magno cum fructu resisti. 222. 230
Theologi vt res naturales accipiant. 288
S. Thomæ Aquinatis, de personarum in diuinitate emanatione,

tione, sententia. 335
s. Thomæ Aquinatis de vera paupertate sententia. 213
Thracum mos nascente homine, ac moriente. 243
Timorem filialem in perfectis ad extremum vsque spiritũ remanere. 433
Timorem seruilem vere resignatis ablatũ esse. 421. 423
Tranquillitas qualis ex sui abnegatione proueniat. 220
Tranquillitas Susoni nimis afflicto prædicitur. 608
Trinitas personarum vt sit in Deo. 336
Trinitas in Deo vt redigatur in vnitatem suam. 272
Trinitatem personarum inesse in naturæ vnitate: & è contrario. 341
Tristitia inordinata in Susone vnde prodierit: & quamdiu in ipso duraverit. 523
Tristitia inordinata vnde ducat originem. 163
Tristitia mala vt profligetur. 164
Tristitia vnde oriatur. 295 319
Turbatio quæ, qua pace melior. 247
Tyroni spirituali quanta sit alacritate concertandum. 230 &c.
Tyro spiritualis, quid in amicorum Dei conuersatione spectare debeat. 571
Tyro spiritualis quomodo & hostium in se machinas eũuertere, & animi sui angustias debeat euadere. 232

VBi austerum, quod. 340
Vbi iucũdum diuinitatis Verbi, vbinã sit. Ibi.
Vena incisa Ministro adhuc inueni, quid egerit. 585
Veneni sparsi Suso accusatur. 540. &c.
Verbi æterni natura qualis. 262
Verbis contendere, quem minimè deceat. 319
Verbum qua ratione sit Deus de Deo. 336
Vnitas essentiæ diuinæ cur NIHILVM appelletur. 343
Veritas quid sit in se, & quomodo à nobis percipiatur. 254
Veritas quo pacto melius perspiciatur. 285
Veritas vnde petenda. 270
Veritatem palam esse dicendã. 372
Veritatem quatenus quis assequatur. 304
Veritatis increatæ descriptio. 271
Vestigijs Christi insistẽti quid agendum. 505
Via ad beatitudinem compendiosissima, quæ. 4 490
Via tutissima, quæ. 305. 423 &c.
Victoria amicorũ Dei, quæ. 319
Vino iussus Suso rursum vti tur, siti maceratus. 511

Vinum Suſonis benedictione augetur. 624
Vires qualiter Deus ſuis ſubminiſtret amicis. 419
Virgines ad quid ſe potiſſimū mancipent in cœnobijs. 374
Virgini glorioſæ qualem Suſo candelā effinxerit in Purificationis eius ſolēnijs. 483. &c
Virium animæ omnium vna eſſentia & actio eſt; & quæ. 318
Virtutes quænam hominem ad Chriſti imitationem componant. 283. &c.
Viſio cuiuſdam viri ſancti de Sapientiæ Miniſtro. 511
Viſionis de exule & vrbe ruinoſa explanatiō. 24
Viſiones cernenti quid agendum. 197
Viſiones quomodo internoſcantur. 338. &c.
Viſio Suſonis conſolatoria in maxima ſitis afflictione. 508
Vitę diſcrimen Suſoni intentū innocenti. 530. 542
Vitæ perfectę methodus certiſſima. 120, 186
Vita externa & interna in quo conſiſtat. 316 &c.
Vita hominis quam breuis. 119
Vitam bonam aggredienti à quibus hominibus cauendū. 436
Vitam ſanctam tepidè inchoās, cui ſimilis ſit. 458
Vitam ſupernaturalem quis auſpicetur. 323
Vita perfecta in quo conſiſtat. 249
Vitæ plane ſecura, quæ. 217
Vita quorundam quàm miſera. 217
Vita ſpiritualis, vt obtineatur, quid agendum. 617
Vita Suſonis cuius opera ſit cōſcripta. 454
Vitiorum omnium radix, quæ. 317
Vitia in Monaſterijs virginum graſſantia, quæ. 374
Viuendi aſperitatem à medio paulum deficere tutius, quā illud excedere. 583
Viuis quid agendum, priuſquā morte prȩoccupētur. 109. 110
Vnionem cum Deo fructuoſam in Euchariſtia quid impediat. 127
Vnionem noſtri cum Deo quæ promoueant. 223. &c.
Vnitas diuinarum perſonarum quam admiranda. 342
Vnitas nuda diuinitatis, quid. Ibidem.
Vnum quomodo quis ſe inueniat in Deo. 287
Voluntas Dei gratiſſima qui compleatur. 150
Voluntas Dei, quæ. 563
Voluntas Dei quam ſapiat reſignatis. Ibi.
Voluntas propria quid inferat ad

ad perfectionem aspirantib⁹ incommodi. 410
Voluntas propria quomodo cuique deferenda. 186
Voluntas propria vnde foueatur. 283
Voluntatis propriæ extinctio & omissio, quid conferat vtilitatis. 566
Voluntas quam noceat. 407
Voluntas quando sit veram adepta libertatem. 294
Voluntas vt amittatur. 294
Voluptas maxima in quo. 316

ZElus Dei quis erga sui amatores. 64
Zelus spiritualis cuiusdam filiæ Ministri Sapiētiæ, erga nomen IESV. 265

FINIS.

Collegii Societ. Jesu Paderborn 1694

OIV
45



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

OIV
45

OTV
45

OIV
45

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

O IV
45

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


043
Th
2832


OIV
45